IN PRIMAM PARTEM D. THOMAE DISPUTATIONES THEOLOGICAE...

Andrea Lao









R. P.

ANDREAE LAO

CARMELITÆ

DE CONSCIENTIA, ET AVCTORITATE SVMMI PONTIFICIS.

In 1. 2. D. Thomæ.


DE CONSCIENTIA
TOMVS QVARTVS.

In quo Doctrina tutior, ac probabilior, pro formanda, ac rectificanda cuiuscunq; Fidelis conscientia, ex principalioribus florentissimæ Thomisticæ Scholæ Assectis Selecta, radicitus traditur, ac propugnatur.

OPVS

Principibus Ecclesiasticis, ac Secularibus, Prælatis, Confessarijs, Iudicibus, Consultoribus, Aduocatis, Medicis, Militibus precipuè perutile, ac necessarium.

Per P. Andream Lao Carmelitam S.T. Magistrum, Saxoniæ Prouincialé, Sanctæ Inquisit. Consultorem; in Regno Siciliæ olim Prouincialem, Visitatorem, Reformatorem, Commissarium Generalem, Neapoli studiorum Præfectum, ac in Patauina Accademia Sacrar. litterarum Interpretem publicum.



GENVÆ.

Apud Ioannem Mariam Farronum. M. DC. LVI.

De consensu Superiorum.

IMPRIMATVR.

Ex auctoritate Illustriss. Magistratus Inquisitorum Status.

Laurentius Oliuerius Cancell.



Facultas Reuerendiss. P. Magistri Marij Venturini Totius Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obseruantiæ Regul. Gener. ac Visit. Apostolici.

Frater Marius Venturinus S.T. Magister, ac humilis Prior Generalis, & Visitator Apostolicus Totius Ordinis Carmelitarum Antiquæ Obseruantiæ Regularis.



VM Quartum Tomum de Conscientia à Reu. Adm. P. Magistro Andrea Lao Saxoniæ Prouinciali elaboratum, iussu Reuerendiss. P. Magistri Ioannis Antonij Philippini, aliqui Nostræ Religionis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: Auctoritate Nostra, tenore præsentium facultatem concedimus, vt seruatis seruandis Typis mandetur. Horum fide &c. Datum Neapoli in Carmelo Nostro Maiori die 2. Octobris 1655.

Frater Marius Venturinus Generalis, ac Visitator Apostolicus Carmelitarum.

Reu. Patris Magistri Ludouici Malaspinæ Carmelitæ Genuæ Sacræ Theologiæ Regentis Approbatio.

COmmissum est mihi à Reuerendiss. P. Magistro Genuæ Inquisitore ius Censoris in Tractatū de Conscientia circa Primam Secundæ D. Thomæ à R. Adm. P. Magistro Andrea Lao Carmelita compositum, & quæ sura cōspexere Censorem, operis tanti merita suis omnibus numeris absoluti, imparem Laudatorem fecerunt. Quis enim Laudes non componat, dum liber ipse encomia præfert, & præ tam profundè enucleata doctrina, alta efformat elogia? Hic enim tanta est profunditas cum claritate, vt claritati in hoc inextricabili, sed extricato Cōscientiæ laberyntho, nihil officiat profunditas, nihil dissonum fidei, moribus omnino consentaneum, cum regula sit conscientiæ Thomistica Doctrina, quòd idem est, ac Angelica. Prodeat igitur in lucem, & vbures fructus suos parturiat. Genuæ in Carmelo Nostro die Sanctissimæ Trinitatis 8. Aprilis 1652.

Frater Ludouicus Malaspina Sacræ Theologiæ Regens.

Imprimatur.

Frater Augustinus Cernellus Ordin. Prædicatorum Sacræ Theolog. Magister. Inquisitor Generalis Genuæ.


I N-



INDEX

COPIOSISSIMVS

Disputationum, Dubiorum, & Quæsitorum.



DISPVTATIO PRIMA

De Conscientiæ Quidditate.

DISPVTATIO SECVNDA

De Conscientia erronea, & eius obligatione.

DISPVTATIO TERTIA

De Conscientia Opinatiua.

Dub. 20

cept

DISPVTATIO QVARTA

De Conscientia Dubia.

dubium

DISPVTATIO QVARTA

De Conscientia Scrupulosa.


DISPVTATIO QVINTA.

FINIS.

Errores, qui ex Typographi incuria circa Titulos, in toto libro irrepsere, ad normam huius Indicis, reliquos, qui circa materiam, iuxtà prudentiam, et intelligentiam benignè corrige.



DISPVTATIO



ALEXANDRO VII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.



ON ego, Beatissime Pater, Sanctissimos ad pedes coronata Reginarum capita, quod nunc tanta cum voluptate spectamus, sed illam, quæ Tibi sola, ac Deo imperat, omni dominatu maiorem Conscientiam sisto. Magnum ideò donum, ac dignum Te, & Sanctitati, qua non modò nomine ac dignitate, sed moribus quoque præfulges, debitum, seù non impar obsequium. Quid enim, aut virtuti Tuæ Iucundius, aut gloriosius maiestati esse potuit, quàm si Tibi illam subijcerem, quæ Te in hoc sacrarum dignitatum fastigium vniuerso orbi extulit adorandum, & tuos deuoluerem ad pedes, quæ maximo illo in pectore augustissimè regnat? Nam ille aureus Conscientiæ candor, illa nullo vnquam cursu obliquata animi rectitudo, illa suauis quidem, sed plena etiam maiestatis lactiscintium morum illecebra, qua Germaniam primum in Tui amorem, admirationemq; pellexeras, Romanam deindè Aulam ad plausus, minores licèt, quam merereris, excitaueras, mox purpuram ab Innocentio tanta cum existimatione virtutis, extraxeras, nonne illa eadem est, quæ purpuratos coegit Patres vt vnanimi suffragiorum omnium consensione, tot inter cana virtutum capita, vnum Te Iuniorem licet, nec tam verticis, quàm animi candore spectabilem, deligerent, cui supremum in Terris regimen commendarent, & conscientijs omnibus non auctoritate modò, sed & exemplo lex fores? Et nunc seruat honos sedem suus. Adhuc post Innocentium innocentia regnat, & innoxium hunc conscientiæ candorem necdum vlla vitiorum vmbra, vel leuissimè denigrat, immo nec ipse quamuis luminum plenus, colorare adhuc potuit sanguis Tuus, cui in tanta rerum amplitudine, & vbertate, nihil hucusq; largitus es præter Teipsum. Maius videlicet quolibet Donum, aureum virtutum pretium, & melioris famæ lucem, qualis Gentilitijs inest sideribus, cælicam, & incorruptam. Quamobrem mirum non est, si nouum illud orbis prodigium, & plusquam Regium Sapientiæ, ac pietatis ornamentum, quod huic sæculo, consequentium sæculorum posteritas semper inuidebit, Augustissima Suecorum Regina; Te vnum primò, & toto Cardinalium Senatu Magni illius secreti, quod ad Ecclesiæ Catholicæ Maiestatem prudentissimè moliebatur, voluerit compotem, deindè ad hunc apicem dignitatis euectum extremo etiam ex orbe adoratura conuenerit; Reginà Sabà felicior, quod non modò sapien-

tiam Salomonis audierit. Sed, & Sanctitatem probauerit; nec vereor quinhęc illa verius iisdem verbis Maiestatem Tuam suspiciat, quibus illa olim Salamonem suum est allocuta. (Verus est sermo quem audiui in Terra mea super Sermonibus, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audiui.) Nimirum debet hanc excelsitatem montibus tuis Ecclesia, ad quorum radices fastigiatas sublimiorum Principum celsitudines sibi proiectas videt: debet sideribus hunc splendorem, vt non Reges ad Christi nascentis praesepia, sed ad Regiam Dominantis, Reginas aduexerint, & Serenissimam hanc lucem catholico caelo tot inter procellas effecerint, quia videlicet illibata fulgurant luce, aequabiliq; semper lege, terris quidem conspicua, sed cęlo semper infixa, nec vnquam de recti tramite deuia, Angelica ferantur manu. Verùm, quae Reginas ad fidem, illa eadem Reges ad pacem vocant; Hoc enim ad Ecclesiae faelicitatem, tam vigili splendore, caelestiq; cura excitati: Hac quam totus orbis iam suspicit, conscientiae virtutisq; rectitudine illecti, pariter ac fidentes, Legatos parant, pretiosam hanc pacis gemmam, sanguineo licèt altè demersam pelago, tam integerrimae mentis manu expiscaturos. Et speramus equidem etiam post haec ferrea, aurea saecula, quando idm illibatum è caelo aurum depluunt sidera, roscida sudant mella Pontificiae Quercus, & Montes non tam dulci, quam candido lacte manant. Prodit igitur meo in hoc libro conscientia nihil vmbrarum metuens, sub hac siderum luce, suae secura faelicitatis cui tam benignae Horoscopant stellae. Quid enim illa timeat, cui Tu vni neglectis cęteris patrocinaris, nec laedi pateris, vbi tu regnas. Regnat planè illa, vbi Tu imperas, & Sceptrum gerit ex Te. quę tibi claues obtinuit. Gratulor interim mihi, quod Tibi donum illud porrexerim, quo nullum aliud Tibi pretiosius, nullum carius offerri possit, cum ad Sanctitatis tuę pedes humillissimè peruolutus eam Regimini Tuo auspicor è caelo Beatitatem; quam iam nomine possides, & virtute mereris.

Sanctitatis Tuae

Seruus Humillimus

Andreas Lao.

DISPVTATIO PRIMA

DE QVIDDITATE CONSCIENTIAE

DVBIVM PRIMVM

Quid sit Conscientia, & an sit quid extra Animam.



Onclusio, Conscientia, propriè loquendo est Regula quędam ęqui, & iniqui indicans Creaturæ Rationali, quid fugiendum, quiduè appetendum sit. Hęc est Communis,& probari potest ex illo ad Rom.2.vbi loquens. D.Paulus de Gentibus non habentibus legem exterius scriptam: inquit *Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt &c. qui ostendunt opus legis spiritum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem Cogitationum accusatiuum, aut defendentium*;ergo ex doctrina Diui Pauli habemus propriam vniuscuiusque Cōscientiam, etiam seclusa omni lege externa, dictare, & Pumulgare sufficienter nobis legem naturalem, intimando, quid agere, aut fugere debeamus,& accusando nos de bene,aut malefactis, seù defendendo. Ex hac Conclusione, & eius probatione Colligitur, quattuor esse pręcipua munera, & officia Conscientiæ. Primum est, dictare de agendis, & non agendis: quod etiam confirmatur illo *Psalm.* 4. *multi dicunt quis ostendit nobis bona? & subditur; signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: quod S.S.Patres explicant de dictamine Conscientiæ;vnde optimè D.Crisostomus *homil.* 54. *in Genes.* Vocauit Conscientiam, magistram sufficientem.

Secundùm est, obligare, aut Instigare ad faciendum bonum, & omittendum malum; quod ita intellige, vt tunc dicatur Conscientia, obligare, aut ligare, quando dictat opus faciendum, aut omittendum sub Pręcepto; quando vero indicat esse sub Consilio, aut æquitate, tunc dicitur instigare ad id; tamquam ad opus supererogationis, aut vtilius, & securius,vt infra dicemus ita N. Doctiss. Corneio hic.

Tertiùm est, testificari pro nobis, aut contra nos de bonis,& malis iam factis, ideò dicitur testis inter Deum, &'nos, vt ex Diuo Augustino *Psalm.* 37. *refertur ij quest.* 3. *cap. Custodi*: quod testimonium locuples, & abundans esse dixit Diuus Ambrosius *Epist.* 44. deindè probabile *homil.* 5. *in Genes.* optimum vero, & antiquissimum ante omnes humanas Doctrinas à Deo Animę nostrę insitum, Tertulli. *lib. de testamento animæ*.

Quartum denique est accusare, repræhendere de malè factis; è conuersò autem excusare, & defendere, & gaudere de bonis: vtrumque potest colligi ex loco citato *ad Rom.* 2. *ibi, cogitationum, seu accusationum, & defendentium*. Idem ex D. August. *Psal.* 37. *refertur* 11. *q.* 3. citata; eleganter vero Diuus Greg. Nanzianzenus *Orat.* 15.& 27. *vbi Conscientiā, ait, esse domesticum nostrum tribunal in nobis fixum quod nemo effugere possit*,vnde eadem Conscientia non solum est testis, sed etiam accusator, & iudex, absoluens, aut condemnans, imò & carnifex miserè torquens delinquentes.

Petes: *An Conscientia sit aliquid intra nos*?

Occasionem huius dubij prębuit Origines,qui *lib.* 2. *in Epist. ad Roman.* supèr illa vèrba *cap.* 2. *testimonium reddente illis Conscientia ipsorum*,expressè docet, Conscientiam esse substantiam quandam spiritualem separatam, ab Anima nostra distinctam, illique assistētem per modum Angeli Custodis; quamuis non explicet, an hæc substantia spiritualis, quam vocat Cōscientiam, sit vna in vnoquoque homine, itaut singuli habeāt singulas proprias Conscientias; an verò sit vna eadem in omnibus; ad eum modum quo Auerroes ponebat vnum, & eundem Intellectum cunctis hominibus assistentem.

Sed in hac re sit certa Conclusio, Coscientiam nō esse aliquid extra Animam, sed esse quid intrinsecū, & inhærens illi; probatur ex illo Iob. 27. *nec enim reprehendit me cor meum*, & prima Ioann. 3. *si reprahendit nos cor nostrū*, quæ loca explicant de Conscientia omnes Sancti Patres, & Anacletus in epist. 1. ad omnes Ecclesias: ergo ex Sacra Scriptura, Cōscientia, vel est ipsa anima nostra, vel aliquid eius, & non substantia aliqua extra ipsam. Idèm Colligitur ex illo Hieremię 1. 7. *Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo in pectore cordis eorum* hoc est, in Conscientia, vt explicant Theodoretus, & alij.

Confirmatur ex modo loquendi Sanctorum Patrum, à quibus interdum laudamur, interdum vituperamur ratione propriæ Coscientiæ,ergo Cōscientia non est aliquid extra nos; quia nullus laudatur, vel vituperatur, nisi de his, quæ sunt in ipso, & aliquo modo ab eius poteste dependent.

Obijcies contra Conclusionē fundamentis Originis;nam Cōsciētia iudicat de actibus animæ nostræ, ergo est aliquid superius ad illam per modum corrigentes, & gubernātis, quia iudicare, corrigere, & punire proprium est superioris.

Confirmatur,quia Cōscientia iudicat,& non iudicatur: repræhendit, & non repræhenditur, punit, & non punitur, ergo est aliquid distinctum ab Anima,& eius operationibus, quæ puniuntur, & iudicantur.

Respondetur negando consequentiam, quia hoc est proprium naturæ intellectualis, vt possit reflecti per intellectum, & voluntatem supra seipsam, & super suos omnes actus, dirigendo, & iudicando, & sic optimè potest habere rationem Conscientiæ aliquid intrinsecè pertinens ad Animam nostram, & per hoc patet ad Confirmationem.

Obijcies 2. Diuum Hieronymum *super Ezzech. cap.* 1. vbi explicans visionem illam quattuor Animalium, postquam dixit, *per hominem significari partem rationalem, per Leonem partem concupiscibilem*, subiunxit *per Aquilam significari Conscientiam, quæ super alias, & extra alias partes Animæ est, quas corrigit, & gubernat*: quā Conscientiam dicit esse, Spiritum illum, de quo Paulus ad Rom. 8 ait, *interpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; Ergo, in sententia Diu: Hieronymi Cōscientia est spiritus quidam assistens Animæ.

Respondetur Diuum Hieronymum solum velle,

lumen

lumen naturale nobis insitum, virtute cuius formatur in nobis Cõscientia, esse quid diuinum per participationem ex ipso diuino lumine ad nos deriuatum, iuxta illud Psalm. *Signatũ est super nos lumen vultus tui*, & hac ratione intelligendus est Seneca, cum dicit, *cõscientiam esse partem diuini spiritus in nobis mersam*: & Menander: *mortalibus omnibus cõscientia, Deus est*; Et quia hoc Lumen est eiusdem rationis apud omnes homines, & eadem generalia præcepta legis naturæ dictat homini; ideò Tertull. lib. 1. aduersus Marcionem, ait, *eandem esse Cõscientiam apud omnes homines*, & eodem modo Originem interpretatu D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 13. *ad* 1.

DVBIVM SECVNDVM.

An Cõscientia formaliter pertineat ad Actum Intellectus, vel Voluntatis.

COnclusio: propriè pertinet ad Intellectum. Hęc est cõmunis excitandis inf. dub sequenti. Prob. 1. Sacra Scriptura Ecclesiastes 7. *scit Conscientia tua, quia tu crebò maledixisti alijs*; & ad Rom. 14. *quia omne quod non est ex fide, peccatum est*. vbi nomine *fidei* intelligitur Conscientia, vt exponunt Ambrosius ibi, Theofilactus, Theodoretus, & D. Thomas ibi. & 1. 2. *q.* 19. *art.* 1. Diuus Bernardus *lib. de præcepto, & dispensatione*; Innocentius 3. *in Cõcil. Lateranensi* relatus *cap. finali, de Præscriptionibus, & cap. litteras, de Restitutione spoliatorum*, latè Gratianus *cap. Omnes*, & alibi, tunc sic, scientia, & fides pertinent ad Intellectus, ergo etiam Conscientia.

Secundo probatur ex ipso nomine, *Conscientia*, quod, à verbo *Conscio*, deriuatur; vndè Conscientia dicitur, concludens scĩetia iuxta D. Antoninũ 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. vel cordis scientia iuxta Diuum Bernardum *lib. de Conscientia cap.* 8. vel denique, scientia, vt D. Thomas 1. *p. q.* 79. *art.* 3. *q.* Conscientia ergo pertinet ad Intellectũ, sicut, & scientia.

Probatur 3. quia Conscientia est dictamen practicum, quo regulatur quis in suis actionibus, constat enim non posse quempiam operari moraliter, nisi aliquo dictamine ductus, quod dictamen non potest operari, nisi applicetur in particulari hic, & nunc ad opus faciendum, ita quod non solum iudicet in cõmuni, quod oportet benè operari, sed etiam in particulari, quod prout hic, & nunc conueniens est hoc facere, & quia fit ista applicatio, seu comparatio principiorum vniuersalium tum particularia dicitur Conscientia, quasi cum alio scientia, hoc enim dictamen applicatum in particulari ad agendum iuxta rationem, pertinere ad intellectum non potest esse dubium, quia dictamen est iudicium, quod formamus de agendis, & iudicium est actus intellectus, sic ergo constat Conscientiam pertinere ad intellectum, quia Coscientia est dictamen applicatum in particulari ad agendum, & dictamen est quoddam iudicium.

Probatur quartò, Bonitas, atquè Malitia internorum actuum desumitur ab obiecto in quod tendit Voluntas, vt suppono ex Diuo Thoma 1. 2. q. 18. *art.* 2. Voluntas .n. cum sit cæca facultas, non potest suaptè natura tendere ad bonum obiectum nisi prout ab Intellectu propositum, vt supponitur, etiam ex dictis *Thom.* 3. *q.* 18. ergo Cognitio Intellectus omninò requiritur, vt regula actuum Interiorum; patet Cõsequentia, quia cognitionẽ bono esse regulam, non est alium, quam bonitatem, aut malitiam actuum dependere ex obiecto prout à nobis cognito, & imperato: sed bonitas, & malitia actuum pendet ab obiecto, vt à nobis cognito, & imperato; ergo Cognitio Intellectus practica est regula actuum interiorum: minor probatur, quia obiectum non amatur, aut respuitur à Voluntate nisi secundùm illam rationem boni, aut mali quam Intellectus practicè proponit, siuè obiectum habeat illam in se, siuè non, ergo Bonitas, aut malitia, quam actus Interni desumunt ab obiecto, est omnino regulanda iuxta Cognitionem Intellectus dirigentis, seu iuxta obiectum intimatum ab Intellectu.

Probatur 5. quia Conscientia dicitur aliquando vera, aliquando erronea, & aliquando probabilis, quod non potest pertinere nisi ad Intellectum, in quò est scientia, error, & opinio; Nec valet dicere, dici erroneã, quia non est conformis rectæ rationi nam eodem modo dici posset erronea Intentio, & electio Voluntatis, quando non sunt conformes rationi, quod nullus Theologorum dixit.

Oppositum huius Conclusionis docuit Henricus *quodlibet.* 1. *q.* 18. asserens, conscientiam esse Inclinationem quamdã elicitam à Volnntate ad operandam iuxta dictamen rationis: fauet Durandus in 2. *dist.* 39. nu. 11, *& sequentibus*, vbi docet conscientiam ad vtramque Animæ partem pertinere scilicet ad Voluntatem, & Intellectum.

Pro qua opinione Arguitur primò, Conscientia versatur circa bonum, vel malum; ipsaquè conscientia dicitur aliquando Bona, aliquando mala, vt sumitur ex illo 1. ad Timotheum *de Corde puro, & Conscientia bona*. Bonum autem, & malum propriè ad voluntatem pertinent; ergo Conscientia formaliter est actus Voluntatis.

Respondetur destinguendo maiorem & concedendo de conscienza, quæ dicitur Bona, vel mala regulatiuè: nõ verò de conscientia, que dicatur bona, vel mala formaliter; dicitur primo cõscientia bona, vel mala non formaliter, sed regulatiuè eo modo, quo Intellectus practicus dicitur Bonus, quia regulat, & dirigit opera bona, iuxta, *Psal.* 100. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. quia enim praxis dirigit ad opus, & dictamen, seu praxis bona quæ est Conscientia dirigit ad opus bonum, denominatur illud Iudicium, seu Conscentia bona ab effectu, & fine suo, licèt formaliter in se vera sit, seu actus cognoscitiuus sub ratione veri procedens, & proponens ipsum bonum faciendum. Licèt autem bonum, & malum affectiuè, & inclinatiuè pertineant ad voluntatem, tamen Regulatiuè pertinent ad Intellectũ, quia oportet ipsum bonum esse cognitum & sub ratione veri attactum.

Arg. 2. Conscientia dicitur applicatio, seu actus applicans scientiam practicam ad aliquid agendum, actus autem applicatiuus non est actus Intellectus, quia est Actus, qui dicitur *Vsus*, qui est actus voluntatis, vt constat ex D. Th. 1. 2. *q.* 16. Ergo Conscientia est actus formaliter voluntatis, & non Intellectus.

Resp. Conscientiam non esse applicationem, seu vsum voluntatis formaliter, sed esse applicationem regulę, & dictaminis, quatenus formatur Iudicium in particulari de agendis, & ipsa formatio dictaminis particularis, quædam scientiæ applicatio est, seu principium in communi, & vniuersalium ad particularia, sicut si Illatio Conclusionis ex præmissis in speculatius appelletur applicatio principiorum ad Cõclusiones, illa applicatio nõ est vsus voluntatis, sed est formatio quædam Intellectus, vel Illatio, pertinet enim ad Logicam, sicut ergo datur applicatio Intellectus

tellectus in speculatiuis ad inferẽdum Cõclusiones, nec illa formaliter, vel eliciti uè est applicatio, seu vsus voluntatis, licèt in exercitio ab ea moueri possit Intellectus ad sic operandum: ita datur applicatio practica ad dirigendum, formando dictamen, & Iudiciũ de agendis in particulari: & hæc applicatio intellectiua est Conscientia; ad quam tamen quia voluntas in exercitio mouere potest; ideò potest præsupositiuè esse voluntaria, sicut etiam alij actus, qui à nobis fiunt humano modo, voluntariè fiunt, quia à voluntate mouente procedunt. Et hoc modo pertinere potest Conscientia ad voluntatem generali illo modo, quo omnes actus humani voluntariè fiunt, & à voluntate mouentur; non tamen specialiter, idest quod eliciti uè Coscientia pertineat ad voluntatem, nam ipsa formaliter est dictamen quoddam, seu Iudicium, vt ostensum est. Ex quo patet, quod obiectum Conscientię non est bonum sub ratione boni, sed sub ratione veri practici, vt de Intellectu practico, docuit D. Thom. 1. *p. q. 79. art.* 11. & in hoc sensu patet, quare Conscientia aliquando vocatur spes, non formaliter, sed causaliter, quia scilicet bona Cosciẽtia generat spem.

Arguitur 3. Veritas Cognitionis practicæ, quæ iuxta dicta, & dicenda, debet esse regula bonitatis actuum internorum, consistit in conformatione cum appetitu recto, idest cum actu bono ipsius Voluntatis, vt docet Arist. 6. Etihc. *cap.* 2. Ergo bonitas appetitus recti, seu interni actus Voluntatis non potest desumi a Cognitione Intellectus, alioquin committeatur circulus vitiosus.

Resp. Veritatem cuiuscumque cognitionis practicæ desumi ab Appetitu nostræ Voluntatis recto, quasi à posteriori, & ab effectu; bonitatem vero cuiuslibet actus interni desumi à Cognitione, vt à priori, seu vt à proponente obiectum, in quod voluntas fertur, nullum autem incommodum est, aliqua duo habere connexionem, & dependentiam in diuerso genere causæ: sic enim materia, & forma corporea mutuò dependent, nec vllus dixit, ideò cõmitti circulum vitiosum: itaquè veritas Iudicij practici desumitur ab Appetitu recto idest illud iudicium est practicè verum, quod determinat voluntatem ad eliciendum actum bonum, illumquè imperet: bonitas verò actus Voluntatis desumitur à cognitione practicè verâ, quia sumitur ab obiecto bono per Intellectum practicè proposito, & Cognitio, quæ bonum obiectum proponit, non potest in genere practico non habere veritatem.

Petes: *An Cognitio dirigens internũ actum bonum, sit actus Iudicij, vel Apprehensionis.*

Resp. Cognitionem, actum internum bonum dirigentẽ, debere esse saltem virtualiter Iudicium, quòd aliquo modo dictet, honestum esse illud obiectum, quod proponitur voluntati. Probatur Conclusio singillatim, & in primis Sãctus. Thom. *q. 74. ad. ter.* & latius *q.* 58. *art* 4. vbi Caietanus, Durandus 3. *dist.* 36. *q.* 2. Almai *in tract.* 3. *cap.* 3. docent ad eliciendum aliquem actum studiosum, requiri actum prudentię in Intellectu; prudentia autẽ à iudicatiua, imò solius suæ appræhẽsionis ui, nemo dicitur prudenter operari; vnde sumitur ratio huius veritatis, illud enim opus voluntatis dicitur bonum moraliter, quod fit iuxta rectam rationem, sed sola apprehensio non dicitur recta ratio, ergo &c. minor probatur; nam appręhensio mæra fingere potest obiectum prout libuerit, concipiendo vt bona ea, quæ sunt manifestè mala, & è contra, vnde non sufficienter dirigit voluntatem, vt honestè, & vt hominem decet, operetur.

Deindè, obiectum debere proponi voluntati sub aliqua ratione honesti, patet; quia sola bonitas delectationis non reddit actum bonum in genere moris, sed ad summum reddet indifferentem, & secundum probabilem opinionem reddit actum malum; cum autem dicimus debere proponi bonum sub ratione honesti, non contendimus oportere proponi sub significato harum vocum, *honestum est, vel rationi consentaneum*, sed satis esse si simpliciter id afferatur, vt affertur, cum quis aliquid vult; quia Intellectus dictat illud esse præceptum Dei, vel illud esse regulam Religionis, vel esse opus Charitatis, aut misericordiæ.

Deniquè satis esse, *si Iudicium hoc sit virtuale*, primò, quia si quis habuisset Iudicium formale, & expressum de honestate alicuius obiecti, licèt modò illud non haberet, sed solum recordaretur, rem iam habuisse, sufficienter maneret determinata voluntas ad honestè operandum. Secundò, cum ad rectè operandum sufficiat actus prudentiæ, & Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 47. *art.* 8. expressè docet, potissimum prudentiæ actum esse Imperium, quod non est Iudicium, vt nos *Tomo primo in* 1. *p. D. Th. q.* 23. *a.* 1. latè probauimus, nõ erit semper necessarium actuale, Iudicium de honestate obiecti, sed sufficiet virtuale, quod sine dubio clauditur in Imperio, nemo enim imperat aliquid honestum fieri, nisi prius honestum esse iudicauerit:

DVBIVM TERTIVM.

An Conscientia sit Aliquis Actus, vel Habitus nostri Intellectus.

PRima Conclusio: Cõscientia propriè dicta, non est Habitus, sed Actus. Hæc non est ita certa, sicut præcedentes; eam tamen docet D. Th. 1. *p. q.* 79. *art.* 13. *& q.* 27. *de veritate art.* 1. & communiter omnes, paucis exceptis, quos infra referemus. Probatur Conclusio, quia non est habitus innatus, & genitus à natura, sicut habitus principiorum, nec infusus à Deo, nec acquisitus à nobis, ergo non est habitus; Consequentia patet à sufficienti diuisione habituum: Antecedens probatur, & in primis quod non sit habitus innatus patet, quia aliàs esset omnino inuariabilis, & non posset mutari de bona in malam; & è conuersò, quod est contra experientiam, & communem modum loquendi: & eadem ratione probatur, Conscientiam non esse ipsum Intellectum, aut aliam potentiam Animæ; nec etiã est habitũ infusũ à Deo, aliàs nulla Conscientia esset mala, aut erronea cum Deus non posset causare habitum erroris, aut inclinantem ad malũ: nec etiam est habitus acquisitus: tum quia propter habitus præcisè non sumus digni laude, aut vituperio, sicut propter bonam, aut malam Conscientiam, tum quia habitus producuntur, & corrumpuntur per plures actus, Conscientia verò vnico actu formatur, & altero deperditur, ac destruitur.

Nec valet dicere, Conscientiam ex genere habituum eorum esse, qui vnico actu generantur, & altero corrumpuntur; sicut habitus scientiæ, qui vnica demonstratione causatur, & vnico errore dimittitur; Non inquam, valet, quia quamuis ita sit de habitu scientiæ, ideò est, quia demonstratio est cognitio, euidens, & sic habet vim conuincendi omninò Intellectum, & causandi habitum; Conscientia verò interdum causatur, & deperditur sola extrinseca Auctoritate dicentis, quæ nequit habere tantam vim. Cõfirmatur, quia Vsus, & exercitium habitus subditur

 nostræ

nostrę liberę voluntati iuxta illud commune. *Habitibus utimur cum volumus*: sed Conscientia etiam nobis nolentibus dictat, stimulat, accusat, & testificatur, ergo non est habitus.

Secùnda Conclusio, Conscientia propriè, & in rigore dicta, est actus, quo Intellectus iudicat in particulari, quid sit agendum, vel non agendum hic, & nunc inspectis omnibus Circumstantijs. Ita D. Th. *locis citatis* & communiter omnes eius expositores ibidem, & 1.2. *q. 19. art. 1.* Couarr. *Regula, possessor part. 2. 6.* Nauarro *in summa cap. 17. num. 279.* Siluest. *verbo Conscientia*, & alij plures, quos refert, & sequitur Salas 1. 2. *tract. 6. disp. vnica sect. 2. num. 5.* Probatur à sufficienti enumeratione, nam Conscientia est aliquid pertinens ad intellectum, vt dixi, sed non est ipse Intellectus, nec aliquis eius habitus, vt ostensum est Conclusione prima, ergo est aliquis eius actus. quod autem hic actus debeat esse Iudicium, patet ex dictis dub. pręcedenti, nam Conscientia est vera, aut falsa, aut opinatiua, vt infra dicemus: sed hæc solum reperiuntur in Iuditio intellectus ergo, &c. videatur P. sapientissimus Lezzana, Ordinis N. splendor, ac decus 2. *tom. Theol. trac. 2. disp. 12.*

Contra nostras Cõclusiones Scotus, & Diuus Bonauent. in 2. dist. 19 q. 1 & 2. & Durandus q. 4. docuerunt, Conscientiam esse habitum Intellectus acquisitum, distinctam à synderesi, & à scientia morali, Pro qua sententia.

Arg. 1. Actus non agit, sed Conscientia dictat, & accusat, ergo Conscientia non est actus, sed vel est ipse Intellectus, vel aliquis habitus, maior probatur, quia Intellectio non est, qui intelligit, sed Intellectus; nec loquutio est, quæ loquitur, sed homo.

Resp. ad missa maiori, quod quando in minori dicitur, Conscientia, *dictare, testificare* dicitur, ille modus loquendi non est intelligendus effectiuè, itaut ipsa dictio, & testificatio sit aliqua operatio exercita à Conscientia, sed debet intelligi formaliter, vt sit sensus, Conscientiam esse formaliter, & essentialiter ipsum actum dicendi, & testificandi ad eum modum, quo solemus dicere, cogitatio dicit mihi hoc, vel illud, non quia dictio sit actio aliqua effectiuè procedens à Cogitatione, sed quia essentialiter est ipsa Cogitatio.

Arg. 2. dictare, accusare, reprehendere, absoluere, dicere, sunt actus specie diuersi: ergo vel dicendum est, esse plures Conscientias specie diuersas, quod videtur falsum, vel Conscientiã consistere in aliquo habitu, qui sit causa æquiuoca illorũ actuum.

Resp. Conscientiam propriè dictam consistere essentialiter in solo Iudicio de agendis vt dictum est in Secùnda Conclusione: reliquos verò Actus, scilicèt testificari, accusare, dicũtur esse veluti passiones, & proprietates consequentes essentiam: nam eo ipso quod Conscientiam dictat, quid faciendum sit, si non fiat sequitur, quod accuset, remordeat, & reprehendat, sic è conuerso, si fiat, sequitur, quod gaudeat, & delectetur.

Pro quo nota, quod Conscientia non dicitur habere aliquos actus, quasi elicitiuè, sed ex eodem actu resultant omnes illi effectus, scilicet *ligare, accusare, testificari*, qui non sunt diuersi actus, sed idem actus cum diuersis respectibus, & diuersis connotationibus super diuersas materias, vt explicat Diuus Thom. *q. 79. art. 13.* & nouum non est, quod aliquis actus possit diuersa officia exercere, & effectus habere diuersos secundum diuersos respectus, sicut idem actus Intellectus respectu verbi, quod format, est dictio: respectu vero obiecti quod attingit, est intellectio; eadem Intentio finem amat vt obiectum, & imperat, seu mouet ad mediorũ electionẽ, & idẽ actus intelligit obiectũ, & voluntatẽ mouet, cognoscit principia, & infert Cõclusiones, nec tamẽ isti sunt diuersi actus, sed eiusdẽ actu s diuersi effectus, seu connotationes, siuè respectus.

Arg. 3. si Conscientia est Iudicium, & dictamẽ Intellectus actuale, sequitur, neminem posse contra Conscientiam operari, quod quàm absurdum sit, infrauidebimus; probatur sequela, quia voluntas nihil velle potest, quod prius non fuerit ab intellectu iudicatum, vt volendum. Ex Arist. 7. Ethic. cap. 5. ergo si Conscientia est hoc Iudicium, voluntas numquam poterit contra Conscientiam operari.

Resp. negando sequelam, & ad probationem, quod licèt voluntas non possit liberè, & ex aduertentia operari, quin conformiter ad aliquam Conscientiam operetur, potest tamen, & de factò operatur sæpè contra rectam Conscientiam, sequendo Conscientiam, prauam, & Iudicium erroneum, quo Intellectus probabiliter iudicat, bonum delectabile, aut vtile bono honesto esse pręferendum, quod recta ratio, seu Conscientia dictabat posponendum, vt infra latiùs explicabimus.

Arg. vltimo. si Conscientia non esset habitus, sed actus, sequeretur duo absurda, Primum est Iustum in gratia existentem bonam non habere Conscientiam, quando venialiter peccat, quia pro illo tempore non habet aliud rationis dictamẽ actuale, quod sit bonum. Alterum est è conuerso, eum, qui est in peccato mortali habituali, virum bonæ Conscientiæ dicendum esse, quando bona moralia operatur, quia tunc nõ est illud actuale dictamẽ prauũ, sed bonum.

Respondetur, aliud esse loqui de Conscientia, quo ad vnum, vel aliud opus leue, quod non destruit, nec conciliat Dei amicitiam, & aliud in ordine ad actus ex quibus salus Animę ex spirituali vita pendet, & quamuis vtraquè verè, & propriè Conscientia sit, secunda tamen absolutè Conscientia dicitur, prima verò solum secundùm quid. Quo posito ad formã Argumenti nego sequelam, quia licèt iustus venialiter peccans prauam habeat Conscientiam secundùm quid respectu illius peccati leuis; habet tamẽ bonam Conscientiam simpliciter, quia dictamen habet actuale, quo in actibus ad vitam æternam cõducentibus se iudicat benè gessisse, quod iudicium ad Conscientiam pertinere, diximus supra: & similiter in mortali existens, quamuis rectam habeat Cõscientiam secundùm quid quando operatur hoc, aut illud opus morale, cum statu peccati composibile, est tamen verum simpliciter malam habet Conscientiam, quia in eo actuale dictamen de male factis, & illorum remorsus perseuerat.

DVBIVM IV.

An Consciẽtia sit aliquis actus Intellectus practici, vel speculatiui; si detur habitus, à quo procedat, quomodo in nobis fiat Conscientia; & An ab opinione, & scientia distinguatur.

PEtes primo, *An Conscientia sit Actus Intellectus practici, vel speculatiui.*

Respondetur, ex præced. facilè posse sumi hanc resolutionem huius dicti, scilicet Conscientiam esse Iudicium practicum, cum sit à prudentia formatũ, non verò formaliter speculatiuum, licèt aliqui etiã de speculatiuo supponat, saltum quo ad Iudicium de rebus agendis in communi, & respectu singularium, quę non sunt operabilia, quia sunt præterita. Omne enim practicum in aliquo speculatiuo fundatur,

illud

illudquè supponit sed vt hoc melius intelligatur, Aduertendū est, quod cum hic practium, & speculatiuum differant ex fine, eo quod practicum ad opus faciendum, vel regulandum ordinatur, speculatio verò ad cognoscendum; eo modo aliquid contingit esse practicum, quo ordinari ad operandum contingit; & eo modo, quo ab ordine, seù directione operandi receditur, & in ipsa rei cognitione fistitur, cognitionem contingit dici speculatiuam, & non practicam; alia ergo cognitio datur, quæ de se operatiua est, & practica, sed in modo procedendi non est operatiua, vel quia materia deficit, vel quia deest applicatio; aliquando verò cognitio tàm in substantia, quàm in modo practica est, & operationem habet, & quando in modo procedendi, & in exercitio non datur practicum, quia non exercetur, dicitur illa cognitio speculatiua, scilicet ex parte modi, licèt ex sua substantia, seù specie, operatiua, & practica sit. Verbi gratia, Ars ædificatiua suam cognitionem ad opus faciendum ordinat, talis cognitio ex sua specifica ratione est practica; tamen eius exercitium, seù applicatio potest aliquando non esse practica, nec ad opus ordinari, vel quia materia, circa quam operatur, deest, vel quia res non est in statu, quo fiat, sed in statu, quo facta est, & iam præterijt; & ideò circa talia non potest dari practicum in exercitio, sed illa cognitio ex modo operandi dici potest speculatiua, & sic Diuus Thomas Dei scientiam quę erga possibilia versatur, quę numqam facienda sunt, speculatiuam vocat; quæ verò circa Creaturas existentes versatur, practicam vocat 1. p. q. 14. art. 16. cum tamen illa, quæ circa possibilia, quæ non sunt facienda, versatur, sit illorum factiua in virtute, & potestate.

Eodem modo Conscientia cum sit dictamen practicum potest considerari, vel quoad speciem, & substantiam suam, seù formalem rationem; vel quoad modum, & applicationem suam, & exercitium. Si Conscientia quo ad spetiem, & substantiam suam consideretur, semper est practica, qu a uim directiuam, & operum moralium regulatiuam habet, sicut ipsamet, & prudentia, cuius Cōscientia dictamē est, & sic etiam ipsa Conscientia prout res in communi, & secundùm principia vniuersalia considerat, est practica, quia etiam prout sic, eius vis est vis ex sua specie, & ratione directiua ad opus, & hæc eadem cognitio etiam prout respicit præterita, adhuc in virtute, & specie sua practica est, quia regulæ illæ, & formalis ratio, qua talis cognitio procedit, operatiua est, & uim habet operatiuam, si materiæ habili ad efficiendum applicetur.

Cæterum ex parte modi, & exercitij, seù applicationis illud iudicium non dicetur practicum, nec illa cognitio practica erit, quę non operatur, nec versatur circa rem in statu, & modo operabili, & ideò illud Iudicium, seù dictamen manet speculatiuum quoad modum, licèt in virtute, & formali ratione practicum sit. Vnde si dictamen circa agenda in communi, & non considerando circumstantias, versetur, vel circa præterita, quæ iam non sunt in statu factibili, Iudicium quoad modum erit speculatiuum, quia non procedit operando, seù exercendo operationem, in virtute tamen, & substantia practicum iudicium est, quia operis factibilis est directiuum, si in statu, quo fieri possit, ponatur.

Petes 2. *Supposito quod Conscientia est Iudicium, seù Dictamen practicum. An semper sit Iudicium practicum, & coniunctum cum effectu? Siquidem ad Iudicium practicum videtur infallibiliter sequi operatio; quod si ita est nunquam contra Conscientiam operari poterimus, quia nonnunquam possumus contra Iudicium practicum operari, illud què frustare.*

Respondetur, non omne dictamen, & Iudicium practicum esse efficax infallibiliter, sed si alicui dictamini practico competit ista efficacia, est Imperij dictamen, quod est vltimum ad operationis executionem, ante Imperium verò, imò ante electionem præcedit Consilium, & Iudicium de electione, & ante electionem circa intentionem finis determinati in hac, vel illa materia, præcedit etiam Iudicium de conuenientia finis intendendi. Ista ergo Iudicia consultatiua non habent adiunctam infallibilitatem ad opus, sed possunt deseri, aut sequi & in his præcipuè Conscientia consistit, quæ ostendit, & consulit id, quod secundùm rationem debet agi, nec enim quodcumque Iudicium practicum dici potest Conscientia, sed solum illud, quod iudicat aliquid vt conforme rationi, siuè verè, siuè existimatè, & ideò dici potest, quod aliquis contra conscientiam agat, quia potest dimittere, seù nō sequi dictamen illud, quo proponitur id, quod est rationi conforme, in quo propriè conscientia consistit, sed potest aliud dictamen sequi practicum rationi contrarium, atquè adeò contrarium conscientię, & sicut non repugnat esse diuersa dictamina, quorum vnum alterum excludit: ita non repugnat dari dictamen practicum malum contra conscientiam, licèt semper conscientia maneat quantum ad sua principia communia, scilicet ex parte synderesis, quę remurmurat, & repræhendit id, quod fit contra conscientiam in particulari.

Petes 3. *Supposito quod conscientia est Actus Iudicij, & non habitus formaliter, tamen necesse est, quòd iste actus, vel iudicium ab aliquo principio, seù habitu procedat, quis ergo est iste habitus, à quo procedit conscientia?*

Respondetur, conscientiam bonam proximè, & formaliter a Prudentia procedere, quæ rectum cō silium, & dictamen præbet de agendis; malam verò conscientiam ab opposito vitio Imprudentiæ procedere, & hæc virtus, à qua inmediate procedit conscientia habet nomem proprium; scil. Prudentia, nec potest appellari conscientia, sicut nec appellatur dictamen, nisi abusiuè. & causaliter, quia est dictaminis causa, at verò remotè, & originatiuè conscientia procedit, & formatur ex diuersis principijs, & notitijs, præsertim à synderesi, quę est habitus primorum principiorum in practicis. Et ideò quia principaliter originatur ab illo, conscientia quandoquè synderesis nominatur, vt ex Sancto Hyeron. & alijs docet Diuus Thomas 1. *p. q.* 79. *art.* 13.

Constat autem, quod agendorum Regula ex pluribus notitijs, scilicet ex primis agibilium principijs, quæ ad synderesim pertinent, colligatur, constat siquidem ex ipsa experientia, ex his, quæ fides docet, ex aliorum exemplis, & similibus alijs, ex quibus probabilitas, certitudo, aut securitas in se moralis pendet, sed hæc omnia ad scientiā, seù notitias præsuppositas pertinēt; conscientia verò solam non dicit scientiam, sed scientię applicationē, & dictamē, quasi cum alio scientiam; sicut Conclusiones in speculatiuis ex pluribus principijs dispositis, & artificiosè directis generantur. Et ita quandò ex his notitijs moralibus aliquis procedit ad formandum, & applicandum aliquod dictamen in particulari, de eo quod faciendum est, iuxta id, quod iudicatur esse rationi conforme, dicitur Conscientiam formare, & Iudicium practicum de agendis. Vnde tale Iudicium si sit rectum, proximè, & elicitiuè ad Pruden-
tiam,

etiam, si rectum non sit ad imprudentiam pertinet. sed quia Prudentia habet tres actus, scilicet consiliari, iudicare, & præcipere, ad duos primos pertinet Conscientia, quia ad Conscientiam pertinet dictamen, seu Iudicium de agendis, quod per consilium habetur, & ad Iudicium, sicut & consilium cointingit deponi, aut mutari, aut etiam operari contra illud accipiendo oppositum Iudicium, vel consilium, at verò Imperium, quod est vltimus actus Prudentiæ, exequutionemquè habet paratam, non est ipsa conscientia, sed quid ad illam consequutum, & si efficax Imperium sit, non contingit contra illud agere, sicut agitur contra conscientiam. Agitur autem contra illam non remanente conscientia, seu dictamine bono in particulari, sed eo repulso per malum dictamen, & sic numqunm sunt simul conscientia, & malum dictamen, sicut nec vitium, & virtus; remanet tamen conscientia quoad Iudicium in communi, & principia vniuersalia, ex quibus contra prauum dictamen remordet, remurmurat.

Pertes 4. *estò Conscientia sit Iudicium praticum Intellectus, quæ sunt obiecta de quibus est huiusmodi Iudicium?*

Resp. certum esse quod huinsmodi Iudicium est de agibilibus, idest de his, quę per nos fiunt, huiusmodi autem agibilia sunt in triplici differentia: quædam sunt futura, vt cum conscientia dictat aliquid esse agendum, vel euitandum: alia sunt præterita, vt cum conscientia testatur, aut accusat aliquid mali, aut peccatum fecisse eum, in quo est talis cōscientia, aut dictamem; alia verò sunt præsentia. Sed est prima difficultas, etiam si conscientia prout versatur circa futura, & aliquo modo circa præsentia sit dictamen practicum, tamen prout versatur circa præterita, non ita, quia, vt sic, non dictat aliquod esse faciendum, aut fugiendum, sed accusat, vel excusat malum, quod iam factum est.

Dicere posset aliquis, quod etiam conscientia sit practicum Iudicium, quatenùs dictat retractandum esse, quod malè factum est; tamen ista solutio non satisfacit, quia quamuis conscientia in peccatore dictet, retractandum esse peccatum, quod iam est commissum; tamen retractatio ista non est pręterita, sed futura: conscientia autem est de peccato pręterito, & accusat illud, præsertim, quia etiam in damnatis conscientia accusat, & reprehendit peccata præterita, & non inducit ad retractationem; potiùs eorum superbia ascendit semper; nō nego quod in damnatis ex eo, quod conscientia vitam præteritam accusat, & reprehendit, fit dolor, tamen nō est retractatio, sed dolor ipsos crucians, & non fructuosus. Dicendum ergo est ad Argumentum, cōcedendo, quod conscientia, prout est Iudicium practicum solùm versetur circa futurum, & aliquo modo circa præsens, tamen prout versatur circa præterita, quę accusat, ac reprehendit, & mordet testificando peccatum, quod fuit commissum, solum est Iudicium speculatium, & non practicum.

Secunda Difficultas. An sit aliquis actus conscientiæ circa id quod de præsenti agimus, & volumus. Nonnulli negant, quia inquiunt, conscientia semper debet præcedere id, quod hic, & nunc agimus, aut volumus. sed videtur dicendum, etiam circa agibilia, quę sunt præsentia hic, & nunc versari conscientiā, aut dictamen rationis, quod idem est. Probatur, quia cum quis agit cōtra propriam conscientiam, dicitur conscientia arguere, tamquam sit aliquid malum id, quod agit rursus dicitur instigare ad oppositum; Ergo conscientia etiam est circa actus præsentes; deindè, quando quis agit iuxta propriam conscientiam, dicitur propriæ conscientiæ aut dictamini rationis conformari, est ergo conscientia pręsens, aut dictamen rationis quando operamur conformiter ad illam. Imò difficilè, & impossibile est, quod quis benè operetur, quando non est dictamen rationis prudentiale præsens: aut quod malè operetur ex conscientia erronea culpabili, quādo actu non est iudicium erroneum. nec fundamētum contrarium aliquid valet: fatemur itaque dictamen, aut iudicium conscientiæ, regulariter loquendo præcedere actus nostræ voluntatis: nihilominùs non ideò cessat, quando volumus aliquid secundum dictamen conscientię, aut contra illud.

Si autē aliquis dicat: quomodo possit esse, quod dū cōscientiæ dictamē est præsens, quo intellectus iudicat aliquod esse agendum, voluntas habeat actum contrarium?

Respondetur hoc non repugnare: primò quia Conscientia, quę dictat aliquid esse agendum, non semper dictat, illud esse necessarium, aut sub Præcepto, sed potest aliquid dictare, esse bonum sub consilio, & stante hoc dictamine, oppositum voluntas potest velle. Secundò, etiam quandò Conscientia dictat aliquid esse agendum, aut vitandum sub pręcepto, manente illo dictamine, potest voluntas velle contrarium, quia Conscientia, aut istud rationis die, tamen voluntatem non necessitat: aliàs liberum tolleretur arbitrium. Dico ergo quod stante isto Conscientiæ dictamine, stare simul potest aliud iudicium ex appetitus, aut sensualitatis suggestione, qua intellectus iudicet bonum delectabile esse appetendum: rursus potest hoc iudicium magis voluntatem mouere, quam Conscientiæ dictamen, propter maiorem ponderationem, aut alias ob causas, & ita poterit voluntas contra propriæ Consciētię dictamen agere, adhuc quando tale dictamen est pręsens. legite Diuum Thom. de veritate quest. 17. art. 1. ad 4.

Petes. 5. *quomodo in nobis conscientia formetur, & qualiter à scientia, & ab opinione distinguatur, & an ex frequenti vsu, & exercitio conscientiæ aliquis in nobis generetur habitus.*

Respondetur ex Diuo Thom. in 2. dist. 24. q. 2. art. 4. conscientiam in nobis hoc modo formari. fit enim in mente nostra instante, verbi gratia, occasione adulterandi, disputatio quędam, cuius maiorem facit synderesis, & dicit, *omne malum est fugiendum*; minorem verò facit ratio superior, dicendo, *Adulterium est malum, quia à Deo prohibitum*: vel etiam fortè facit hanc minorem ratio inferior, dicendo, *Adulterium est malum, quia iniustum, vel inhonestum*: Conscientia autem audiens hæc, concludit, ergo. *Adulterium, hic, & nunc, est fugiendum*, & hac de causa conscientia dicitur, quasi concludens scientia ex quibus. Colligitur primò, in quo conscientia synderesi distinguatur, quod synderesis de principijs moralibus vniuersalibus iudicat, verbi gratia, *omne bonum est amplectendum*. conscientia verò de conclusionibus ex his principijs deductis iudicat.

2. Colligitur, in quo conscientia à scientia, vel ab opinione morali distinguatur, quod scientia, & opinio iudicat de Conclusionibus vniuersalibus euidenter, vel probabiliter deductis: verbi gratia de hac Conclusione; *Adulterium est fugiendum*; conscientia verò de huiusmodi Conclusionibus, non in communi, & vniuersali, sed in particulari iudicat, scilicet de hoc adulterio faciendo, vel non faciendo hic, & nunc, in hac occasione, & cum istis circumstantijs: ideò Diuus Thomas lococit. conscientiam appellauit

uit scientiæ applicationem ad opus hic, & nunc faciendum: vtrum autem, vel quomodò conscientia ab actuali iudicio, prudentia, aut imprudentia distinguatur, partim diximus suprà, partim aliquid dicendum est infra.

Tertiò colligitur bene stare, quod aliquis cōtra scientiam, vel opinionem, quam alicuius habet cōclusionis, agat, & nihilominus nō agat contra propriam conscientiam, sed iuxta illam: vt si, verbi gratia, quis sciat in communi, Adulterium non esse committendum, & oblata adulterandi occasione, debitam adhibeat diligentiam, & consultationem circa omnes, & singulas circumstantias concurrentes, quibus inspectis iudicet licere hic, & nunc adulterari, vel quia non potest aliter propriam vitare mortem, vel quia ex suo adulterio Patriæ Libertas pendet, propter quod indicat, licèt falsò, licitum esse adulterium, tunc enim iste adulterando contra propriam conscientiam non agit, quamuis verè agat contra scientiam, quia conscientia supra scientiam addit applicationem ad opus, quod in hoc casu licitum iudicatur.

Si autem quæras, an ex frequenti vsu, & actuum conscientiæ exercitio aliquid in nobis generetur habitus. Resp. negatiuè, tum quia nullus habitus est, quia per se, & immediate propositionis particularis assensum respiciat; tum secùndo, quia iuxta varias materias varij possunt conscientiæ actus assignari, quibus non potest vnicus habitus deseruire; nisi dicere placeat, conscientiæ rectæ, & etiam erroneæ actus, quando error est inculpabilis; pertinere ad Prudentiæ habitum, actus verò conscientiæ plauæ ad habitum imprudentiæ pertinere, de quo supra. Interim videatur Sanctus Thom. *locis tit.* ita N. Corneio *trat.* 8. *disp.* 1. *dub.* 3. *Tom.* 1.

DVBIVM QVINTVM.

De varijs Conscientiæ Diuisionibus in conscientiam certam, dubiam, probabilem, speculatiuam, practicam, & erroneam.

MVltiplex est conscientiæ diuisio, sed potest per sua genera reduci primo ad duo genera. Nam conscientia, vel ex parte obiecti, circa quod versatur, vel ex parte modi operandi, seù dirigendi operationes, diuidi potest. ex parte obiecti, cōscientia in bonam, & malam, seù veram, & falsam diuiditur. Bona dicitur, quę circa obiectum benè, idest conformiter ad Rationis regulas versatur; & hæc conformitas non sumitur rursus ab obiecto ad conscientiam, quasi illud sit conforme obiectum, quod à bona conscientia, & dictamine attingitur, sed bonum obiectum dicitur, quod legi diuinę, vel humanæ, quæ à diuina deriuatur, seù rationis principijs conformatur; dictamen autē, seù conscientia bona, & certa, est illa, quæ tale obiectum sic regulatum proponit, & rursus illud benè proponere debet, quia cum istud obiectum in exercitio debeat secundū debitas circunstantias fieri, quę ad modum pertinent, quo res fieri debet, oportet, quod in isto modo, & circumstantijs non erretur; sed conscientia, seù dictamen obiectum illud benè proponat, idest debitis, & bonis circumstantijs, & modo agendi. ex hoc autem potest dignosci oppositum, scilicèt conscientia mala, quæ sit, nempè, quæ vel obiectum malum proponit, vel bonum obiectum non benè, sed malo modo, aut non debitis circumstantijs proponit.

Hinc etiam dignoscitur; quæ sit vera, quę falsa conscientia, idest verum, vel falsum dictamen. Vera enim conscientia dicitur, quę vtitur regula, & doctrina vera; falsa autem, quæ falsis regulis, aut doctrinis, vel notitijs vtitur. Et in his rebus practicis, cum veritas numquam sumatur ex eo, quod in re est, vel non est (id enim speculatio considerat) sed ex eo, quod conueniens, vel disconueniens est iuxta regulas prudentiæ, in idem recidit, quod cōscientia vera, vel falsa, & quod si bona, vel mala; quia illa est falsa regula, quæ in incōueniens ducit.

Secùndo modo sumitur conscientię diuisio ex parte modi operandi, seù dirigendi actiones, in conscientiam certam, dubiam, probabilem, scrupulosam, erroneam. Certa, seù indubita conscientia, est, quę nulla exhitatione, vel formidine de opposito pulsatur, Probabilis est, quæ vni adheret parti, formatquę dictamen de agendis ex probabili fundamento, non tamen certo, omnemquè formidinē, & exhitationem excludente. Potest autem dupliciter esse conscientia probabilis; vno modo speculatiuè tantùm, alio modo etiam practicè; speculatiuè dicitur probabilis, quæ ex probabilibus fundamentis iudicium de aliqua re secundum se format, & quasi in abstracto antecedens prudentiale iudicium, quod de re attentis omnibus circunstantijs hic, & nunc formatur. practicè autem probabilis dicitur illa conscientia, quæ iudicium de re non in abstracto, & secundùm se format, sed iuxta Prudentiæ directionem omnes hic, & nunc circunstantias attendentis. Et in summa; probabilis speculatiuè est, quæ in disputando, & cognoscendo precisè, suam habet probabilitatem, vel fundamentum; practicè verò, quæ in agendo, & dirigendo hic, & nunc probabiliter procedit, idest, non temerariè, sed prudenter.

Reicit autem hanc distinctionem Lorca *hic* 1. 2. *disp.* 38. *memb.* 1. cum Corduba *lib.* 3. *quæst.* 5. & alijs, leui ductus fundamento, quia tam practicū est, quod pertinet ad conscientiam secundùm se, & abstractè, seù in communi, quam determinatè, & in particulari, nec enim differūt in ratione practici hæc duo iudicia: *Omnis acceptio rei alienæ inuito Domino est illicita: & Acceptio rei alienæ inuito Domino est illicita*, quia vtrumque ad voluntatis directionē pertinet.

Confirmatur, quia impossibile est, iudicium practicum esse certum existente dubio speculatiuo. Nam iudicium practicum est conclusio à iudicio illo speculatiuo, vt à præmissa, à qua deducitur, dependens. Vt enim formem iudicium practicum, quod iste cōtractus est licitus, debet deduci ex duplici præmissa, Altera, *hoc genus contractus est licitus*, Altera, *hic contractus est talis generis*, vbi, illa maior est speculatiuè, & in vniuersali cognita, & tamen si est dubia, non potest conclusio esse certa, quia qualibet præmissa existente dubia, dubia manet conclusio.

Cæterū distinctionem hanc communiter omnes doctores admittunt, vt fatetur *Diana* 4. *parte trat.* 3. *de conscientia dubia, resolut.* 1. videndus est Caietanus 1. *tomo opuscul. trat.* 31. *Resp.* 13. *dub.* 7. Nauarrus *in cap. si quis autem dependentia. dist.* 7. *nu.* 61. Medina *super quæst.* 19. 1. 2. *art.* 6. *dub.* 4. Bachonius N. 4. *dist.* 1. *q.* 3. Lezz. *tom.* 2. *Theol. disp.* 12. *q.* 2.

Et ratio est manifesta, nam ratio in his rebus humanis, vel contingentibus, non potest semper penetrare, & cognoscere, quid sit, vel non sit à parte rei, & quando aliquid perueniat, vel non perueniat ad rationem peccati, nam etiam in his, quę volumus, & cogitamus latet nos, An consentiamus, vel resistamus, & in alijs multis non possumus plenè scire quid sit, vel non sit in re, sed in hoc manemus

mus dubijs, vt coniux, quę nō scit, an in re sit, vel nō sit mortuus eius vir: si hic, vel ille fundus est meus, vel non, in rei veritate: & tamen licèt non penetremus, quid verè in re sit, vel non sit; possumus tamē prudenter arbitrari, & dirigere quid faciendum sit, ergo in ipso iudicio, ac conscientiæ dictamine differunt quandoquè formatio iudicij speculatiui, & practici.

E contra etiam potest esse probabile iudicium de rebus agendis disputatiuè, & speculatiuè; practicè verò non, sed esse incertum, constat; quia multoties valdè probabiliter ex principijs discurrimus, quę circa aliquem finem, & circa alicuius actus naturam, bonitatem, aut malitiam assequimur, & tamen experientia oppositum monstrat, pluraquè inconuenientia ab experientia, quàm à discursu monstrantur; Prudentia autem maximè ab experientijs formatur. Et similiter Prudentia maximè innititur diligentiæ, & circumstantiarum attentione, quę hic, & nunc solēt occurrere. speculatio autē ab eis quandoquè abstrahit, & ita à principijs sic abstractis cōsideratis, iudicatur quandoque probabile, quod pluribus alijs attentis, & sub alia consideratione visis, non ita probabile iudicatur. Nequè hoc Lorca negat: sed dicit hoc non esse distinguere practicum, & speculatiuum, sed considerare quid habeat actus ex sua natura, & quid non habeat ex circumstantia. Sed hóc verum est, tamen hoc ipsum est procedere speculatiuè, & practicè; quia considerare, quid habeat actus ex natura sua, est speculatio, quia est abstractio; & quid habeat ex circumstantia, seù exercitio, hoc est practicè procedere, quia est operari.

Ad fundamenta autem opposita constat ex dictis; dicimus enim, quod illa iudicia tam in vniuersali, quam in particulari pertinent ad lineam practicam, sed non semper eodem modo applicantur, & ordinantur; potest enim id, quod practicum est ex sua specie, & ratione formali, modo applicari, & ordinari non practico, & sic iudicium dicitur speculatiuum etiam si de re practica sit, quia saltem quantū ad modum, speculatiuum est. Nec nos dicimus, quod illud iudiciū in vniuersali, *omnis acceptio rei alienæ est licita*, pertinet ad speculationem, & illud particulare, *& acceptio rei alienæ illicita est*, pertinet ad practicū; sed vtrūque potest ad praxim pertinere, si operatiuo, & prudentiali modo ordinetur, idest cum regulatione, & ordine ad operandum; & vtrumque potest speculatiuo modo attingi, si tam ipsa ratio, & natura actus in communi, quàm ipsum iudicium in particulari solum attēdatur pro cognoscenda ipsa rei natura, & quid in se sit; & non pro operanda hic, & nunc, & attentis circumstantijs.

Ad Conf. fundamentum dicitur, verum esse, quod altera præmissa existente dubia conclusio illata non potest esse certa: negamus tamen quod iudicium speculatiuum dubium sit præmissa deseruiens pro conclusione practica, sed dicimus vtrumque iudicium, de quo in præsenti loquimur, tam speculatiuum quam practicum est, iudicium per modum conclusionis, vnum illatum ex suis pręmissis speculatiuis modo speculatiuo: Alterum ex practicis modo practico, non vero speculatiuæ præmissę seruiunt pro conclusione practica inferenda; Hęc enim prudentialiter, seu practicè infertur, non scientificè. quare in illo syllogismo, qui ponitur in Argumento, dicimus, quod illa præmissa vniuersalis, quæ speculatiuè ponitur, nō influit in conclusionē practicā, si est dubia; sed conclusio, si est practica, & certa, infertur ex alijs pręmissis modo practico, & prudentiali expositis; videlicet: *facta sufficienti diligentia humano modo, & non inuento quod sit malum; licèt illud agere*, licèt dubitemus speculatiue: *hic, & nunc, est facta sufficiens diligentia circa hunc contractum, vel hunc actum, & non inuenitur in eo malitia*: ergo licet operari.

Petes 1. *Quæ sit conscientia dubia, scrupulosa, & erronea.*

Respondetur, quòd conscientia dubia, si sumatur dubium speculatiue pro eo quod potest esse verum, vel falsum, seù ad vtrumque contingens, est idem quod opinabile, seù probabile, & non certum, quia semper habet formidinem de opposito, & potest subesse vero, vel falso; si verò sumatur dubium practicè, seù operatiuè, est idem quod indeterminatū ad operandum pro vtraque parte. Et sic conscientia dubia, illa dicitur, quæ ex vtraque parte habet formidinem, ità quod neutra alteram sufficienter vincat, sed hæsitat, & ex rationum vi non determinatur. Sic ergo dubitatio practica annexam habet indeterminationem, & indecisionem ex parte rationum, & fundamentorum, ità vt hęc pars alteram etiam prudentialiter, & in modo operandi non vincat. Dubium autem practicum cum in ipsamet prudentia dubitationem relinquat, non peruenit ad formandum iudicium prudens determinatè, sed infra prudentiæ determinationem manet, sicut in scientia, seù cognitione scientifica, & illatiua dubium speculatiuum dubitationem relinquit, ità quod ipsa scientia ad certum non peruenit iudicium, dictamē autem, quod adhoc non peruenit vt sit determinatè prudens, si illud sequamur, imprudentia erit, atquè temeritas.

Conscientia scrupulosa minor est dubia, scilicet illa, quæ leui dubio ducitur, & exhitationem, seù indeterminationem ex prauo fundamento ortam habet; sed tamem licèt scrupulus dubium paruum, & leue sit, si tamen practicum sit, idest in ipsa prudentia, & in modo prudentiali agendi, impedit formare prudentiale dictamen stante tali scrupulo, vndè vel deponi debet, aut contemni, vt illo non obstante Iudicium formetur prudentiale de facto, & determinatè. Quod si impediente scrupulo non formetur; semper id, quod sit semper extra prudentiæ limites, & sine regulis rationis erit. Conscientia verò erronea est, quæ falsis principijs, & fundamentis format dictamen, seù Iudicium, & tamen apparenter rem illam repręsentat tamquam regulā agendi rationabilem, cum in reuera regula non sit. Sed de his omnibus conscientię diuisionibus suas proprias disputationes infrà discutiemus.

Petes 2. *Quid sit conscientia secura?*

Respondetur, Conscientiam securam inter membra conscientiam diuidentia nō annumerari, quia conscientiæ securitas est finis, qui in formanda conscientia intenditur, & potest conscientia secura tum in conscientia certa, & indubitata, tum in probabili, si practicè probabilis sit, inueniri. Conscientia ergo secura potest vnico verbo dici, quod est conscientia prudenter formata: vbi enim prudentia operatur, abest temeritas, & sic securè proceditur, quia prudentia securam prębet regulam, cum sit virtus. Vndè Colligitur, quod conscientia, vt secura sit semper aliquam expostulat certitudinem saltem practicè. Nam, si secura sit, quia indubitata, & certa, nec aliqua formidine pulsatur; manifestè constat, se puram, & certam esse. Si secura sit, quia probabilis, debet de eius probabilitate certitudinem habere, idest, quod licèt aliqua dubitatione pulsetur de eius veritate (quoad speculationem spectat) tamen operans debet esse certus, quod sufficientèr adhibuerit diligen-

diligentiam, sicut ad prudentiam requiritur. Et tunc prudentialiter, & moralitèr certus est, sicut requiritur ad Prudentiam quia est certus diligentiam adhibuisse, aut obseruasse illa, quæ ad prudentiam requiruntur; Prudentia autem Regula certa est, & Habitus practicè certus, siquidem est virtus. Si autem non peruenitur ad hoc, vt Iudicium de factò, & certò sit prudens, erratur in illo, & conscientia non est secura, licèt speculatiue, & disputatiuè probabilitatem habeat sed hæc intellige iuxta dicenda Dub. sequentibus.

DVBIVM VI.

An Iudicium practicum, seù Conscientia ad benè operandum requisita, debeat esse certa, & euidens formalitèr tam speculatiuè, quam practicè.

Conclusio. Ad honestam operationem non requiritur Iudicium Intellectus, quod certò, aut euidenter formalitèr dictet aliquid esse licitum, aut honestum; atquè adeò, etiam si quis habeat partis oppositę formidinem, imò, & Iudicium probabile, quod aliquid sit illicitum, potest illud licitè amplecti; Ita Caietanus *tom. 1 Opus. tract. 31. respons. 13. dub. vlt* Nauarrus *in cap. si quis, aūt de Penitentia dist. 7. num. 61. 62. 63.* Montesinos *disp. 29. q. 1.* Sanchez *lib. 1. summæ cap. 9. num. 16.* Almainus *tract. 3. moral. cap. 3.* Lorca *disp. 39.* Vasquez *disp. 62. cap. 1. in 1. 2.* Salas 1. 2. *q. 21. tract 8. sect. 4.* Probatur Conclusio à priori, illud, quod non requiritur, vt quis prudenter operetur, non requiritur ad operationem honestam; sed vt quis operetur prudenter, non requiritur formaliter Iudicium, quod certò, & euidenter dictet, aliquid esse licitum; ergo formaliter istud Iudicium non requiritur ad operationem honestam; minor patet, quia ad honestè operandum, satis est secundùm rectam rationem operari, idest, sicut homo verè prudens iudicat esse operandum: recta enim ratio, seù prudentia est actuum humanorum Regula, vndè quidquid ad prudentem non requiritur operationem, nec etiam ad operationem requiretur honestam; Minor probatur, quià non solum res speculatiuæ, quę in scientijs naturalibus, & Theologia scholastica disputantur, sed multò magis res practicę sunt cognitu difficillimę, & indè ortum habet, quod pleraquè sint in opinione Doctorum; ergo impossibile est, quod secundùm prudentem, & humanum operandi modum, requiratur certitudo, & euidentia. Esset enim id redigere hominis operationem ad angustias inextricabiles, & insuperabilem difficultatem.

Conf 1. Quia prudēter se gerit professor alicuius facultatis, verbi gratia, Theologiæ, qui publicè opinionem doceat probabilissimam, & si videat contrariam esse probabilem, atquè adeò timeat, an fortè doceat veritatem: ergo prudenter etiam operatur, qui in suis operationibus sequitur id, quod probabilissima ratione credit licere, licèt prudēter timeat, an fortè id non sit verum propter rationes, quæ cōtrarium videntur suadere. Conf. 2. Vix in paucis rebus sciunt euidenter homines sapientes, quid hic, & nunc liceat, ergo multò minus id scient plerique minùs sapientis; ergo nullus ad prudenter operandum iudicio indiget practico, certo, alioquin damnandę essent plereque hominum timoratorum operationes. Conf. 3. quia vt posteà videbimus, in opinione positum certę, an liceat amplecti opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori: ergo non potest quis certò, aut euidenter iudicare, id sibi hic, & nunc licere, & tamen videmus multos viros doctos, & pios, quorum vitam nemo, nisi impius damnabit se accommodare opinionibus minùs probabilibus, & sine vllo conscientiæ scrupulo in prax docere; ergo ad bonam operationem non potest requiri formaliter iudicium, quod certò dictet aliquid licere. Cōf. 4. Quia scrupulosi etiamsi cum formidine operentur partis oppositę, operantur tamen rectè, secundùm communem Doctorum opinionem; de quo infrà; ergo ad honestè operandum tanta non requiritur certitudo, quæ omnem formidinem excludat.

Oppositam sententiam tenet Caietanus sup. nempè requiri iudicium practicè certum; hanc autē Certitudinem dicit non debere esse Matematicam, sed solum moralem, Caiet. sequuntur Nauarrus, vt supra, & aliqui Iuniores; pro qua;

Arg. Omnis peccat, qui se exponit periculo peccandi iuxta illud Ecclesiastici 3. num. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*, sed ille, qui non iudicat certò aliquid sibi licere, aut probabiliter credit esse illicitum, si illud faciat, se exponit periculo peccandi, ergo verè peccat, atquè adeò non operatur prudenter, & honestè; minor patet, quia velle aliquid, quod homo credit posse esse illicitum, est exponere se periculo amplectendi peccatum, nam si forrasè illud obiectū foret à partè rei illicitum, vellet verè aliquid, quod est peccatum, sed quoties Homo non certò nouit, aliquid esse licitum, consequenter iudicat fortassis illicitum; ergo quoties operatur sine iudicio certo, exponit se periculo peccandi.

Resp. negando minorem, & ad probationem distinguenda est maior: si enim quis ita crederet esse illicitum, vt non haberet iudicium, quod probabiliter dictaret esse licitum, verè se exponeret periculo peccandi: ideò enim peccant, qui dubitantes an aliquid sit peccatum, illud adhuc, uolunt, vt inf. patebit, si vero ita quis credit, probabiliter esse illicitum, vt simul probabilem habeat assensum, qui potius dictet esse licitum, non se exponit periculo peccandi, quandò illud amplectitur, quia vult aliquid, quod secundum humanum, & prudentem operandi modum, iudicat esse licitum, & Deus nihil amplius à seruis suis exigit.

Vrgebis. Iudicium probabile potest esse falsum; ergo quandò quis sequitur iudicium, quod solùm probabiliter dictat, aliquid esse licitum, sequitur iudicium, quod potest esse falsum: ergo potest cōtingere, vt verè sit illicitum illud, quod Homo amplectitur; ergo si illud amplectatur, amplectetur aliquid malum; ergo verè peccabit.

Resp. concedendo Antecedens, & primam consequentiam, sed distinguendo 2. & 3. Consequens; etenim contingere potest, vt id, quod Homo in prædicto casu amplectitur, si sit secundùm se illicitum, idest, prohibitum à Deo vera lege naturali, atquè adeò illud erit secundùm se malum; cęterum proùt proponitur, non potest esse illicitum, & malum: quia qui probabiliter iudicat, & existimat, illud non esse illicitum, aut malum, prudentèr sibi persuadet, esse bonum, & perindè se habet, ac si incuncibilitèr ignoraret esse malum, vnde, sicut ignorantia inuincibilis efficit, vt Homo volens obiectum malum, benè operetur, quia prudenter putat esse bonum, ita probabilis opinio efficit, vt illam Homo sequens, benè operetur, quia Deus, aut naturalis ratio non exigit ab Homine perfectiorem cognitionem honestatis obiecti; quare neganda est vltima consequentia, quia non peccat ille, qui vult obiectum malum, quando prudenter sibi persuadet esse bonum.

DVBIVM SESTVM.

An cum Homo bene operatur, semper habeat saltem virtualiter aliquod Iudicium, quod sit certum, imò & euidens.

Conclusio. Probabile mihi videtur, cum homo benè operatur, semper habere saltem virtualiter aliquod iudicium quod sit Certum, imò, & euidens. Hanc conclusionem fortassè voluit Caietanus, & Nauarrus *locis citatis in dubio praecedenti*. Probatur hac breui ratione. Iudicium prudens ad honestè operandum requiritur, vt supra dictum est: sed Prudentia debet esse omnino, & euidens, & certa; ergo, & iudicium, quod ad honestè operandum requiritur. Minor declaratur, & probatur; & in primis si actus voluntatis à fidei cognitione dirigerentur, quæ interdum dictat, quid hic & nunc sit faciendum, non dubium est, quin Prudentia in hoc sensu, debeat esse certa, licet sit obscura; in rebus verò reliquis, in quibus à cognitione fidei non dirigimur, si Prudentia est certa, cõsequenter erit euidens, quia vt suppono, nullus actus intellectus veram, & propriam habet certitudinem sinè euidentiam, nisi sit actus fidei, vel cõclusio ex principijs fidei deducta. Probo ergo Prudentię actum semper debere esse certum, atquè adeò euidentem, quia de Virtutis intellectualis ratione est, esse certam: sed Prudentia est virtus intellectualis, ergo est certa; maior probatur ex principio in controuersia de virtutibus, recepto, scilicet, nullam virtutem intellectualem posse esse falsitati expositam; quia eo ipso, quod esset incerta, esset falsitati exposita, sicut sunt opinio, & fides humana, quæ propterea à ratione virtutis meritò excluduntur.

Dices cum Medina, (contrarium sentiente) 1. 2. *quest.* 57, *art.* 4. scilicèt ad benè operandum nõn requiri iudicium ita certum, ex modo cognoscendi, vt omnem excludat formidinem partis oppositę; Addit tamen, requiri dictamen practicum certum quantum ad directionem; hanc autem certitudinem solùm docet consistere, quod voluntas illius dictaminis directionẽ sequens) dupplicem euadat rectitudinem, vnam, quæ desumitur ex modo cognoscendi; alteram quę ex directione desumitur, & ita Prudentiam non esse certam ex modo cognoscendi, nec id ad virtutis intellectualis rationem requiri; esse tamen certam, & fallitati non expositam ex parte directionis, quia voluntas prudentiæ dictamen sequens, semper benè operatur, & nunquam potest errare. Sed hæc solutio non plenè satisfacit, nam licèt demus, dici posse veritatem, vel certitudinem illam, quæ solùm in directione consistit, hæc in rigore sufficiat ad benè operandum, ac proinde cognitio, quæ tali modo est certa; dici possit prudentię virtus, non tamen videtur negari posse, quin magis perfecta sit ratio intellectualis virtutis, si illam omninò certam, & euidentem constituamus; cum ergo & fieri possit facilè, vt videbibus, verisimiliùs erit, id esse de ratione virtutis. Confirmatur hoc præsertim in prudentia supernaturali, cum enim illa sit virtus infusa, videtur ad eius perfectionem pertinere esse cognitionem omninò, & absolutè certam, sicut etiam est fides, & sunt Spiritus Sancti dona, quæ ad intellectum pertinent, scilicet consilium, scientia, & sapientia, & sanè, nisi prudentiæ supernaturalis actus admittatur omninò certus, & euidens, dicendum erit ex parte voluntatis, piam requiri attentionem supernaturalem, quę intellectum ad iudicium prudentiæ determinet, sicut ad fidei iudicium requiritur, eò solùm quia fides non est euidens, vt in controuersia de fide ostenderetur, & diximus, *in 1. tomo nostræ Theologiæ quest.* 1. dicere autem talem piam dari affectionem, esset valdè singulare, & in Theologia inauditum, ex eoquè inferetur non requiri ex parte intellectus aliud iudiciũ supernaturale, quod talem piam dirigat affectionem, sicut comparatione piæ affectionis, quæ fidem præcedit, reperitur, quod est inauditum, & falsum; ergo cum eadem sit difficultas, quo pacto prudentia naturalis semper sit certa, & euidens, quæ est in defendendo hoc ipsum in supernaturali prudentia dicendum est, vtrãque esse absolutè certam, & euidentem.

Vt ergo res hæc breuiter dilucidetur. Aduerte, non esse adæquatum prudentiæ munus iudicare aliquid hic & nunc, esse bonum absolutè: id enim, vt rectè colligitur ex conclusione dub. præced. non sẽper potest certò, & euidenter constare; sed ad illam pertinere etiam iudicare, quid hic, & nunc appareat verisimiliter licitum, & hoc semper potest euidenter cognosci, quoties Homo euidenter operatur; nam cum ad honestam operationem iudicium requiratur, quod probabiliter saltem iudicet aliquid licere, eò ipsò quod talis detur cognitio, prudentia dictat, illud esse verisimile, quod perindè est, ac iudicare, illud esse probabile, & apparere ex circunstantijs rationabile, quod omninò certum, & euidens est, imò id includitur virtualiter in iudicio, quod probabiliter dictat, aliquid licere, non enim potest mihi aliquod esse probabile, quin possem reflexè cognoscere, illud hic, & nunc apparere verisimile.

Ex qua doctrina infertur primò, concordia huius Assertionis cum Assertione dubij præcedentis; illa enim prior conclusio asseruit ad honestam operationem non requiri formale iudicium, quod omninò certò, & sine formidine dictet, esse licitum id, quod voluntas amplectitur, sed sat esse si sit probabile; Assertio verò huius Dubij asserit, cum Homo honestè operatur, posse iudicium inueniri certum, & euidens dictans, quod verisimile seu rationabile sit hic, & nunc, prout ex circumstantijs elucet, licitum esse tale obiectum; quæ duo iudicia sunt compatibilia, sicut cumpatibile est, aliquid iudicari uerum assensu probabili, & tamen iudicari euidenter, esse probabile, seu verisimile.

Infertur 2. cur dixerit Sanctus Thomas 1. 2. *q.* 17. *art.* 3. *ad* 3. Veritatem cognitionis practicæ non consistere in conformitate eius cum obiecto, sed in Conformitate cum Appetitu recto. Voluit enim in primis Sanctus Thomas significare id, quod docuerunt oppositæ sententię in hac solutione, quam proximè retulimus, & præterea voluit, hoc Prudentię Iudicium non tam pensandum esse, ex eo quod obiectum sit licitum, vel illicitum, sed ex eo quod hic & nunc in ordine ad rectè operandum appareat verisimiliter licere, siuè enim obiectum in se liceat, siue non, eo ipso quod probabile sit, licere, elicitur actus Prudẽtię dictans hic, & nunc apparere verisimile. Quod sine dubio verum est, tum quia determinat ad benè agendum, tum etiam quia reuerà illud est verisimile, & ità Actus Veritatem affirmat.

Solùm obijciet aliquis, videri fictum semper elici à nobis istud iudicium, cum in praxi opinionem sequimur probabile, maximè cùm scrupulosi, & alij timorati semper timeant, an verisimiliter operẽtur.

Confirmatur quia hoc Prudentiæ Iudicium non potest

potest elici, nisi postquam Homo debitam adhibuerit diligentiam ad indagandam veritatem, sed sępe homo timet an istam adhibuerit diligentiam, ergo non semper habet euidens Prudentiæ Iudicium.

Respondetur primò, propterea dictum esse in Conclusione, hoc Iudicium saltem virtualiter reperiri, quia licèt non semper expressè habeatur, quatenus ita apprehenditur obiectum, & Ratio ad illud amplectendum monet vt facile haberi possit tale Iudicium. secundò Addo, illud Iudicium formaliter haberi sępè, maximè quãdo ex Prudentia operamur supernaturali, vt plerumq; operari possumus, nec id est gratis dictũ, sed rationabile valdè, & necessariũ ad prudentiam supernaturalem, ille verò scrupulosorum Timor ex duplici oritur Capite, vnũ est, quod illud prudentię iudicium affirmans hic, & nunc hoc apparere verisimile, non tollit, quin in Intellectu rationes sint probabiliter suadentes oppositam opinionem esse veram; scrupulosus autem excecatur, vt hæc duo confundat, & timeat se non habuisse euidens Iudicium de rei veresimilitudinem, quia illud non habuit de veritate suę opinionis. alterum est hoc Iudicium euidens non esse ità clarum, vt facile quis cognoscat se illud habere: vndè licet quis euidenter iudicet hic, & nunc, hoc esse verisimile, potest nescire certò an tale Iudiciũ habuerit, ac proinde hic, & nunc timere; sicut sępò quis elicit actum fidei diuinę certũ, & tamèn timet, an illud habuerit, imò interdum, an de fide dubitauerit; cum ergo nõ sempre actualiter ista habeatur Prudentia, poterit etiam inde oriri timor, An quis prudenter operatus sit.

Ad Confirmatum Rsp. quoties homo benè operatur debitam sine dubio adhibuisse diligentiam, ac proinde potuisse habere actum Prudentiæ, licet quia per actum reflexum non semper videmus maxima claritate mentis actus, sæpè timor subrepat, An debita diligentia fuerit adhibita, & An prudenter operemur.

DVBIVM SEPTIMVM

An conscientia vera liget, seu obliget.

PEtes 1. *An conscientia vera, quæ versatur circa bonum supererogationis An liget, seu obliget.*

Resp. conscientiam veram, quæ circa bonum super erogationis versatur non ligare, seu obligare propriè loquendo, sed dictat, allicit, & trahit ad illud. Hæc conclusio omnibus debet esse communis, conuincitur enim hac aperta ratione: Bonum supererogationis est illud, quod cum sit valdè bonum, non cadit sub præcepto, vel obligatione, sed proponitur vt liberè amplectendum; ergo à tali bono sub tali ratione proposito à conscientia, vel ab ipsa conscientia sub prædicta ratione non ligatur; seu obligatur homo; aliàs desineret esse bonum superogationis. Conf. tunc conscientia proponit bonum supererogationis, cum proponit illud vt amplectendum pro propria voluntate, & absque vi; nã si aliquod pręceptũ videretur, iam desinit esse bonũ supererogationis v. g., cum conscientia proponit eleemosinam faciendam extra casum nessitatis extremæ; tunc enim est bonum supererogationis quia Homo non tenetur illam dare neque conscientia dictat dandam sub aliqua obligatione, vndè si ponatur in patiente extrema necessitas iam deesset esse bonum superarogationis; & incipit esse bonum obligationis: similiter cum proponit conscientia virginitatis conseruationem absque connubitu sine aliqua obligatione, est bonum supererogationis, quod si præcessit votum Castitatis, iam transit in bonum obligationis. Et idem est in Omissionibus: si enim abstinere à concubitu ratione orationis repræsentetur à conscientia coniugatis, est bonum supererogationis, quia illi non tenentur; sed si idem proponatur à conscientia soluto, est bonum obligationis, quia concubitus prohibitus est ipsi. ex hac doctrina, apertè sequitur esse in implicationem dicere, quod respectu boni supererogationis liget, seu obliget cõscientia siuè ad operandum, siuè ad non operandũ, cũ eo ipso quod sit tale ligamẽ, desinat esse buuem supererogationis; sicut est impossibile quod Animal rationale sit irrationale, cum vnum ex his alterum excludat. Dixi autem in cõclusione *propriè loquendo*, quia improprie, vt est idem quod dictare, alliere, & attrahere, conscientia obligat, seu ligat ad bonum supererogationis.

Petes 2. *An conscientia, quæ versatur circa bonum necessitatis liget, & obliget. eo ipso quod ipsa dictat, itaut tale sit peccatum discordare ab illa.*

Resp. cõscientiã, quæ versatur circa bonũ necessitatis ligare, & obligare, eo ipso quod ipsa dictat, itaût tale sit peccatum discordare ab illa, quale per illam dictatur. Itaquè si dictat obligare ad mortale, fit mortale, vt non occidere, audire missam in die colendo; Dixi autem, *quæ versatur circa bonum necessitatis*, vt excludam conscientiam respicientẽ bonum supererogationis, de qua supra, & includerem conscientiam dictatem, siuè actum, siuè actus prohibitionis, tamquam quid obligatorium. Ita D. Thom. 1. 2. *quest. 19. art.* 3. *&* 1. *parte q. 79. art.* 13. *& quest.* 17. *de veritate art.* 1. ea communis sententia est scholasticorum *in 2 dist.* 39 vbi illam tenet S. Bonauent. *a.* 1. *q.* 3. Durandus *q.* 5. Ricard *art* 2 *q.* 3 Greg. *quest. vnica art.* 1. Henricus *quodlibet* 1. *quest.* 18. Almail. *trat* 1. *Moralium cap.* 5. & communiter omnes Theologi, & Sũmistę. Probatur ratione: lex æterna Dei ligat, & obligat, aliàs non esset lex; sed non potest obligare ad particularem actionem, nisi per conscientiam proponatur talis actio sub tali obligatione; ergo cõscientia inquantum proponit talem actionem sub tali obligatione, obligat, & ligat, seù quod idem est, lex æterna, vt continetur, & exprimitur in cõscientia; ma. est certa. minor probatur, quia lex æterna non potest applicari particulari actioni, regulare illam, vt bonam, vel vt malam, & obligare ad illam, vel prohibere illam, nisi speciali iudicio rationis, materia, seu obligatio ad specialem actionem applicetur. sed tale Iudicium applicans notitiam legis æternæ, vel naturalis est conscientia, vt dictũ est sup. dub. 3. & 4. ergo conscientia inquantum dictat talem legem, obligat, seù ligat. Maior probatur; nulla enim lex externa potest aliam mouere seù ad motum ligare, nisi per aliquem contactum suppositi vel virtutis applicetur, vt patet in motibus corporeis; lex externa, quę est quid extrinsecum nobis, non potest habere aliam applicationem ad voluntatem mouendam, vel ligandam nisi in quantum id proponit ei per iudicium rationis, vt satis patet. confirmatur, qui habet voluntatem faciendi cõtra pręceptũ obligans, quantũ est de se transgreditur illud, & si reuera de facto contra tale præceptum non operetur, sed qui discordat à conscientia dictante aliquid faciendum, vel non faciendum sub præcepto, habet eandem voluntatem transgrediendi Pręceptum; ergo reuera peccat mortaliter, vel venialiter iuxta diuersitatem obligationis repræsentatæ à conscientia.

 Conf. 2.

Confirmatur 2. quia Conscientia nihil aliud est, quàm illud dictamen seù Iudicium, per quod nobis innotescit & applicatur, seù proponitur Regula, & lex secundùm quam tenemur hic, & nunc operari, & quid in particulari agere debemus; igitur operari contra tale Iudicium, & dictamen, est operari contra Regulam, & legem manifestatam, seù contra id, quod tamquam Regula, & obligatio operandi proponitur. Voluntas autem sequitur obiectum non proùt in re existit, sed proùt sibi proponitur, & manifestatur; ergo si manifestur, & proponitur, vt obligatio operandi, & contra illam agit, seù non sequitur illam, qui in sua Voluntate contemnit legem, & obligationem: contemptus autem legis, & Auersio à lege, seù non implere legem, quandò obligat, peccatum est. Quare conscientia in vi huius principij innitur, & obligat Voluntatem ad sequendum se, quia videlicet tenetur aliquis nunquã legem contemnere, & quidquid sit, an in re sit, vel non sit talis lex, tamen si proponitur vt lex, & vt obligatio, si quis agit contra illam, iam habet animùm contemnendi legem, sed hic loquimur de conscientia vera, & certa.

DVBIVM VIII.

An agere contra Conscientiam certam, sit dispensabile saltem à Deo.

CONclusio: per nullam potentiam absolutam diuinam potest dispensari in conscientia certa, vel tolli eius obligationem, itaut sine peccato quis possit agere contra conscientiam dictantem, non licere illud. Conclusionem hanc, vt certam omnes debent admittere, neque enim contrariæ sententiæ probabiles sunt, vt videbimus effusè agentes; an dispensabilis sit à Deo conscientia erronea. De qua videantur noster sapientissimos Corneio *tract. 8. dub. 20. in Conclusionem*, Corduba *lib. 3. q. 10.* vbi licèt contrariam sententiam reputet probabilẽ, sed hanc multò probabilium Azzor. *tomo 1. summæ lib. 2. cap. 8. dub. 11.* Vasquez *disp. 71. in 1. 2. cap. 2.* Montesinos. 1. 2. *disp. 29. q. 1. num. 50.* Martinez 1. 2. *q. 19. act. 6. dub. 4.*

Probatur; nam licèt in opinione positum sit; an possit Deus dispensare in Præceptis, quæ sunt de iure naturali, & in Decalogo continentur, presertim in his, quæ dicuntur 2. tabulæ idest quę pertinent ad ea, quę sunt Proximi, vt non occidere, non mæchari, &c. tamen in hoc quod est agere contra conscientiam nullus locus relinquitur, vt possit dari dispensatio, aut aliquo modo possit iustificari, nam conscientia, de qua loquimur in præsenti est dictamen seù Iudicium proponens, & dictans, hoc esse præceptum, seù debitũ, & hoc obligare hic, & nunc. Si enim non sic proponitur, non est conscientia, de qua modò loquimur. sed dispensatio diuina, si daretur, tolleret hanc obligationem, quia hoc efficit dispensatio, vt non currat obligatio legis hic, & nunc, ergo tolleret dictamen, seù Iudicium proponens talem obligationem currere, & dari hic, & nunc, & consequenter non maneret illud dictamen conscientiæ, quia est dictamen oppositum, ergo iam non ageret contra illam, & sic talis casus omninò implicat.

Ratio huius est, quia ex vna parte dicitur, quod agit contra conscientiam, & sic supponitur, conscientiam, seù Iudicium illud stare, ex alia dicitur, quod tollitur obligatio, vel materia obligationis per dispensationem diuinam, quod est, talem conscientiam non durare, nec manere. Vel si dicatur tolli à Deo obligationem, seù dispensare in re, sed non innotescere, nec cognosci ab illo qui hic, & nunc talem conscientiam habet, Hoc nihil est, quia vel illa obligatio, & dispensatio facta est respectu istius, qui cõtra conscientiam agere debet, vel non. Si non est facta respectu huius, itaut ipse eam non cognoscat, est proindè ac si non esset, quia ipse non potest se gerere pro dispensato, quamdiù sibi non constat dispensationem dari; non intimata autem, nec cognita dispensatione non potest huic, esse licita operatio, quę solùm ratione dispensationis licita redditur, vnde si iste contra conscientiam dictantem, se non esse dispensatum, operaretur, peccabit; si verò dispensatio facta est respectu huius, ita quod est cognita abeo; ergo iam habeat iudicium, seù dictamen, quod ipse non est obligatus; ergo destruitur dictamen, seù iudicium conscientiæ, quo proponebat se esse obligatum, ergo numquam potest stare, quod agat contra tale dictamen obligatiuum, & tamen licitè agat.

Confirmatur. Impossibile est, quod stante Conscientia vera, de hoc quod aliquid sit peccatum, faciens illud, non peccet, etiam supposita quacunquè imaginaria dispensatione; ergo est impossibilis quęcunquè talis dispensatio. consequentia est bona, nam dispensatio immunem reddit dispensatum, de qua, in presãti disputamus, tollit .n. ab actioue prohibita rationẽ mali, quam habebat ex prohibitione, itaùt licitè, ex illo capite attingatur. Antecedens probatur, nam si talis conscientia manet, sequitur, quod homo semper peccat, quod probatur. Nam impossibile est, quod posito obiecto specificatiuo non ponatur species; v. g. quod in Animali ponatur rationale, & non fiat homo; sed specificatiuum actus mali est obiectum, vt prohibitum, nam vt prohibitum est dissonum; ergo representato homini obiectò actus, vt prohibito, si prorumpit in actum, talis actus est malus, & prohibitus ab illo obiecto; ergo est impossibile, quod manente conscientia certa actus ab illa prohibitus, non sit malus, quantumcunque dispensatus.

Opposita prima sententia asserit, etiam auctoritate humana posse in obligatione conscientię dispẽsari, itaùt illa non liget, sed eius propositione non obstante licitè contrarium fit. sed eam refere Corduba *lib. 3. quest. 10.* licèt ille nullo modo illi subscribat. sed hęc sententia est falza, & improbabilis, ita noster Corneio *vbi sup.* Mantesinas, Vasquez, *vt sup.* Corduba *lib. 3. quest. 10.*

Fundamentum huius sententię oppositæ est; nam si propter aliquam rationem cõscientia non admitteret dispensationem, etiam ab Homine, maxime, quia eius obligatio est de iure naturę, vel diuino, sed hęc ratio non obstat; ergo admittit dispensationem, etiam, ab homine. Maior ex eo suadetur, quod conscientia quandam vim habet ligandi, vel ex eo quod datur Pręceptum naturale sequendi conscientiam; vt aliqui volunt, vel vt alij meliùs tenent, obligat ex pręcepto, quod dictat, & si tale Pręceptum est naturale, vel diuinum, non videtur dispensabile saltem ab homine; minor verò probatur, quia adimpletio voti est de iure naturali, & diuino, nam ratio naturalis dictat, teneri hominem Deo adimplere, quod promisit, & hic continetur in sacris litteris, vt pt. ex illo psalm. 75. *vouete, & reddite Deo vestro,* & Numeri 30. *si quis vestrum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.* sed istis nõ ostantibus, vota dispensãtur à summo Pontifice; ergo non obstat quod aliquis

quis sit iuris naturæ, vel diuini, quominùs dispensari possit.

Resp. nego minorem, nam ius naturale præcipuè primæ tabulæ, improbabile omninò est, quod possit dispensari etiam à Deo, de quo videatur D. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. in iure autem diuino, non naturali, eius Auctor potest dispensare, & tollere illud, vt fecit legem veterem, quantum ad ceremonialia, & iudicialia; sed Homo id non valet præstare. Et quantum ad votum, vel iuramentum dicitur, numquam dispensari, quod votum, vel iuramentum manens tale, non adimpleatur, sed quod res illa non cadat sub Voto, vel iuramento: vt cum quis dispensatur in aliqua lege humana, non indè conceditur, quod iustè, frangat legem, sed quod lex non se extendat ad illum casum. videatur Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. & ibi expositores, ex hoc autem non sequitur hanc dispensationē posse fieri circa conscientiam, quia ex ipso quod quis ab obligatione conscientię, eximitur, non datur conscientia circa illud.

Resp. 2. & melius, negando maiorem, non enim ex eo conscientia non valet dispensari, quia quod præcepit est de iure naturæ, vel diuino. nam sæpe dictat aliquid de iure humano, & quia etiā & si in iure naturali, & diuino caderet dispensatio, non caderet in conscientia, quia hęc repugnat eius naturæ, vt ostensum est, probando conclusionem.

Sen tentia 2. opposita est, quod licèt non sit humana potestas, quæ possit dispensare in obligatione conscientię, tamen Deus potest dispensare, quod non obstante dictamine conscientię, quo sub quocunque præcepto dictat aliquid, possit Homo licitè contrarium facere. sententiam hanc tenent Almai. *tract.* 3. *moralium. cap.* 15. Andreas de castronouo, quem citat Corduba *lib.* 3. *quæst.* 10. & Lorca 1. 2. *disp.* 3. 7. *dub. vltimo* & hanc sententiam probabilem reputat ipse Corduba *in eo loco*. sed vt verum fatear, hæc sententia nullo modo est vera. quod ex conclusione clarè constat. Imò Vasquez *disp.* 71. *cap.* 2. *§. Ego verò in* 1. 2. censet, illam nihil habere probabilitatis. quæ tamen sequentibus confirmatur argumentis.

Primum Argumentum. Probabile est, quod Deus potest dispensare in præceptis naturalibus secundæ tabulæ; ergo poterit dispensare in obligatione, seu precepto conscientię. Consequentia probatur, quia preceptum sequendi conscientiam, non potest esse primæ tabulæ, cū non habeat pro obiecto Deum. deinde si cōscientia continet præceptum naturale secundę tabulæ, erit dispensabile; si autem est positiuum multò magis est dispensabile.

Antecedens verò probatur, quia Scotus *in* 3. *dist.* 37. *quæst. vnica*, & non pauci, Scotum sequuntur tenent. Deum posse dispensare in Preceptis omnibus, quæ non sunt primæ tabulę, & Ratione probatur, quia, præcepta secundæ, & omnia alia, præter ea, quæ sunt primę, non includunt intrinsecè, & ex natura rei bonitatem, sed solum pendente ex voluntate Dei, in qua Deus potest dispensare.

Resp. negando maiorem, nam vt docet Sanctus Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. non cadit dispensatio in his, quę sunt iuris naturæ, tam primę, quam secundę tabulæ, quia primæ tabulæ precepta ipsam respiciunt Bonitatem, quam intendit legislator Deus, qui mutari non valet; secundæ vero tabulæ præcepta respiciunt rationem iustitiæ, quam etiam inconcusse conseruat iustus legislator. Qua verò ratione, quæ non continent ipsam bonitatem, vel ipsam iustitiam, sed quasdam dispositiones sed hæc possit subtrahi à ratione talium præceptorum, docent ibi Sanctus Thomas *in solutione Argumentorum*, & eius expositores. Qua autem ratione, in præcepto alicuius conscientiæ cadat dispensatio, cum est iuris sollium positiui, non tamen habeat locum in conscientiæ obligatione, deducitur ex probatione conclusionis.

Arg. 2. non videtur maior conscientiæ obligatio, quam obligatio non occidendi Innocentem, non fornicandi, & non furandi, neque magis intrinsecū est malum, faciendi contra conscientiam, quam occisio Innocentis, fornicatio, & furtum. Sed in tribus predictis pręceptis naturalibus, non occidendi, non fornicandi, non furandi potest Deus dispensare, & de facto dispensauit aliquandò cum aliquibus, vt sine peccato occiderent Innocentem, fornicarentur, & furarentur, vt patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. ergo similiter poterit dispensare in obligationæ.

Resp. transeat maior, et minor, de quibus videatur Sanctus Thomas 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *ad* 3. negatur Conseq. quia licèt omnia præcepta naturalia essent dispensabilia, non tamen obligatio conscientiæ, quia in hoc est implicatio, quam adduximus in conclusione.

Arg. 3. Agere contra conscientiam, non est agere contra aliud Præceptum, quàm contra illud, quod à conscientia proponitur; ergo si in illo præcepto, aut Lege maximè si sit naturalis, potest Deus dispensate. Eodem modo poterit dispensare in conscientia, talis Legis obligationem dictante; maior probatur, & infrà constabit. & in superioribus est constituta, quia conscientia est Legis applicatio ad specialem actum ergo non est sex distincta, sed eadem, quam applicat.

Resp. negando Conseq. nam Lex est generale mandatum, vel generalis pr oh bitio rei alicuius, à quà potest eximi particularis actio, vel persona, manente lege, quantum ad alios, sed conscientia est actuale dictamen, de hoc, quod sub peccato debet aliquid fieri, vel non fieri, quod dictamen non potest aliter obligare. Nisi totaliter auferratur atquè adeò non est dispensatio, sed ablatio conscientiæ.

Arg. 4. Deus potest auferre Præceptum de sequenda conscientia, ergo potest dispensare in tali cōscientia, nam regula generalis est, quod qui legem potest auferre, ex cōsequenti potest in lege dispensare; Anš probatur, voluntas Dei nō necessitatur ad statuendum, quod conscientia obliget, nam diuina voluntas necessitari non potest ab aliquo extra Deum. Obligatio autem conscientiæ est quid extra Deum; ergo potest contrarium statuere, nempè quod non obligat, nec sit tale pręceptum.

Resp. quod si in antecedenti, argumentum intelligit esse speciale pręceptū de sequenda consciētia, distinctum ab illo præcepto, quod à conscientia dictatur, negamus antecedens, quia est falsum de subiecto non supponente. si autem sensus est, quod conscientia obligat ratione pręcepti, quod dictat, tunc distinguo illud Anš; *Deus potest auferre preceptum de sequenda conscientia*. si enim loquaris de pręcepto illo, ratione cuius obligat, transeat, quod Deus possit tale præceptū auferre, & cōsequēter quod possit dispensare in illo. Licèt reuera si est legis naturalis id non possit facere, sed ad intentum præsens non attinet. si verò intelligas de precepto, vt dictatur à conscientia, & applicatur per illam, obligat. Nego antecedens, *quod .s. possit auferri, vel ex consequenti dispensari*, sine eo, quod omninò tollatur conscientia, & sic non manet

casus

casus, de quo disputamus. Et Ratio, sæpè assignata est, quod conscientia est actuale dictamen Rationis applicans actui præceptum, vel prohibitionem, manente ergo conscientia implicat, quod non proponatur præceptum, vel prohibitio, atque adeò necessarium est, quod homo peccet, si non cadit præceptum, vel si non committit prohibitum.

DVBIVM NONVM

An Agere contra conscientiam sit speciale peccatum.

DVbium hoc solet etiam proponi sub hac forma *Vtrum cum quis agit contra conscientiã, committat dupplex peccatum, vnũ contra præceptum, quod frangit & aliud contra ipsum conscientiam*, verbi gratia, si quis dictante conscientia in die Veneris carnes non esse comedendas, comedat eas; An peccet dupplici peccato, quorum vnum sit contra præceptum Ecclesiæ non comedendi carnes, alterum contra præceptum conscientiæ, & idem est quærere, an agere contra conscientiam sit speciale peccatum? sensus enim est, an ex hoc ipso, quod quisquis contra conscientiam committat peccatum distinctum à peccato, quod est frangere legem, contra quam operatur? Procedit autem hoc dubium, tam de conscientia vera, quàm de erronea, nã de ista conscientia vera potest inquiri, an qui peccat cõtra conscientiam abstinendi à carnibus in die Veneris, quæ est vera, & certa conscientia, distinctum peccatum committat, ex hoc, quod agit contrà illam, ab eo, quod committit contra præceptum abstinendi à carnibus in eo die? Et iuxta conscientiam erroneam potest inquiri; anqui ex conscientia erronea iudicat in die Iouis prohibitum esse esum carnis, peccet comedendo, non solùm contra præceptum Ecclesiæ existimatum, sed speciale committat peccatum, ex eo quod agit contra conscientiam.

Conclusio. agere contra conscientiam siuè verã, siuè erroneam, nunquam est speciale peccatum ab eo, quod commisit Homo contra legem, seù obligationem, quam conscientia dictat. Vndè cum quis furatur proclamante conscientia, ex se non est dupplex peccatum, vnum contra conscientiã proclamantem, & aliud contra præceptum non furandi, sed vnum dumtaxat furti, contra præceptum non furandi, à conscientia propositum. dixi *ex se* quia ex parte obiecti, aliquando poterit inculcare dupplicem materiam, vt cũ quis facit cõtra conscientiã dictantem nõ esse furandum in loco sacro; si furatur, commit peccatum, seù malitiam furti, & Sacrilegij. sed hoc non se tenet ex parte conscientiæ; & idem est, si conscientia erronea iudicet se teneri ex iustitia ad mentiendum, vt excuset proximum, tunc enim non faciendo, peccat contra iustitiam, & Veritatem.

Probatur primò auctoritate, nam illam habet Sanctus Doctor hic, *quæst. 19. art. 5. ad 3. & q. 17.* de veritate *art. 4. ad nonum*, vbi sic ait. *Quando conscientia erronea dictat aliquid faciendum, dictat illud sub aliqua ratione boni, vel quasi opus iustitiæ, vel temperantiæ, & sic de alijs: & ideò transgressor incurrit in vitium contrarium illi virtuti, sub cuius spetie conscientia illud dictat. vel si dictat illud sub spetie diuini præcepti, vel alicuius Prælati, tantùm, incurrit peccatum inobedientiæ conscientiã transgrediens*. Eandemquè conclusionem tenet Medina *quæst. 19 art. 6. dub. 4.* Vuasquez *disp. 19. cap. 3.* Corduba *lib. 3. q. 8 dub. 1.* Azzor *lib 2. cap. 8. 9* &c. Mantesinos *disp. 29. q. 1. §. sed dubium, cum sequentibus, & q. 3. num. 65.* Martinez *q. 19. art. 6. dub 1. conclusione 4.* Correio *tract. 7. disp. 2. dub. 5. in principio.* Salas *tract. 8. dist. 1. sect. 3. num. 28 & 31.* Sanchez *lib. primo decalogi cap. 11. nu. 5.*

Probatur 2. Non commisit plura peccata, qui operatur cõtra plura præcepta, quæ sunt circa actũ, vel honestatẽ eiusdem virtutis; ergo etiam si quis teneatur conformare se propriæ conscientiæ ex præcepto, & ad idem teneatur lege, non facit duo peccata, sed vnicum. Consequentia est bona, nam in eo casu vtrumquè, nempè conscientia, & lex tendunt in honestatem eiusdem virtutis, vt cum conscientia dictat, non furandum, conscientia, & lex non furandi ordinantur ad eandẽ iustitiæ commutatiuæ honestatem. Antecedens verò, probatur, nam furtum, verbi gratia, prohibitum est lege naturali, diuina, & humana, & tamen qui furatur nõ committit, nisi vnum peccatum, vt patet ex vsu Ecclesiæ, in qua non se accusat nisi de vnico peccato furti, quod non est ex alio capite, nisi quia omnia illa præcepta circa vnam virtutem iustitiæ commutatiuæ, & peccatum solùm contra eam sunt.

Cõfirmatur, quia propria conscientia, & lex sunt sibi inuicem subordinata, sicut præceptum legis, & prælati; ergo sicut in Casu, in quo prælatus præcipit, quod lege erat præceptum, transgredi hæc duo mandata, est solùm vnum peccatum; sic erit vnum peccatum agere contra legem, & conscientiã.

3. Probatur. Non datur speciale præceptum sequendi conscientiam distinctum à præcepto illo, ratione cuius conscientia dictat, talem obligationem; ergo non est speciale peccatum distinctum à peccato contra legem in conscientia dictatum, facere cõtra conscientiam. consequentia est bona, quia, vt ait Apostolus ad Rom. 4. 5. *Vbi non est lex, nec prauaricatio* & Antecedens probatur, Intimatio, & promulgatio legis nõ est lex diuersa ab ea, quę intimatur, & promulgatur, quia potiùs est quid pertinẽs ad eius complementum, & conditio necessaria, vt habeat vim obligandi, siquidem nulla lex obligat, nisi promulgata, & cognita; sed conscientia nil aliud est, quam intimatio legis, vt ex dictis apparet; ergo conscientia non est specialis lex, vel præceptum, distinctum à lege, præcepto, vel obligatione, quę à conscientia dictatur, sed est promulgatio, & quasi intimatio talis legis.

4. Efficaciter probatur à nobis. Agere contra conscientiam ex se, non est peccatum; ergo si est peccatum, debet desumi aliunde, nec aliud caput potest ostendi quam præceptum, vel prohibitio. Consequentia est bona: si enim ex hoc, quod agas contra conscientiam non peccas; ergo aliunde peccas, quando agis contra conscientiã, & antecedens probatur. conscientia dictat aliquando, quod ores, quod des Eleæmosinam, quod studias etiam extra casum, quod ad hoc tenearis; sed tunc, qui facit contra huiusmodi conscientiam, non orando, non dando Eleęmosinam, & non studendo, non peccat, vt per se patet; ergo in aliquo casu agit contra cõscientiam, & non peccat, & sic ex se agere contra conscientiam non est peccatum. Dices ad hoc quod agere contra conscientiam sit peccatum requiritur, quod dictet sub obligatione cadere, quod dictat, & non esse solùm bonum sup rogationis, vt ostendimus dubio præcedenti. Ad hoc dico, sic esse, sed hoc est ipsum, quod dicebamus, nempè quod cõscientia sola non obligat ad peccatum, sed ratio-

ne obligationis præcepti, quod imbibit.

Oppositam sententiam tenet Adrianus *in 4. matteriali Sac. Confess. 9. 4.* cui videtur consentire Nauarrus *cap. 6. 14.* vnde secundum hanc sententiam, qui iudicat ex bona conscientia esse audiendā missā in die dominico,& non audit,dupplex committit peccatum, vnum contra præceptum audiendi missam, & aliud contra conscientiam.

Fundamentum huius sentētiæ est primò, qui operatur contra cōscientiam,violat dupplex præceptum specie diuersum; ergo cōmittit dupplex peccatum, nam vbi est dupplex dissonantia à lege, vel ratione specie diuersa, est similiter dupplex malitia; Antecedens probatur, qui agit contra conscientiam, v. g. audiendi missam in die Dominico, agit contra præceptum naturale sequendi propriam conscientiam, tenetur ergo homo ad hoc; ergo aliquo præcepto. & contra præceptum ecclesiasticum de sacro audiendo in die dominico.

Resp. primò, quod est præceptum aliquod sequēdi conscientia distinctum à præcepto, quòd conscientia dictat, est enim conscientia quędam applicatio scientię ad opus & conscientia obligans est applicatio scientię præcepti obligantis, & conscientia prohibens est applicatio scientię præcepti prohibentis. Cum conscientia v. g. dictat, audiendam esse missam in die dominico, conscientia est iudicium, quo applicatur præceptum ecclesiasticum audiendi missam ad actum præsentem dictatum à conscientia; & similiter, cum conscientia dictat non esse occidēdum, est applicatio præcepti, *non occides*, ad omissionem præsentem, applicatio vero, & intimatio præcepti affirmatiui, & negatiui, non est, quę obligat, sed præceptum intimatum & applicatum.

2. Resp. quod datur præceptum de sequenda conscientia, non quidem speciale, & ponens in numero cum alijs, sed generale inbibitum, & non ponens in numero cum alijs, & sic non constituit speciale, & distinctum peccatum; sicut datur præceptum obediendi superiori, vt tali; præcipienti rem grauem, & conuenientem: sed hoc non ponit in numero cū speciali præcepto, aut lege quę aliquid præcipit, sed se habet sicut causa vniuersalis, & particularis, quę producunt vt subordinatę simul eundem effectum.

Arg. 2. repetitio fractionis conscientiæ generat habitum facilitandi ad agendum contrà conscientiam, vt patet in malis peccatoribus, ergo est speciale peccatum; probatur Consequentia; quia non potest generari specialis habitus specie ab alijs distinctus, nisi per specialem actum specie ab alijs distinctum, cum habitus, & actus sint eiusdem speciei, virtutis, vel vitij. Resp. negando Antecedens, sicut enim malitia peccati, ex hoc quod sit contra propriam conscientiam, non est malitia specialis; distincta à malitia specificata actus iuxta suum obiectū, vt dictum est in Conclusione, sed est conditio generalis, quæ per omnem diuagatur materiam peccati, sic non generat speciales habitus, sed est quidam modus alijs vitiorum habitibus adiunctus, ratione cuius faciliùs operatur cum illo modo, quo fiat reluctante conscientia. est accommodatum exemplum, peccare ex certa malitia est quiddam modus non producens aliud peccatum ab eo, quod ex specie sua committitur, sed moraliter aggrauans, sicut etiam peccare ex passione, & ignorantia alleuiat; frequentato autem actu peccandi in diuersis materijs ex certa malitia, non generatur nouus habitus ab habitibus illorum vitiorum, circa quæ operatur, distinctus. Sed illi habitus quandam acquirunt modalem facilitatem, vt sic operentur.

Petes 1. *An quondò nullum est præceptum, contrà quod agat discordans à conscientia, tunc agere contra conscientiam sit speciale peccatum?*

Secunda sententia opposita est, quod licèt regulariter agere contrà propriam conscientiam non sit speciale peccatum, quia non ponit in numero eius obligatio, cum obligatione præcept; sed tamen aliquando, quandò nullum est præceptum, contra quod agat discrodans à conscientia, tunc agere contra conscientiam, est speciale peccatum, sed tunc, non committit homo dupplex peccatum, sed vnum contra solam conscientiam, quia nulla est lex, contra quam peccet. Sententiam sic explicatam tenent Angestus *in moralibus cap. 7. dub. 3. num. 7.* Valen. *1. 2. q. 19. disp. 2. q. 14. puncto 4.* licèt modus defendēdi,& fundamēta sint diuersa. Sed hæc 2 sententia non debet admitti, quia non datur, vel est dabilis Casus, in quo conscientia obliget, quin ipsa præcepti, vel Legis inuoluat obligationem, vt docet S. Thom. *1. 2. q. 19. art. 5. & 3. & q. 17. de Verit. art. 4. ad 9.* & hoc amplius patebit ex solutione fundamētorū. Contrariæ sentētiæ. fundamētū Angesti est; cum aliquis agit contrà conscientiam erroneam existimantem esse præceptum, quod non est, reuera peccat, vt disp. sequenti dicemus. Sed non peccat contra tale præceptum imaginatum, quia reuera non est; ergo peccat contra conscientiā solam; ex quo duo planè deducuntur; 1. quod datur speciale peccatum contra conscientiam, quia tunc contrariū esse nō potest alteri, si nō est cōtra legem. 2. quod in eo casu datur vnum duntaxat peccatum, quia cum non peccet contra legem, non apparet, ex quo capite sit ibi alia malitia.

Resp. negando minorem, cum enim aliquis peccat, contra conscientiam erroneam dictantem esse præceptum, quod non est, verbi gratia, dictat conscientia Petri, quod feria 6. non potest cenare, eò solùm, quod feria 6. est; reuerà peccat contra tale præceptum nō cenandi, cuius ratione obligat cōscientia, quia si conscientia non proponeret præceptum obligans, non ligaret iuxta dicta dub. præcedentibus.

Instabis. Tale præceptum reuera non est: ergo tunc non peccat Homo contra illud; patet Consequentia, quia non peccat contra præceptum, quando non est; aliàs semper peccaret homo contra omnia precepta possibilia.

Resp. distinguo illud Anš. *tale præceptum reuera non est*, si enim intelligas, quod reuera à parte rei non est positum præceptum, non cenandi feria. 6. Concedo, si autem vellis, quod tale præceptum non sit, neque in re, neque in mente illius hominis ex errore imaginantis esse tale præceptum, nego; quia conscientia illius hominis proponit præceptum illud, ac si reuera positum esset, Ad effectum autem mouendi voluntatem tam ad bonum, quàm ad malum, idem operatur propositio rei, quæ existimatur esse, sicut si reuera esset; nam qui certò existimat, thesaurum esse absconditum, ita operatur circa illud, ac si reuera esset. Et in Casu, de quo disputamus, actus, qui proponitur, habet pro obiecto Cenam præcepto prohibitam, quod malum est; & qui appeteret propriam vxorem existimans esse alienā, eodem modo peccaret, ac si esset aliena, sicut Iacob accedens ad alienā, non peccauit, existimans esse propriam, lex ergo existimata operatur vt posita, sicut Ignorantia inuincibiliter sicut si non esset posita.

Fundamentum verò Gregorij de Valentia est, contingere potest, quod peccans contra conscientiam erroneam, non cogitet actu se facere contrarium

contra

contra aliquod speciale preceptum, ergo saltem tunc huiusmodi peccatum erit peccatum contra conscientiam, & consequenter hoc erit speciale peccatum ab alijs diuersum; probatur Antecedens in dupplici casu. Primus est, si conscientia sit adeò erronea, vt existimet aliquod obiectum indifferens esse sibi illicitum etiam inquantum indifferens est. 2. Casus est, si conscientia contrà quam, quis operatur solùm dictet esse malum in communi id, quod dictat non faciendum; non determinans, contra quam virtutem, aut contrà quod vitium est, in vtroque enim Casu non datur, a quo actus sumat speciem malitiâ, nisi à fractore conscientiæ.

Resp. quod si aliqua conscientia siuè vera, siuè erronea nō dictat formaliter, vel virtualiter aliquod esse contrà preceptum, vel prohibitionem particularem, vel in communi consideratam; tunc agere contrà talem conscientiam, non erit peccatum aliquod, vt ostendimus supra; vndè tunc non erit peccatum; & ex consequenti neque dabitur peccatum praecisè contrà conscientiam si verò talis conscientia imbibat praeceptum in communi, vel in particulari, ratione eius erit peccatum agere contra conscientiā, non ex eo, quod est contra conscientiam, sed quia vult violare tale praeceptum conscientiæ repraesentatum. Ad Primum casum negamus eius possibilitatem; cum enim indifferens sit, quod nullo modo est prohibitum, neque praeceptum, sed pro libito potest licitè practicari; si semel homo concipit esse indifferens, simul concipere non potest, sibi non licere. Ad 2. Casum Resp quod cum conscientia dictat, aliquid esse malum in communi non descendendo ad speciem mali in particulari, quia agit, cōtra talem conscientiam, peccat, non praecisè ratione conscientiæ, sed ratione praecepti in communi, imbibiti in illa conscientia dictante, esse malū in communi, siuè tale praeceptum sit verum, vt in conscientia vera, siuè fictum, vt in conscientia erronea, nam non potest Intellectus iudicare aliquod malum etiā in communi, nisi cognoscendo implicitè, vel in confusò illud esse contrà aliquoq praeceptum.

Dices: sequeretur ex hac doctrina, quod Actus faciendi contra conscientiam in eo Casu haberet genus mali moralis absque alia specie, quod licet cōcedat Valētia, tamen cōcedi non debet, neque in physicis, neque in moralibus contingere potest, quod sit Induiduum aliquod sub aliquo genere quod non contineatur sub aliqua specie, maximè in nostra sententia ponente cum D. Thoma 1. 2. esse morale non esse quid rationis, sed reale. Ad hoc Respondeo negando sequellam, eo quod velle agere contrà conscientiam dictantem aliquid esse prohibitum in communi, ab illo obiecto habet non solum genus mali, sed speciem, sicut dixi *tom.* 3. de his actibus *q.* 18 volo in omnibus transgredi praecepta Dei: volo in omnibus turpiter operari, vel è contra, volo in omnibus honestè agere. Et si queras contra quod Praeceptum peccet, qui vult in omnibus agere contra dictamen conscientiæ? Dico talem actum, esse similem huic, volo peccare cōtrà omne praeceptum, hoc autem, vt ibidem latè diximus, est contra ipsam inclinationem voluntatis, & contrà praeambulum legis naturalis.

Petes 2: *An sit speciale peccatum agere contra conscientiam, quandò aliquis agit contra illam animo repugnando illi, seù non se conformandi cū illa.*

Tertia sententia opposita est, quod aliquandò agere contra conscientiam, siuè veram, siuè erroneam, erit speciale peccatum, cum scil. agit contra illam animo repugnandi illi, seù non se conformandi cum illa, tunc enim erit peccatum inobedientiæ vltrà rationem peccati, quam actus includit ex se. Vndè tunc erunt duo peccata, verbi gratia, cum conscientia dictat, non furandi, si quis furetur, non solum ob commoditatem furti, sed vt repugnet cōscientiæ, imò solùm vt conscientiæ repugnet, tunc enim peccat peccato furti contrà praeceptum non furandi, vt ex se patet, & etiam peccato inobedientiæ contra praeceptum conformandi se cum conscientia. Sententiā hanc insinuat Montesinos. 1. 2. *disp.* 29. *q.* 2. Fundamentum sententiæ huius est, nam licet furari ob commoditatem furti etiam proclamāte conscientia solùm sit peccatum furti, tamen furari, vt faciat quis contrà praeceptum furti, est peccatum etiam inobedientię propriæ dictæ, vt est cōmunis sententia; ergo facere contrà conscientiam Animo repugnandi illi; est speciale peccatum inobedientiæ.

Resp. quod hęc 3. sententia etiā à vero deuiat licet enim repugnare cōscientię proponenti aliquid sub praecepto addat speciē talis actus, speciem inobedientię strictè dictæ, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 2. Tamen hęc inobedientia cū debeat versari circa pręceptum, non respicit conscientias ratione sui, sed ratione legis, aut praecepti, quod proponit, & hoc solum conuincit fundamentum prò hac sententia adductum. Nec Montesinos reuera est in ea sententiam, cum paulò antè expresse nostram profiteatur: solum ergo intendit, quod cum quis data opera, vult non obedire conscientiæ proponenti aliquid sub obligatione, ibi vltrà peccatum, quod est, talem obligationem frangere, est peccatum inobedientiæ propriè dictæ, non ratione solius conscientiæ proponentis, sed ratione praecepti, cui obedire non vult. diximus autem sępè esse peccatum inobedientiæ propriè dictæ, quia inobedientia generalis, & communis est omni peccato, vt docet Sanctus Thomas loco paulò ante citato.

DVBIVM DECIMVM.

An agere contrà conscientiam sit Peccatum mortale, vel Veniale determinatè, vel aliqua circumstantia aggrauans, in Confessione aperienda.

Ex Doctrina Conclusionis praeceditis dubij sunt aliqua aduertenda. Primò quod licet peccare contrà conscientiam non sit speciale peccatum, vt ostensum est; tamen est circumstantia aggrauans peccatum, quia peccare ex certa Scientia grauius est peccare, quam sine illa, sed peccare contrà conscientiam, est peccare ex certa scientia: ergo est peccare grauius. Sic Adrianus *in* 4. *in mat. de Confessio. q.* 8. Corduba *lib.* 3. *q.* 4 *dub.* 1. Montesinos *s.* 1. 2. *disp.* 29. *q.* 2.

Secundò Aduertendum, quod fecisse contrà conscientiam non est circumstantia necesariò apperienda in Confessione, nisi fortè conscientia enoncam dictet id necesse faciendum, sic N. Corneio *tract.* 8. *disp.* 8. *dub.* 5. Sayrus *in Claui lib.* 1. *cap.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de Causa, & cap.* 11. *num.* 5. *&c.*

Prob. 1. quia licet hoc aggrauet intra eandem speciem, vt vidimus *Dub. praeced.* tamen non ita, vt sit neccessariò confitendum. 2. quia, cum quis peccatum scienter commisit satis indicat, conscientiam contrarium dictasse, id quod prudens Confessor aduertit.

Tertiò Aduertendum, quod agere contrà conscientiam, neque est peccatum mortale determinatè, neque veniale, quia conscientia dictat aliquod

tacendum,

tacendum, aliquid agendum, vel non agendum sub mortali, vt audiendum Missam in die colendo; non occidendum; aliqua verò solùm sub veniali vt restituendam esse paruam quantitatem: non esse mentiendum, tale ergo erit peccatum, quale per conscientiam dictatur, & ideò quando non aliter constat peccatum, explicanda est conscientia, vt pateat, an sit peccatum mortale, vel veniale, imò, vt constet species peccati, vt si quis peccet contrà solutam, existimans eam esse coniugatam, Virginem religiosam, vel cognatam, non satisfacit confitendo se peccasse cum soluta, neque dicendo se peccasse reuera cum muliere communi, quam tamen existimauit non esse communem; sed debet exprimere se in conscientia putare esse coniugatam, vt cognoscatur malitia Adulterij, vel esse Virginem monialem, vel cognatam, vt cognoscatur stupium, Sacrilegium, & Incestus. Bonac. *de peccatis disp. 2. q. 4. puncto 6. num. 20. & 29.* vbi alios refert. Sed loquendo de conscientia in genere obligante, abstrahit ab obligatione sub mortali, vel veniali, est tamen Aduertendum, quod si quis in genere constituerat agere contrà conscientiam, peccaret mortaliter, eò quod se exponit periculo transgrediendi conscientiam sub mortali obligantem.

Disputatio Secunda De Conscientia erronea, & eius obligatione.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit conscientia erronea.

NOmine conscientiæ erroneę, seù errantis, intelligunt Doctores illam, quæ dictat esse bonum, id, quod alioquin certò constat esse malum, aut illud esse malum, quod alioquim certum est, seu bonum, verbigratia si quis existimaret bonum esse mentiri ad liberandum innocentem, haberet dictamen conscientię errantis, quia aliundè est omnino rectum, numquam licere mendacium; & similiter, qui crederet peccatum esse audire sacrum, quando non est legitimum impedimentum, haberet conscientiam erroneam, cum tectum sit, optimum esse sacro interesse.

Vnde dupplex potest intelligi conscientia erronea, vna, quę dictat aliquid esse faciendum, aut omittendum sub præcepto, aut aliquid esse illicitũ, aut malum moraliter, altera, quę dictat aliquid, non vt preceptum, aut prohibitum, nec vt malum, sed tanquam precisè licitum, & honestum sub nulla obligatione faciendum, aut omittendum.

Rursus conscientia errans est dupplex, vna inuincibilis, altera vincibilis, illa est, quę ita errat, vt virtutem putet id quo adhæret errori, & quo sed potius non debeat illam deponere, sed prudenter existimet, se non errare, Hec verò est, quæ imprudenter putat, se nonerrarę: ita enim cognoscitur obiectum, vt posset error detegi, si Homo debitam diligentiam adhiberet.

Conscientia ergo errans multipliciter contingere potest, vno modo ita vt firmiter adhęreat errori, & absquè dubio, & formidine alterius partis, alio modo vt probabiliter adhęreat illi, vel sub dubio, aut scrupulo, vt contingit in conscientia dubia, opinatiua, & scrupulosa. & licèt dubium posset procedere de omni conscientia errante, vt dilucidius procedamus, nunc solum agimss de conscientia falsa, seù de errante, quę firmiter, & absquę formidine, dubio, vel scrupulo adheret errori, & hanc absolutè appellamus cõscientiam erroneam, de alijs dicemus suo ordine in sequentibus disputationibus. Est tamen aduertendum, quod hæc conscientia est certa, non ex parte obiecti, aut certitudine rei, sic enim non esset erronea, sed certitudine ex parte subiecti, inquantum Homo ex parte sua firmiter adheret illi absquę formidine, & dubio.

Conclusio. conscientia erronea est, *Conscientia firmiter, & certò dictans esse licitum, vel illicitum id quod reuera non est tale*. Vt si quis iudicet, esse illicitum mentiri, vt tollat aliquid inconueniens, vel esse illicitum comedere carnes in die, in quo comedi possunt. Explicatur conclusio. Genus est cõscientia, in quo hęc erronea conuenit cum alijs speciebus, nempè cum certa, opinatiua, & scrupulosa, cetera habent locum differentiæ. dicitur *firmiter, & certò* ad differentiam conscientię opinatiuę, quę habet formidinem alterius partis, conscientię dubię, quę compatitur dubium: & conscientiæ scrupulosę quę compatitur formidinem, & dubium cum quadam pęnalitate. dicitur, *dictans esse licitum, vel illicitum id, quod reuera non est tale*, ad differentiam conscientię verę, & certę, quę dictat certò id, quod reuera tale est, & sensus est, quod in hoc ipso errat, seù est erronea, quia non iudicat res vt sunt. quod alij explicant dicentes, quod conscientia erronea est, quę dictat bonum, vt malum, & malum, vt bonum.

DVBIVM SECVNDVM

An conscientia erronea dictans aliquid boni supererogationis, vel sub ratione actus indifferentis, liget, aut obliget.

COnclusio. si conscientia erronea dictet aliquid sub ratione boni superrrogationis vel sub ratione actus indifferentis non ligat, vel obligat, & sic Homo non tenetur se illi conformari, sed pro libito suo absquè peccato aliquo potest operari iuxta dictamen talis conscientię.

Pro conclusionis inteligentia est notandum, quod conscientia etiam erronea, de qua nunc loquimur, dupp1iciter potest aliquid dictare, vno modo sub ratione actionis indifferentis, vt si conscientia alicuius dictet, quod mendacium offitiosum est actus indifferens, & ex se neque bonus, neque malus. Secundò potest dictare conscientia erronea aliquid sub ratione boni, vel mali moralis, vt si dictet alicui bonũ esse, mendacium offitiosum, vel illicitum esse videre mulierem pulchram, deinde hec conscientia dictans bonum morale, est dupplex, vna quæ dictat bonum morale absque obligatione sequendi illud, quod dicitur bonum supererogationis: vt si quis existimet mentiri in excusationem proximi, esse bonum morale, sed ad illud bonum, ad quod non obligamur, sicut neque ad dandam Eleęmosinam extra casum neccessitatis extremę, altera est, quæ dictat actum, sub ratione boni moralis debiti, seu obligatorij, ad quod scilicet sub precepto tenemur, vt si quis existimet se teneri sub peccato mortali, vel veniali mentiri in excusationẽ proximi, si autẽ conscientia apprehẽdit aliquid sub ratione mali moralis apprahenderet vt prohibitum, quia omne malum morale prohibitum est. & quod dixi de actibus, intelligendum est etiam de priuationibus actuum, Quo supposito: sensus conclusionis est, quod conscientia illa, quæ proponit aliquid sub ratione indifferentis

 differentis

differentis, & sub ratione mali superogationis, hoc est non obligantis, talis conscientia non obligat. Quę conclusio omnibus de det esse communis, de qua videatur Sanctus Thom. 2. *dist.* 3. *quest.* 93. *ad vlt* Capreolus *quem citat*, & sequitur Conradus 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. Mentesinos 1. 2. 4. *disp.* 29. *q.* 3. N. Corneio *tract.* 8. *disp.* 1. *dub.* 1.

Probatur euidenti ratione, dictamen, quod proponit aliquid sub ratione indifferentis, vel sub ratione boni supererogationis non obligat ad talem actum, nec ad prosequutionem talis boni; sed cõscientia, de qua loquimur, dictat vno ex duobus modis propositis; ergo talis conscientia ex se non obligat, neque ligat ad id, quod proponit, Conseq. est bona, & minor manifesta; maior verò probatur, dictare vt indifferens, est dictare neque vt bonum, neque vt malum; & dictare vt bonum super erogationis, est dictare vt tale bonum quod relinquitur in potestate homi nis sequi, vel non sequi illud.

DVBIVM TERTIVM.

Aliquando Conscientia erronea dictat aliquid vt materiam necessariam, hoc est vt praeceptum, vel prohibitum; liceat ab illa discordare.

CONclusio. quandò cõscientia erronea dictat aliquid, vt materiam necessariam, hoc est, vt preceptum, vel prohibitum, non licet ab illa discordare, sed tenemur conformari illi sub tali peccato, quale proponitur à conscientia, & hoc siuè, id, quod conscientia dictat, sit in se indifferens, siuè bonum, siuè malum morale: Probatur primò ex Sacra Scriptura, & primus locus fit *ad Rom.* 4. 14. in quo loco Apostolus à versu 13. duo decet, Rom. circa cibos, in lege veteri vetitos, quos communes appellabat; eò quod communes essent Gentilibus. Primum est, quod post Mortem Christi euacuata lege veteri jam non sunt aliqui cibi communes, seù prohibiti fidelibus; secundùm, quòd nihilominùs si quis existimat manere prohibitionem, respectu eius, ratione talis conscientiæ manet prohibitio, & ideò si manducat, peccat propter dictamen conscientiæ erroneæ existimantis, esse prohibitum, quod prohibitum non est, ex quo inducit, quod ex Charitate, fideles, qui non sunt in illo errore, non debent manducare illos cibos coram illis, qui habebant talem conscientiā erroneam, seù infirmam, eò quod scandalizzabantur. Dicit ergo Apostolus versu. 14. *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum.* Hoc est per Euangelium, & Mortem Christi euacuantem legem veterem, & introducentum legem Euangelij, nullus cibus manet cõmunis, seù prohibitus. Et ponit hanc exceptionem; *Nisi ei, qui existimat, quid commune esse, illi commune est.* Quasi dicat; excipio existimantem adhuc in lege gratiæ manere cibos communes, seù prohibitos, quòd certè, cùm non sic se habeat, vt antè dicebat, debet esse per conscientiam erroneam, seù errantem. Et supposita tali conscientia, *illi commune est*, hoc est, illi manet talis cibus communis, & prohibitus ratione talis conscientię erroneæ: conscientia ergo erronea ligat, seù obligat habentē illam. & postquam suadet habentibus conscientiam veram, ne comedant huiusmodi prohibita coram habentibus conscientiam erroneam, seù infirmam, ne scandalizentur, concludit: *Beatus, qui non iudicat semetipsum, in eo, quod probat*, hoc est non iudicat conscientia erronea, se peccare prædicta comedendo, eò quod excusat peccatum, quod commisisset. *Qui autem discernit*, idest, existimat differentiam prohibiti esse inter communes cibos, & alios, *damnatus est*, hoc est, peccat. Et reddit rationem. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.* Vbi nomine fidei conscientiam intelligit repugnantem, vt latè ostendimus in superioribus Totum hunc locum ad nostrum sensum exponunt, Origenes lib. 9. in Epistolam ad Romanos, propè finem, vbi sic scribit; *& si mundus sit cibus, suspicionem tamen aliquis patiatur, quod Idolis immolatus sit, polluitur pro conscientia scrupulo.* Et super hunc locum Sanctus Ambrosius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylatus, S. Anselmus, S. Thomas, ac communiter expositores.

Secundus locus fit ex 1. ad Corinthios 8. 7. *Quidam autem cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytum manducant: & conscientia ipsorū cum sit infirma, polluitur.* Casus erat: Gentile immolabant idolis pecora, tales carnes comedere, prohibitum erat Iudęis lege. Sed Christianis non est talis prohibitio, vndè paulo antè dixerat: *De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est Idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus*: Sed tamen dicit, quod qui, *Conscientiā idoli, quasi idolothytum manducat*, hoc est, conscientia dictante erroneè non licere, manducare, quia idolis est sacrificatum, in eis, *conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur*, hoc est, committit tale peccatum, quale iudicat esse, & concludit, *si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolo recumbentem; non nè conscientia eius, cum est infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia frater.*

Tertius locus habetur ad Galatas 1. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Vbi, vt exponit Sanctus Thomas lectione prima, & res est manifesta, sensus est, quod fideles, qui ex conscientia erronea, quod simul cum Euangelio obligat lex, se circumcidebant, debitores erant adimplendi totā legem, ex eadem conscientia erronea, quod tunc lex obligat simul cum Euangelio. Et cum tunc iam illa lex, & eius obseruatio esset prohibita, vt patet ex illis verbis Apostoli in eodem loco: *ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamur, Christus vobis nihil proderit, &* paulo post: *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis*, sequitur, quod non solùm conscientia erronea, sed etiam conscientia erronea iudicans obligatoriū quod verè erat malū, & prohibitū, ligat contra secūdā sententiā inf. refer. Propter prædicta loca Sacræ paginæ existimant nostram Conclusionem esse de fide. Adrianus *quodlibito* 4. *art.* 3. & alij, quos refert Montesinos *disp.* 29. *q.* 3. §. *Conclusio sit*, & Martinez *q.* 19. *art.* 5. *dub.* 2. *conclusione prima post initium.* Alij, vt Corneio *tractatu* 8. *disp.* 2. *dub.* 1. §. *conclusio*, censent adminùs esse periculosam in fide. Et S. Thomas *quæstione* 19. *art.* 1. contrariam sententiam appellat irrationabilem.

Secundò principaliter probatur Conclusio, quia diffinita est in pluribus iuris capitibus. *In capite finali de præscriptionibus*, deciditur ab Innocentio III. *in capite litteras, de restitutione spoliatorum.* *In capite per tuas* 2. *de Simonia.* *In capite Inquisitionis. de sententia excommunicationis.* *In capite omnes* 28. *q.* 1. *In Capite si virgo* 34. *q.* 1. In quibus locis deciditur, ad gehennam ædificere, qui facit contra dictamen propriæ conscientię, etiamsi talis conscientia sit erronea.

Tertiò prob. Conclusio Auctoritate, illam enim docent

cent S. Ambrosius super illud ad Romanos 14. 23. *Omne enim quod non est ex fide &c.* Origenes *lib. 9. super Epistolam ad Romanos circa finem, S. Chrysostomus in Genesim homilia 24. & in psalmũ 142. & super Epistolam ad Romanos homil. 2. 25, & 26.* S. Damascenus *lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 23.* S. Bernardus *lib. de praecepto, & dispensatione, cap. 17.* vbi ex illo ad Romanos 14. 23. *si comederit damnatus est, quia non est ex fide, &c. Collegit. In generalem regulam trahi possit, quatenus malum cuiquè sit bonum quodquè, quod agit, si malum esse crediderit; ac tantum malum, quantum crediderit;* & in sequentibus plura dicit in huius Confirmationem. Glossa super illud Eccles. 7 23. *scit enim conscientia tua.* Hugo de Sancto Victore *in q. super Epistolam ad Roman. q. 320.* S. Thomas 1. 2. *q. 19. art. 5.* vbi omnes Thomistæ, & *q. 17. de veritate art. 3. & 4. & in 2. dist. 39. q. 3. art. 3. & quodlibeto 3. art. 4.* S. Bonauent. *in 2. dist. 39. art. 1. q. 3.* & ibi Ægidius *art. 3. q. 3.* Ricardus *art. 2. q. 3.* Gabriel *q. vnica, art. 3. dub. 3.* Gregorius *q. vnica, art. 2.* Maioris *q. vnica,* Capreolus *q. vnica,* Almain *tractatu 1. moraliũ cap. 5.* Adrianus *quodlibeto 2. puncto 3.* Conduba *lib. 3. q. 4.* expositores *S. Thomæ q. 19. art. 5.* ibi Conradus *exponendo Conclusionem.* Medina *ibi in expositione art. 5. & 6. dubitat. 3.* Valentia *disp. 2 q. 14. puncto 4.* Aluarez *disp. 76.* Montesinos *disp. 29. q. 3.* Martinez *art. 5. dub. 2. Conclusione 1.* Corneio *tractatu 8. disp. 2. dub. 1. in Conclusione.* Ex Iurisperitis *S. Antoninus 1. parte titulo 3. cap. 10. 4.* Couarruuias *q. 1. variarum,* Syluester, & alij Summistæ, *verbo conscientia.* Nauarrus *in manuali præludio 9. num. 9. & cap. 27. num. 228. & 280. & in cap. si quis de penitentia, dist. 7. num 82. & in capite consideret, de pænitentia dist 5. numero 53.*

Quartò probatur ratione S. Thom. *in locis citatis,* licèt obiectum vt conforme, vel difforme rationi, & legi specificat actũ iuxta dicta *tom. 3. q. 18. art. 2.* tamen dependet à ratione proponente, vt à Regula proxima; sine qua non datur actus moralis, & à fortiori, neque eius specificatio; ergo secundùm quod ratio, seù conscientia proponit aliquid sub ratione mali, vel boni, sub ratione præcepti, vel prohibiti, talis actus erit bonus, vel malus, conformis, vel difformis rationi, & sic si proponit actum sub præcepto, non facere, erit contra præceptum, quia talis propositio conscientiæ ligat. Consequentia est bona, quia obiectum non mouet voluntatem, nec specificat eius actum, vt est in se, sed vt proponitur per rationem, nam comedere carnes in die Iouis, si proponatur vt prohibitum, eò quod per errorẽ existimauit homo esse diem Veneris, est obiectum malum, & si sequatur comestio, erit mala, quamuis obiectum à parte rei sit bonum. & è contra si in die Veneris proponatur à conscientia esus carnis tamquam bonus & licitus, eo quod conscientia inculpabiter errante existimauit esse diem Iouis, erit obiectum bonum moraliter, & actus comedẽdi bonus moraliter, cum tamen in re obiectum sit malum. Appræhensio ergo rationis vt proxima regula variat obiectum de bono in malum, de licito in prohibitum, & è contra. Antecedens verò probatur primò, quia voluntas est potentia cęca: ergo non attingit obiectum, vt est in se, nisi vt subest appręhensioni rationis, secundò quia voluntas non potest attingere regulam remotam, nempè legem, nisi mediante proxima, quæ est applicatio remotæ.

Dices: inueniri sententiam, quam protulimus *supra disp. 1. dub. 2.* appręhensio non est ratio formalis obiecti voluntatis, sed solùm conditio intrinseca: ergo non variat speciem actus, quia species non desumitur à conditione. Sed à ratione formali: sed admisso, quod appræhensio solùm sit conditio intrinseca, non ratio formalis, distinguo illud consequens: *ergo non variat speciem actus.* si intelligas de ipsa conditione pręcisè, concedo; si verò de illa ratione diuersa, quæ est in diuersa appræhensione, nego; cum enim dicimus, quod conscientia variat actum, etiam si erronea, & quod ligat, non loquimus pręcisè de appręhensione conscientię, sed de re à conscientia appræhensa; illa enim ligat, & reddit actum bonum, vel malum v. g. appræhendit aliquis, quod hodie præcepto ecclesiastico sit ieiunandum, cum reuera non sic se habeat à parte rei; tunc ligat illa conscientia ad ieiunandum non pręcisè, eo, quod est appręhensio, sed ratione legis ecclesiasticę, quam repræsentat, ac si esset, cum reuera talis lex non sit. Vndè rectè diximus in superioribus, quòd conscientia ex se non obligat, sed ratione legis naturalis, diuinæ, vel humanę, quam proponit, siuè verè, siuè falsò proponat.

Quintò probatur conclusio, & explicatur amplius pręcedens ratio. Conscientia vera, & certa obligat, itaut nullus possit ab illa discordare in materia necessaria sine peccato; ergo similiter obligat consciẽtia erronea; maior est communis sententia, & manet probata vt supra diximus. & cõsequẽtia probatori, nam ideò ligat vera conscientia, & peccat agẽs contra illam, quia proponit legem obligantem, & qui agit contra illam, deuiat à tali lege; sed similiter conscientia erronea proponit legem, vt obligantem, & deuians ab illa Voluntas quantum est ex se &, ex affectu suo deuiat à lege proposita, & contra illam facit; ergo similiter peccat. Patet cõsequentia, quia eodem modo proponitur illi per conscientiam errantem, tamquam prohibitum, quod non est prohibitum, ac si reuera prohibitum esset: ergo faciendo illud contra tale proprium dictamen peccat non minùs, ac si dictamen esset verum. Patet consequentia quia voluntas peccandi, & contẽnendi legem, etiam quando non est, etiam est peccatum, nam si quis comedens rem licitam, comederet hac voluntate, vt etiã si esset illicita & à Deo prohibita, comederet, absquè dubio peccat contẽnendo legem, & Deum.

Conf., quia nolle facere id, quod conscientia erronea sine dubitatione dictat pręceptum esse à Deo, repugnat quantum est ex se Deo, & nollet legi eius obedire; ergo peccaret contra talem conscientiam, seù legem à conscientia propositam, & sic lex illa obligabat. Consequentia patet, & antecedens probatur ex exemplo adducto à S. Thom. 1. 2. *quest. 19. art. 5. ad 1.* Nam si quis crederet pręceptum sibi relatum nomine Regis, esse pręceptum ipsius Regis, licèt reuera non esset, operando contra illud, & contemnendo illud, contemneret, quantum est ex voluntate sua pręceptum Regis, & lęderet Regem ipsum; ergo si voluntas facit cõtra id, quod vt pręceptũ Dei credit, contemnit quantum est ex se Deum pręcipientem, peccat. & idem erit, si faciat contra quamcunque aliam legẽ obligãtem propositam etiam à conscientia erronea.

Sexto probatur Arg. S. Thom. *quest. 17. de veritate, Argumento 3. sed contra.* Quicunque vult transgredi pręceptum diuinum, peccat; sed qui agit contra conscientiam erroneam dictantem aliquid sub pręcepto diuino, vult transgredi pręceptum diuinum; ergò peccat, & ex consequenti obligat talis conscientia ratione talis pręcepti.

Maior probatur. Peccatum principaliter in voluntate consistit, quicunque autem vult transgredi pręce ptum diuinum, habet malam voluntatem; ergo peccat; minor verò probatur. Quicunque credit, aliquid esse pręceptum, & vult transgredi, habet voluntatem non seruandi legem, sed qui agit contrà conscientiam erroneam dictantem legem, quę non est, credit aliquid esse pręceptum; ergo qui agit contra talem conscientiam, vult transgredi pręceptum diuinum. & hęc Argumenta non solum procedunt, quandò, id, quod est indifferens, iudicatur bonum, vel malum, sed etiam quando bonum proponitur, vt malum, & malum, vt bonum, & similiter etiam contra secundam sententiam vt infra.

Prima sententia opposita negat absolutè, & simpliciter prędictam conscientiam erroneam ligare, seù obligare, itaut agere contra illam sit peccatum, quam sequuntur sententiam Glossa *in capite, Omnes* 28. *q.* 1. & Gullielmus Parisiensis *in tractatu de Vitijs & Virtutibus*, vt refert Montesinos *disp.* 29. *q.* 3. *nu.* 36. Pro qua sit.

Primum Argumentum. Conclusio, quæ sequitur ex vna præmissa de fide, & alia falsa, non potest esse de fide: & conclusio, quæ sequitur ex vna præmissa certa, & alia falsa, vel incerta, non est certa. Sed iudicium quod est conscientia erronea, procedit ex vna præmissa certa de fide, vel certo cognita lumine naturali, & ex alia falsa: ergo non est certa, sed falsa, vel saltem dubia, ergo non obligat, vt cōformemur illi. Maior ostenditur; dicunt enim dialectici, quod conclusio sequitur debiliorem partem hoc est in bona consequentia consequens naturam debilioris pręmissæ, sequitur. quia si altera pręmissa est contingens, vel falsa, conclusio non est certa, sed licèt possit aliquando esse vera, & necessaria in se, qua ratione ex falso aliquandò sequitur verum, sed etiam potest esse topica, vel falsa, sicut in hoc discursu; *Omne quod currit, mouetur*; *sed Sortes currit*; *ergo mouetur*. Hæc conclusio; Sorte quiescente est falsa, quia minor est falsa, & dato, quod Sortes curreret, & minor esset vera, conclusio esset vera, sed non scientifica, & certa, sed probabilis. ex eodem principio colligunt Theologi, quòd conclusio, quę deducitur ex vna præmissa de fide, & alia probabili, vel falsa, non est de fide, sed aliquandò probabilis, aliquando falsa, vt in hoc syllogismo: *Christi Corpus continetur in hostia consecrata, sed hæc hostia est consecrata: ergo Christi Corpus continetur in hac hostia*. In qua quia minor est topica, ideò si est vera conclusio, erit vera, sed non certa, sed contintingens, & si minor est falsa, conclusio erit falsa; minor verò primi syllogismi probatur. Nā Conscientia erronea est conclusio syllogismi practici, in quo vna pręmissa est certa, & altera falsa; v. g. sit dictamen conscientię hoc: mentiendum est in hoc casu, ad excusandum proximum. Hęc conscientia sequitur ex hoc practico discursu: obtemperandū est pręcepto diuino, vel naturali, sed mentiri in hoc casu ad excusandum proximum, est pręceptum diuinum, vel naturale; ergo mentiendum est in hoc casu ad excusandum proximum. In quo discursu, maior est naturaliter euidenter nota per synderesim; minor verò, est falsa, aliàs conscientia non esset erronea. Tandem prima consequentia Argumenti est euidens: secunda probatur, nam id, quod est dubium, vel falsum, nō includit certā obligationem.

Sed hæc prima sententia opposita non solùm falsa, & impossibilis est, immò, & irrationalis, iuxta S. Thom. 1. 2. *quest.* 19. *art.* 5. sed insuper iuxta aliquos hæretica, vel periculosa, vt vidimus sup. solùm; ergo restat eius argumentum dissoluere. Ad quod. Concesso toto Argumento, & prima consequentia, nempè, quod conscientia erronea sit falsa; nego secundam consequentiam, nempè ex hoc sequi, quod non obligat. Et Ratio est, quòd conscientia erronea non est, quæ obligat, sed præceptum per illam applicatum, seù propositum: pręceptum autèm quomodocunquè siuè verè, siuè falsè proponatur, dum ille, cui proponitur credit, etiā deceptus esse, præceptum superioris, obligat, aliàs, quantum est ex parte hominis nolentis se illi subijci, contemnit illud. & per hoc patet ad probationem, quod id, quòd est falsum, scilicet conscientia erronea, non obligat, sed est conditio, quæ per accidens facit, quòd præceptum obliget, sicut remouēs prohibens non est, quod occidit, sed lapis cadens ex tali remotione, vndè est causa per accidens. Aliam solutionem adducit Martinez *quest.* 19. *art.* 6. *dub.* 1. *ad* 2. videatur in eo.

Secundum Arg. Nil obligat ad peccatum, nisi lex Dei, secundùm illud Augustini *lib.* 22. *contra Faustum cap.* 19. *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem*. Sed conscientia erronea, non est lex Dei, aliàs erronea esse non posset: ergo non obligat.

Resp. distinguendo illam minorem. *Conscientia erronea non est lex Dei*, si intelligas, quod ipsa cōscientia se ipsa non sit lex Dei; concedo, & sic nec obligat ratione sui: si vèrò nomine conscientię intelliges id, quòd conscientia dictat, & proponit, negamus, quod non sit lex Dei, est enim lex Dei non vera, sed vera existimta, & ratione huius obligat conscientia. Nomine autem *legis Dei* cū S. Augustino intelligimus omnem legem obligantem, quę est lex Dei, vel ab illo recipit vim obligandi.

Tertium Arg. quod est D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *& quest.* 17. *de veritate, art.* 4. *ad nonum* omne peccatum ad aliquod genus reducitur, sed facere contra conscientiam erroneam, non habet speciem peccati, ad quam possit reduci; ergo non est peccatum. Maior constat ex eo, quod nullum datur indiuiduum, quod non habeat genus, speciem, alias non haberet essentiam. minor verò probatur, nam si alicui dictet conscientia, esse fornicandum sub pręcepto, vel esse sub pręcepto exeundum in agrū, & non se conformet tali conscientię, non apparet ad quam speciem peccati pertineat non fornicari, & non exire in Agrum.

Resp. cum S. Thoma *quest.* 17. *de veritate, art.* 4. *ad* 9. dicente; *quod quando conscientia erronea dictat aliquid faciendum, dictat sub aliqua ratione boni, vel quasi opus iustitiæ, vel temperantiæ, & sic de alijs: & ideò Transgressor incurrit in vitium contrarium illi virtuti, sub cuius specie conscientia illud dictat: vel si dictat illud sub specie diuini præcepti, vel alicuius prælati, tantum incurrit peccatum inobedientiæ, conscientiam transgrediens*.

Quartum Arg. quando aduenit scientia certa, illius, quod dictabat conscientia erronea, non tenetur Homo sequi conscientiam erroneam; ergo nequè ante tenebatur. Antecedens est manifestū. quia tunc iam patet non esse talem obligationem, qualem conscientia dictabat. & consequentia probatur, quia cognitio non tollit, nequè ponit obligationem, sed tollit conscientiam erroneam.

Resp. negando consequentiam. Ad eius probationem distinguo illam propositionem: *cognitio nō tollit obligationem* si loquaris de obligatione vera, & per se, concedo; nego verò loquendo de obligatione per accidens, quę est conscientię erronę, sicut enim

enim illam introducit error, & ignorantia, quibus repræsentatur, vt obligatorium, quod tale non est; sic adueniente scientia, id quod reuera nō erat obligatorium, sed existimabatur tale, cessante tali existimatione, cessat.

Quinto Arg. si conscientia erronea obligaret sub peccato ab illa proposito, sequeretur, quod si conscientia alicuius dictaret, quod aliquis est Clericus, & non esset; tunc percutiendo illum committeret sacrilegium, sed non committit: ergo non sic obligat. sequela est aperta, & minor probatur. si illa exterior percussio, esset sacrilega, eo quòd Clerici percussio incurrit excommunicationem. At nullus Theologus concedit huiusmodi fore excommunicatum; ergo nec erit sacrilegus.

Resp. concedo casum, & sequelam, & nego minorem, committeret enim ille peccatum sacrilegij. Ad probationem dico, quod censura excommunicationis in percussore Clerici; non est lata contra eos, qui ex errore sunt percussores Clerici, & Sacrilegi, sed contra eos, qui in rei veritate Clericum verum percutiunt. Vndè licet in casu Argumenti, ille qui credidit se percutere Clericum sit sacrilegus, & eodem modo peccet, ac si reuera esset Clericus, ac si reuera incurrisset excommunicationem; sed reuera excommunicatus non est, sed quia existimat, se esse excommunicatum, tenetur leges excommunicati seruare. Videatur Castro *lib. 1. de lege pænali cap. 5. documento 4.*

Sextum Argumentum. Hęc est mala consequentia: Accipio id, quod credo esse alienum; ergo verè accipio alienum. ergo similiter non est bona consequentia. facio id, quod existimo prohibitum, & illicitum: ergo verè faccio illicitum, prohibitum, & peccatum; ergo stat me agere contra conscientiam dictantem aliquid esse prohibitum, quod non est, & tamen vere non foret prohibitum, & malum.

Resp. concesso antecedenti, nego consequentiam. & Ratio discriminis est, quia rem esse à parte rei propriam, vel alienam non pendet ex approbatione, & affectu meo, sed ex ipsa rei natura, & conditione; quantocunquè enim res aliena iudicetur á me propria, erit nihilominus aliena. At verò operationem esse licitam, vel illicitam, quamuis, in re pendeat á lege prohibente, vel pręcipiente, non tamen pendet ab ea pręcisè, & secundùm se, sed ab ea, vt cognita ab operante, & intimata voluntati, vndè præcipuè prouenit ex appræhensione, & affectu ipsius operantis. & hinc est, quod operatio, quæ, in se sit illicita, si inuincibiliter ignoratur eius prohibito, licitè fiat: è contra verò operatio de se licita si existimetur illicita, & prohibita, & hoc non obstante fiat, illicita est, quia tunc datur voluntas violandi, & cōtemnendi talem legem.

Secunda sententia opposita, distinguit de consciētia erronea, si enim dictat aliquid sub obligatione, quod est indifferens, vel quod est bonum, sed non obligatorium, vt leuare festucam, dare eleemosinam extra casum extremæ necessitatis, tunc conscientia erronea obligat: si autem conscientia dictat aliquid esse faciēdum sub obligatione, quod est malum, & prohibitum, vt furari, vel vetat aliquid sub obligatione, quod est bonum sub præcepto faciendum, vt audire missam in die colendo; tunc talis conscientia non ligat, seù obligat. sententiā hanc refert S. Thomas 1. 2. *quest. 19. art. 5. & q. 17. de veritate, art. 4.*, & aliqui illam tribuunt Alexandro de Ales 2. *parte quest. 120. membra 3. vt refert* Martinez 1. 2. *quest. 19. art. 5. dub. 2. in 2. sententia*, quæ sequentibus argumentis suadetur.

Primum Arg. Vt conscientia obliget debet esse probabilis: si enim probabilis non est, non obligat, sed conscientia erronea non est probabilis: ergo nō obligat. Consequentia est bona: maior probatur ex eo, quod si quis habeat conscientiam, quòd Vxor sua est sibi coniuncta in aliqua gradu prohibito, vndè Matrimonium non est vallidum, si eius conscientia est probabilis, non debet commisceri cum illa, etiā si à Iudice Ecclesiastico per censuras compellatur ad cohabitandum: si autem non sit probabilis, debet obedire Præceptis Ecclesiæ, vt disponunt Iura Ecclesiastica in Capite *Inquisitionis*, de sententia Excommunicationis In capite, *Dominus*, de secundis nuptijs, de quibus videatur Ledesma *in additionibus ad tertiam partem q. 45. art. 1. dub. 2.* & Minor principalis Argumenti probatur, nam conscientia erronea pręcipuè, quæ dictat facienda ea quæ ex se sunt mala, non est probabilis, immò per se falsa: ergo non ligat.

Sed hæc 2. sententia opposita etiam est falsa; & à S. Thoma hic *q. 19. art. 5.* appellatur irrationalis, ab alijsque maiori inuritur censura, vt ex Conclusione 2. apparet, nec difficile erit eius soluere Argumenta.

Resp. ergò ad Argumentum primò, negando Antecedens; conscientia enim, quæ in se probabilis non est vt erronea, dictans vt bonum, quod est malum, & ex consequenti prohibitū, vt dictum est, obligat, licèt & hęc respectu habētis nō illā, nō solum sit probabilis, sed certa. Ad probationem Respondet S. Thomas *q. 17. de veritate, art. 4. ad 4.* quod iura disponunt, quod conscientia in se probabilis deponatur, vt sic homo pareat mandatis Ecclesiæ. Sed quod manente illa conscientia, quæ in se improbabilis est, certa verò apparet, homo non conformetur illi, iura non disponunt, immò peccat, qui contra illam facit, dum non deponitur. Secundò Resp. quòd vt conscientia obliget, debet esse probabilis, vel saltem respectu habentis illam: conscientia verò erronea, de qua nunc loquimur, non solùm probabilis est hanti, sed certa, & ideò non loquantur iura de illa, sed de scrupulosa, qua non obstante, debet homo conformari mandato Ecclesiæ, quandò non habet probabile fundamentum, de quo agendo de conscientia scrupulosa, infra.

Secundum Arg. conscientia nostra est inferior Deo: ergo non potest obligare, quandò præcipit aliquod contrarium præcepto diuino; & sic dictante conscientia mentiendum esse ad excusandum proximum, non tenemur conformari, illi, quia est contrà præceptum Dei, mentiri. Antecedens videtur verum; & consequentia probatur, nam super illud ad Roman. 13. 1. *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, dicit Glossa, quæ est S. Augustini, *Serm. 6. de verbis Domini*: Inferiori potestati non est obediendum contrà Præceptum superioris: sicut non est obediendum proconsuli, si contrarium Imperator præcipiat.

Ad hoc Arg. Resp. S. Thomas *q. 17. de Veritate art. 4. ad 2. & 1. 2. q. 19. art. 5. ad 2.* negando cōsequentiam, & ad probationem dicit, *quod verbum Augustini habet locum, quandò cognoscitur, quod inferior potestas præcipit aliquid contrà Præceptum superioris potestatis: sed si aliquis crederet quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris; contemnendo præceptum Proconsulis, contemneret præceptum Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret, quod Ratio humana dictaret aliquod contrà præceptum Dei, non teneretur rationem sequi, sed tunc ratio nō totaliter esset errans,*

sed

sed quandò errans proponit aliquid vt præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.

Tertium Arg. ex contraria sententia sequuntur aliqua falsa, & absurda, ergò illa non est admittenda. Consequentia est bona, nam in bona Consequentia, ex verò numquam sequitur falsum. Si ergo ex contraria sententia sequuntur falsa, illa vera nō est. Sequela verò probatur primò, sequitur ex contraria sententia, quòd Deus obliget ad peccandum; hoc autem est falsum, & absurdum, vt ex se patet. Sequela verò probatur. Nulla lex, nullum præceptum, nulla obligatio sub precepto reperitur, quæ nō trahat virtutem à Deo, & in qua non Deus sit, qui obligat, iuxta illud ad Romanos 13. 1. *non est potestas, nisi à Deo*. Si ergò conscientia erronea vincibilis obligat, Deus mediante illa obligat, & si obligat illa ad peccatum, Deus obligat ad peccatum.

Confir. Si Deus mediante conscientia erronea obligaret, vel inclinaret hominem quocunque modo ad peccandum, verbi gratia, ad mentiendū, sequeretur, quod eodem modo posset inclinare aliquem, vel obligare ad mendacium mediante habitu fidei; consequens est falsum; ergò & Antecedens. sequela primò ex eo suadetur, quod si Deus mediante dictamine practico erroneo inclinat moraliter, vel obligat homine ad mentiendum: quare etiam non poterit obligare, vel inclinare ad mentiendum, mediante habitu fidei? Falsitas autem consequentis valdè ostenditur à Cano *lib. 2. de locis Theologicis*, & Bannez *2. 2. q. 1. art. 3. dub. 1. & 2.*

Secundò probatur sequela. sequitur ex Contraria sententia, posse aliquem peccare diligendo Deū super omnia; hoc autem est falsum, & absurdum: ergo ex contraria sententia sequitur falsum, & absurdum. Sequela probatur. Demus, quod quis habeat conscientiam falsam, seù erroneam vincibilem quòd diligere Deum super omnia est malum, & vitandum. Si hæc conscientia obligat, peccat Homo non conformando se illi, & Deum diligendo. quod autèm hoc sit falsum, & absurdum, ex eo patet, quod dilectio Dei super omnia præponit omnibus Deum, peccatum verò, saltem mortale, aliquid preponit Deo: ergo simul, & semel homo præponeret Deum omnibus, & non preponeret alicui, quod peccando anteponeret Deo, quod est manifesta contradictio.

Ad hoc tertium Arg. Resp. negando sequelam, seù Antecedens. Ad primam probationem nego maiorem seù sequelam. Ad eius probationem dico, quod si aliqua est vera lex, & verum præceptum, vere trahit à Deo virtutem obligandi, & Deus medio illo obligat. Sed si non est vera lex, & verum præceptum, sed errante conscientia, vt tale preponitur, tunc tale preceptum existimatum, non verè trahit à Deo virtutem, quia non verè est præceptū, sed existimatur trahere virtutem à Deo, & existimatur, quod Deus mediante illo obligat, & supposita illa existimatione, obligat ne quantum est in nobis contemnatur Deus. Et ideò totus defectus, & error reducitur in rationem malè applicantem Legem Dei ad id, quod verè non præcipit.

Ad Confirmat. Medina *hic*, & alij non reputant inconueniens concedere, quod lex diuina concurrat per accidens ad id, quod malum est, & peccatum: & idem concedunt alij de habitu fidei, existimantes posse per accidens inclinare ad falsum: sicut & Prudentia aliquandò per accidens inclinat ad falsum, vt ad adorandam hostiam ex malitia Sacerdotis non Consecratam. Sed hæc Doctrina nimis est audax, de qua videantur Cano *lib. 2. de locis Theologicis cap. 3. & Bannes 2. 2. q. 1. art. 3. dub. 1. & 2.* & exemplum Prudentiæ nihil conuincit, nam prudentia solum inclinat ad verum practicum. Et in predicto casu practicè est verum, Hostiam esse Consecratam, licèt speculatiuè sit falsum, iuxta superius dicta. fides autem inclinat non solum ad verum practicum, sed etiam ad verum speculatiuè: vndè sicut prudentia, quia est virtus intellectualis, non potest inclinare ad falsum practicè, sic nec fides ad falsum etiam speculatiuè, sed hęc controuersia suo loco relicta maneat.

Ad Confir. Resp. quod supponit falsum. Deus enim nequè mediante conscientia erronea, nequè mediante quocunquè alio, obligat ad peccatum, neque ad malum, & sic nequè mediante fide, neque mediante quocunq; alio ad mentiendū inclinare potest. Dices: conscientiam etiam vincibilis obligat; talis ergo obligatio non potest ab alio deriuari nisi à Deo. Deus ergo mediante conscientia erronea obligat. Ad hoc dupliciter potest Responderi: Primò iuxta dicta, quod in eo casu Deus non obligat, sed putatur obligare: ex quo errore, & mala applicatione talis obligationis ad id, ad quod non est, sequitur per accidens, quod homo contemnens id, quod iudicat præceptum Dei, peccet. Et tunc totum peccatum reducitur in errorem culpabilem rationis, si est Ignorantia vincibilis: vel inculpabilem, si est inuincibilis,

Secundò Resp. quod in illo actu conformandi se cum conscientia erronea; sunt duo, vnum, est quasi formale, nempè pręceptum Dei, seù conformari illi, & ad hoc concurrit Deus saltem per accidens, supposita scilicet Ignorantia: aliud est quasi materiale, nempè, quod hoc sit peccatum, eò quod Ignorantia erat vincibilis, & culpabilis, & ad hoc non concurrit Deus, nec ad hoc obligat, nec putatur obligare, sed totū refunditur in malitiā voluntatis nolentis exire ex illa culpabili Ignorantia, iuxta id, quod *dixi tom. 1. q. 19.* loquendo de actu peccati, quod scilicet concurrit prima causa cum causis secundis ad actū positiuum peccati, vt ens, & perfectio est, sed defectus, & peccatum solùm reducitur in causā deficientem secundam. Sicut concurrens prima causa cū tibia ad motum claudicationis sic concurrit, quod tota substantia, & entitas motus reducitur in primam causam, defectus verò claudicationis solùm reducitur in tibiam claudam. Sic ergo in presenti mediante conscientia erronea inclinat Deus ad id, quod proponitur ab illa, vt stat sub obligatione legis, vel præcepti, qua ratione bonum est illi conformari, sed non, inclinat ad conformitatem cum tali conscientia, vt talis conformitas est peccatum, supposita negligentia deponendi errorem: sed hoc reducitur in subiectum, quod tenebatur talem conscientiam deponere, & non applicare legem Dei, & præceptum rei prohibitæ, & malę.

Ad 2. probationem principalis sequelæ, nego maiorem. Ad eius probationem Respondent aliqui, vt Montesinos *disp. 29. quæst. 3. n. 45.* non esse possibilem conscientiam dictantem non esse diligendum, sed odiendum Deum, nam nomine Dei vnusquisquè concipit aliquod summum bonum absquè aliquo mali, & hoc non potest existimare esse odiendum. Sed licet Deus in se non possit odio prosequi, sed vt aliquid nostræ voluntati aduersum operatur, potest aliquis odire, non solùm condemnati in inferno, quia eos punit; sed etiam viatores fideles in quantum concipiunt illum, vt prohibitorem suarum voluptatum, & finaliter punitorem, inquātum

rum sunt pauperes, vel infirmi, propter quę sæpè blasphemant illum: ex simili ergò errore potest fortassis aliquis existimare, se teneri ad odiendum, quia condemnauit partem eius, vel quia nos miserijs subiectus creauit, vel saltem supposito hoc respondendum est.

Dicimus ergo quod supposita illa conscientia erronea dictante non esse diligendum Deum sub præcepto; in eo casu non posset homo Deum super omnia absolutè diligere, quia cum iste ex tali suppositione, eo ipso quod non se conformat tali dictamini, contemnat legem dei, & peccet; antepponit aliquid Deo, alias non peccaret; eo ergò ipso non diligit Deùm efficaciter super omnia, sed inefficaciter, qua ratione videtur peccatori manenti in peccato, se Deum super omnia diligere. videatur Martinez *quæst. 19. art. 6. dub. 2. ad 3.*

DVBIVM QVARTVM

An conscientia erronea quæ versatur circa materiam necessariam, sicut ligat, ita obliget; vt nullum sit Discrimen in moralibus inter ligare, & obligare, quantum ad significationem rei.

CONscientia erronea, quæ versatur circa materiam necessariam, iuxta dicta conclusione precedenti, sicut ligat, ita obligat; neque discrimen aliquod est in moralibus, inter ligare, & obligare, quantum ad significationem rei. Hæc conclusio est contra opposità sententià Durâdi infra referendâ.

Prob. 1., quia contraria sententia singularis est Durandi, & Almaini, cui neque Patres, neque antiquiores, vel posteriores Theologi subscribunt, immò contrarium docent. In primis S. Thomas, *q. 19. art. 5. in principio corporis Articuli.* sic ait. *Idem est quærere, vtrum voluntas discordans à ratione errante, sit mala, quòd quærere, vtrùm conscientia errans obliget?* Conscientia ergò errans non solum ligat, sed obligat: & promiscuè vtitur verbo *ligandi, & obligandi*, prima parte, *quæst. 79. art. 13. & 1. 2. quæst. 19. art. 6. & in secundo, dist. 39. q. 3. art. 3. & quæst. 17. de veritate, art. 3. & 4.* & in eodem sensu recipiunt verbum, *ligaret* tam Theologi, quam iurisperiti, non agnoscentes discrimine illud, quod proponit Durandus, vt expressè aduertunt corduba *lib. 3. q. 4. dub. 3.* Medina *q. 19. art. 6. dub. 2. §. sed pro maiori*, ibi Aluarez *disp. 78. §. in contrarium*. Vasquez *disp. 6. cap. 2. in principio*. Mantesinos *disp. 39. q. 3. §. 2. versu, His nõ obstantibus*, & Martinez *quæst. 19. art. 6. dub. 2. §. tertia sententia*.

2, Prob. nominibus vti debemus secundùm illã significationem, quàm habet receptus communis vsus loquendi, nam si cuilibet licet pro libito acpipere in alia significatione, omnia, esunt confusa. Qua ratione nominales ad euasiones potiùs difficultatum, quam ad dissolutiones, non significata nominum introducentes meritò expulsi sunt à scholis. sed communis vsus Theolorotũ, & iurisperitorum pro eodem sumit, aliquem ad aliquid obligare, & ad illud ligari, vt vidimus ex allegatis Doctorib. ergò in hoc sensu debemus vti verbo ligandi. Tertiò probatur conscientia erronea, de qua loquimus, est, quæ proponit præceptum superioris vt obligans, licèt reuera non detur tale præceptum; ergo supposito errore, & propositione conscientiæ, tale preceptum verum existimatum obligat, & talis conscientia inquantum illud proponit. Patet consequentia, quia preceptum non habet obligare aliter, quam vt propositum per conscientiam: neque aliter, se habet tale præceptum sic propositum, quãdo est verum, & quandò est falsum, quantum ad hoc, quod est obligare. Immò si ratione talis præcepti talis conscientia non obligat, non est aliqua necessitas sequendi talem conscientiam.

Opposita sententia distinguit inter ligare, & obligare in moralibus: tunc enim solum iuxta hanc sententiam aliquid obligat, quando Homo ita tenetur ad illud operandum, vt à tali obligatione non cessat, quousque exerceat talem operationem, sicut qui tenetur diligere Deum, vel audire Missam. Ligare autem contingit; quando ita est dispositus homo, quod non potest licitè exire in aliquam partem sed in quamcumquè exeat, malè agit, vt cum quis ex conscientia erronea ad faciendum quod malum est, tenetur, seù ad omittendum, quod ex precepto tenebatur facere; tunc enim siuè faciat, siuè non faciat, iuxta conscientiam, peccat, & dicitur ligatus, metaphora desumpta à ligatura exteriori, quæ ligatum ab omni impedit operatione; quo supposito dicit hæc sententia, quod conscientia erronea, quæ dictat ex præcepto efficiendum esse malum, vel non efficiendum esse bonum præceptum, ligare, quia ad nullã partem relinquit viam sinè peccato, non verò obligare, quia etiamsi non fit iuxta id, quòd conscientia dictat, est aditus, deponendo errorem conscientiæ, huius sententiæ Auctor est Durandus *in 2. dist. 39. q. 5. num. 7.* quem sequitur Almain *tract. 1. moralium cap. 3.* cuius modus loquendi non displicet Valentię *disp. 2. quæst. 14. puncto 4.*

Fundamentum huius sententiæ oppositæ est primò, quòd conscientia erronea, maximè quæ dictat contrà legem, non obligat, & ex alia parte ligat. Dicendum ergò est, discrimen esse inter hoc, quod est obligare, & ligare, & vnam non competere conscientiæ erroneę, alterum illi competere. Consequentia videtur bona, & Antecedens quantum ad primam partem, nempè, quod conscientia erronea non obligat, probatur Argumentis adductis pro prima, & secunda sententijs *Dub. praced.* quod verò liget, probatur primò Auctoritate, nam S. Thomas id expresè docet, & hoc ligandi vocabulo vtitur etiam loquendo de cõscientia erronea, *prima parte, quæst. 79. art. 13. & 1. 2. q. 19. art. 6. & in 2. destinct. 39. q. 3. art. 3.* & eodem modo loquuntur Corduba, Nauarrus & alij, quos refert hic Vasquez *disp. 60. cap. 1.* secundò probatur idem, nam agere contra conscientiam erroneam est peccatum, vt ostendemus infra; & agere iuxta cõscientiã erroneam dictatem, vt bonum, quod reuera est malum & vt malum, quod reuera est bonum obligatorium, vt est etiam peccatũ, vt videb. dub. sequenti: ergo conscientia erronea verè ligat.

Secundum fundamentum oppositum est. Hoc est discrimen inter obligare, & ligare, secundum quod referuntur ad res morales: quod obligare dicitur, quando ad vnam partem tenemur, quam exercẽtes rectè procedimus, sed non licet ad aliam, partem declinare. sic dicitur Homo obligari ad diligendum Deum, ieiunandum, quia tenentur diligere, & ieiunare, & hęc faciendo, rectè facit, & adimples legem, sed contrarium faciendam, vel hęc omittendo malè agit; ligare verò sumpta metaphora ab homine ligato dicit, esse impeditum ad vtrumquè, & ideò meritò significat illum, qui tenetur ex vtrunque parte, & siuè conformet se conscẽtia, siuè non se conformet, peccat. Rectè ergò dicimus, quòd conscientia erronea, quæ dictat vt obligatorium,

gatorium, quod est illicitum, non obligat, quia, qui conformatur illi, non rectè agit, sed malè: ligat autem. quia ex omni parte est impeditus, siuè enim conformet se conscientiæ, siuè non se conformet, semper peccat, & solum est remedium dissoluere ligamen, quod est deponere conscientiam erroneam.

Resp. ad primum fundamentum huius nostræ oppositæ sententiæ, negando Antecedens; nam conscientia erronea, etiam quæ dictat contra legē, sicut obligat, sic ligat. Ad hoc, quod probat illam non obligare argumentis factis pro prima, & secūda sententijs Dub. præced. dicimus. illis à nobis esse satisfactum. Quod verò probat eam ligare, super vacaneum est, cum id concedamus, sed sumendo *ligare*, pro hoc, quod est obligare.

Ad 2. fundamentum vno verbo dicimus, totam illam doctrinam, & si acutam, esse absquè fundamento confictam, eò quòd vocabulis debemus vti iuxta communem acceptionem peritorum in lingua, et non iuxta etiam acutas nostras imaginationes. Vocabulo ergò ligādi vtuntur Theologi prout est idem, quod obligare, & totum adductum ab argumento est subtilis Durandi imaginatio, cui non concordat vsus Auctorum.

DVBIVM QVINTVM.

An Conscientia erronea, quæ proponit materiam, vt necessariam non solum liget, & obliget, quando est inuincibilis sed etiam quando est vincibilis, dum non deponitur.

COnclusio conscientia erronea, quæ proponit materiam, vt necessariam iuxta dicta, non solum ligat, & obligat, quando est inuincibilis, sed sed etiā quando est vincibilis, dum non deponitur.

Probatur primò ex illo ad Galatas 5.3. *Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se, quoniā debitor est vniuersæ legis faciendæ*. Tunc enim, *vt sup.* remanet probatum, legalia erant iam prohibita, & peccatum; & tamen ex hoc quod quis conscientia erronea existimaret, obligare, debitor, constituebatur. *vniuersæ legis faciendæ*. Ergò conscientia erronea quæ dictat, vt debitum, quod est malum, & prohibitum, obligat. Dices, obligat vtiquè illa conscientia quia erat inuincibilis, sed si esset vincibilis, non sic obligaret. Sed contra, nam illa conscientia quæ dictabat Iudeis, cum quibus Paulus loquitur, obseruandam esse circuncisionem, & legem, erat culpabilis, & inducebat peccatum eius obseruatio: ergo erat vincibilis; consequentia est bona, quia conscientia, seù Ignorantia inuincibilis omninò excusat, vt omnes fatentur, & Antecedens probatur. Ponit enim ibi Paulus conformantes se tali conscientiæ peccare mortaliter, & a gratia Christi excidere, vt patet ex illis verbis. *Ecce ego Paulus dico vobis, quonim si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Et Iterum, *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis*. Idem posset confirmari ex illo ad Romanos 14. 23. *Omne enim quod non est ex fide, peccatum est*, vbi generaliter id decidit.

Secundò probatur Auctoritate: Nā Patres Theologi, & Iurisperiti adducti Dub. pręced. generaliter docent cōscientiā erroneā dictantē aliquid sub obligatione, ligare, & obligare, nulla facta mētione de Ignorantia vincibili vel inuincibili. ergo omnes cōmuniter tenent, conscientiam omnem etiam vincibilem obligare, præter paucos citandos pro, Sent. oppos. Et S. Thomas 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. quærens, *Vtrum voluntas discordans à ratione errante, sit mala?* absolutè affirmat. Et in Articulo sequenti quærens, *Vtrum voluntas concordans rationi erranti sit bona* distinguit de Ignorantia vincibili, & inuincibili, sentit enim in primo casu esse obligationem conformandi se cū conscientia erronea, siuè sit ignorantia inuincibilis, siuè vincibilis, alias distinxisset sicut in secundo. & super illud ad Galatas 5. *Debitor vniuersæ legis*. lectione prima docet, cōscientiam erroneam vincibilem obligare ad suoi obseruationem. Videatur 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 5. *ad* 2. *& art.* 6. *ad* 2. & eandem sententiam expressè tenent S. Bonauent. *in* 2. *distinc.* 39. *q.* 3. *art.* 3. in quantum dicit, quod conscientia erronea nos obligat, vt nil contra eam faciamus, & etiam, vt illam sequamur, aut deponamus. In eo quod dicit, vt eam deponamus, indicat esse vincibilem ignorantiam, & in eo, quod dicit obligare, si non deponímus, ad hoc, quod illam sequamur, admittit nostram conclusionē. Videantur etiam Montesinos *disp.* 29. *quæst.* 3. §. *dico secundò*, Martinez *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 2. *conclusione* 2. & Suarez *disp.* 12. *sect.* 5. *n.* 10.

Tertiò probatur ratione. conscientia erronea obligat, quandò est ignorantia inculpabilis, & inuincibilis; ergò etiam obligat, quando est ignorātia culpabilis; Antecedens conceditur ab aduersaris, & Dubio 2. probatum manet; & consequentia probatur. Conscientia inuincibilis erronea solū obligat ex hoc, quòd proponit aliquid vt bonum præceptum, licèt in re sit malum, atquè adeò prohibitum: vel proponit aliquid vt malum prohibitum, licèt in re sit bonum, & præceptum. Et supposito, quòd tale proponit vt pręceptum, Homo si non se conformaret cum tali conscientia, contemneret tale præceptum, & peccaret; sed hoc ipsum contingit, quandò ignorantia est vincibilis; proponit enim certò, & absque dubitatione præceptum de re, quæ est in se mala, & prohibita: ergò si non se conformat cum tali conscientia, necesse est, quod habeat voluntatem contemnendi, seù nō adimplendi Præceptum, quod ex errore etiam culpabili existimat obligare. & solum est discrimen, quod quandò est ignorātia inculpabilis excusatur à fractione pręcepti circa rem prohibitam, quòd inuincibiliter ignorat; nō verò quandò est vincibilis, quia tunc culpabiliter ignorat tale præceptum, vt videbimus inferius.

Confir. ratione S. Thomę 1. 2. *q.* 19. *art.* 1. *ad* 2. si minister Regis proponat alicui aliquod pręceptū Regis ex Ignorantia culpabili, vel malitia, quòd reuera pręceptum non est: tamen si subditus non seruaret tale præceptum, sed contemneret illud, reus esset, & mereretur puniri à Rege, quia quantum est ex se voluit, Regi non obedire. Et simile est, si aliquis ex persona Prelati intimaret præceptum subdito; sed conscientia est, quasi minister Dei, cui incumbit proponere Dei mandata. ergò si ex quacunquè culpa proponit mandatum, itaut homo credat esse verum mandatum, etiamsi non sit, & nolit ei obedire, vel se illi conformare, reus est contrà Auctorem talis legis existimatum, quia contempsit eum in lege, quam suam esse putabat.

Sententia opposita distinguit de conscientia erronea inuincibili, quæ scilicet procedit ex errore inuincibili, & conscientia vincibili, quæ procedit ex errore vincibili, & culpabili. Quo supposito dicit, quod licèt homo teneatur sequi conscientiam erroneam inuincibilem, non tamen tenetur sequi vincibilem; hæc enim nō obligat, & ligat sicut illa. quā sententiā sequuntur Angelus, *in moralibus cap.* 7.

Corduba

Corduba *lib. 3. q.* 4. Lorca *hic disp. 33. membro* 2. & eandem sequitur Vasquez *disp. 60. cap.* 2. cum limatatione autem, quam Dub. seq. adducemus. Fundamentum huius nostræ oppositę sententiæ est. Conformari conscientię erroneę, & vincibili dictanti aliquid, quod est contra legem Dei, est peccatum; ergò nullus tenetur illi conformari. Antecedens est certum, vt vidimus sup. & consequentia probatur. nam nullus potest obligari ad peccandum, alias nõ peccaret, sed conformari tali conscientię est peccatum; ergò ad hoc nullus potest obligari. Maior probatur. Nemo peccat faciendo, quod facere tenetur: ergò si quis teneretur sequi conscientiam erroneam vincibilem peccaret, & non peccaret.

Conf. sequitur ex contraria sententia casus, in quo homo sit perplexus, & necessitatus ad peccādum, siuè faciat, siuè non faciat, iuxta conscientiã; sed hæc sequela probatur, nam si quis ex ignorantia vincibili iudicet, se teneri ad Adulterium committendum cum muliere, ne se interficeret, si conformando se conscientiæ committit illud, peccat contra 6. præceptum Decalogi, à quo non excusatur per conscientiam erroneam vincibilem, quia ignorantia vincibilis non excusat: si verò non committit tale adulterium, facit contra propriam conscientiam in contraria sententia. Absurditas consequentis probatur, nam in eo casu quis ex necessitate peccaret, & sic lex, contra quam peccaret, esset iniqua, obligans ad impossibile. impossibilitas verò probatur, quia de ratione peccati est, quod sit liberum, & vitari possit; hoc verò esset peccatum ineuitabile.

Hæc sententia opposita practicè improbabilis est iudicata à nobis sup. vbi varijs argumentis est expugnata.

Ad fundamentum eius, concesso antecedenti, distinguitur illud consequens; *nullus tenetur illi cõformari*. per se enim loquendo, concedo; per accidens, & supposito errore, nego. Ad probationem distinguo illam propositionem; *nullus potest obligari ad peccandum*; si directè, & per se sumas dictionem, *peccandum*, verum est; si autem intelligas aliquid, quod ex alio Capite per accidens sit peccatum, falsum est. Potest enim per accidens ad talem rem obligari, non solum in casu, de quo disputamus, sed in alijs. v. g.: Parochus est in concubinatu, quòd nullo modo vult relinquere, offert se casus absoluendi, baptizandi, celebrandi sub mortali, in eo casu supposita malitia confessoris, a qua non vult cessare siuè faciat, siuè non faciat, peccat, si enim ministrat in peccato mortali existens, peccat, si non ministrat, peccat negando id, ad quod ex iustitia tenetur. Dices: desistat à Concubina, & non peccabit. sed similiter in præsenti, deponat conscientiam erroneam, & non peccabit. Ad id, verò, quod dicitur. *nemo peccat faciendo id quod facere tenetur*. ex ea parte; qua id tenetur facere, verum est, sed ex alio Capite, ex sua malitia peccat faciendo, quod tenetur facere. Sicut qui ita est dispositus ad Parochum, vt semper, quod videt eùm peccet ex odio, vel Luxuria, audiendo eius vnicam missam in die colendo, peccat faciendo, quod tenetur facere, sed ex ea parte, qua id tenetur facere.

Ad confirmationem Respondetur, non dari casum, in quo per se, & ex natura rei Homo sit perplexus: sed tamen potest dari casus, in quo per accidens, & ex eius malitia, & ignorantia sit perplexus: sicut non datur bellum iustam ex vtraque parte, attenta natura rei, sed supposita ignorantia sæpè aliqui bellant iustè ex vtraquè parte, tam in bello communi, quàm in speciali, quod est litigium tam ciuile, quam criminale. Videatur S. Thomas 1. 2. *quest. 19. art. 6. ad secundum*.

DVBIVM VI.

An Conscientia erronea circa materiam necessariam, non solum liget, & obliget negatiuè ad non agendum contrà illam, sed etiam positiuè ad agendum iuxta illam, seù ad conformandum se illi.

CONclusio. conscientia erronea circa materiam necessariam non solùm ligat, seù obligat negatiuè ad non agendum contrà illam, sed etiam positiuè ad agendum iuxta illam, seù ad conformandū se illi. Hæc sententia est contra aliquos. Probatur primò ex illo loco ad Galatas 5. 3. *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*. In quo loco sicut manet ponderatum supra, loquitur de conscientia, erronea, & vincibili rei aliàs prohibitæ, & tamen dicit; debitorem esse hominem non solùm non faciendi contra mandata talis legis, quod est obligatio negatiua, sed adimplendi omnem legem, seù faciendi omnem legem, quæ est obligatio positiua.

Secundò probatur. Nam illa subtilis sententia vt infra de obligatione negatiua, & positiua, singularis est ab antiquioribus non tradita, & à iunioribus non admissa, immò impugnata, de qua re videantur Medina *q. 19. art. 6. dub. 3.* §. 4. *Hæc explicatio quãuis subtilis*, Montesinos *disp 29. q. 3. §. hac sentētia vt dixi* Lezzana *tom. 2. Theol. tract. 2. q. 2.* & Martinez *quest. 19. art. 6. dub. 2. Conclu. 2*

Tertiò probatur. Conscientia illa erronea v. g. mentiendi pro saluanda vita, obligat, ne fiat aliquid contra illum, hoc est ne omittamus mendacium, vt contraria fatetur sententia; sed vt mendacium non amittamus, necessariū est mētiri; ergò cõscientia illa non solū negatiuè ad non emittendū mēdaciū obligat, sed etiã ex cõsequenti positiuè ad mentiendū.

Respondet Vasquez, conscientiam illam obligare, ne omittatur mendacium, non absolutè, sed permanente conscientia, ac proinde non mentiri perseuerante conscientia, illa esse peccatum. Cæterum, quia euitari potest, & debet mendaciam illud alio modo, quàm mentiendo, & quam sequendo conscientiam positiuè, deponendo conscientiam illam, ideò conscientia illa non obligat, vt positiuè illam sequamur.

Sed cõtra est primò, quòd si nõ deponat cõscientiã, tunc saltē tenebitur etiã positiuè, sicut negatiuè; deposita cõscientia enim, sicut non obligat positiuè. ita neque negatiuè, cùm iam non sit talis conscientia: sicut ergò potest deponi ne obliget positiuè, ita nè obliget negatiuè: ergo vel nullo modo obligat, vel si obligat negatiuè etiam obligat positiuè. Secundò aliud est; ad quid teneatur, qui habet conscientiam erroneam: aliud verò ad quid obliget ipsa conscientia erronea. Non inficiamur, quod qui habet conscientiam erroneam vincibilem, tenetur eam deponere, sed tamen ipsamet conscientia erronea non dictat, ipsam esse deponendam. Diuersa ergo obligatio est illa generalis deponendi ignorantiam vincibilem ab obligatione dictaminis conscientiæ, quòd solùm obligat non ad deponendum, sed ad non agendum contra illud, quando proponitur, vt lex obligans, & tunc manente tali dictamine, tenemur operari iuxta illud, aliàs contemnimus Legem Dei, propositam in conscientiæ dictamine.

Sed inquires; an cum quis non deposita consciētia erronea vincibili dictante aliquid sub precepto agendum, quod ex se est malum, & prohibitum, v. g., mentiendum in excusationem proximi, conformatur tali cōsciētię, & mētitur, dupplex peccatū cōmittat; Vnum, in hoc quòd nō deponit erroneam conscientiam, sed culpabiliter perseuerat in ea, & juxta eam operatur: alterum in hoc, quod facit cōtra virtutem veritatis mentiendo? Aliqui nominales, inter quos est Ocham *in 3. sentent. quest.* 13. affirmant. sed dicendum est, vnum dumtaxat esse peccatum, eò quod ignorantia operabilium eò solùm est peccatum, quia est causa non operandi, quod tenebaris operari, vel ignorare culpabiliter, quod est dies ieiunij. de qua re fusiùs dicemus tractando de peccatis:

Opposita sententia supponit, aliud esse conscientiam obligare ad hoc, quòd illam quis positiuè sequatur, & aliud obligare ad hoc, quòd contra illā non facciat. Primum dicitur obligare positiuè, secundum negatiuè, quo supposito dicit hęc sententia, quòd si conscientia erronea dictans sub obligatione, sit inuincibilis, absolute obligat. Si autem sit vincibilis, non obligat positiuè, ad hoc scilicèt, quod conformemur illi; sed tamen obligat negatiuè ad hoc, quod non facias contra illam. Si enim contra illam facis, peccas tale peccatum, quale proponitur ab ipsa conscientia. Sententiam hanc priùs retulit, & impugnauit Medina 1. 2. *quest.* 19. *art.* 6. *dub.* 3 *§. Alij verò doctores*. deindè illam sequuntur Valentiam 1. 2. *disp.* 2. *quest.* 14. *puncto* 5. *& in solutione ad primum contra conclusionem*; & Vasquez *disp.* 60. *cap.* 2.

Fundamentum huius oppositæ sententię est, quia dictante conscientia erronea vincibili aliquod, quod est contra Legem Dei, vt mentiendum esse ad saluandam vitam proximi, si homo contrarium determinet, vel faciat, non mentiendo, peccat, iuxta cōmunem opinionem: ergò tenetur homo non facere contra conscientiam erroneam vincibilem. Deindè conformando se cùm conscientia erronea, hoc est mentiendo, peccat. ergo non tenetur se illi conformare. Antecedens est certum, nam Ignorantia vincibilis præcepti nō mentiēdi nō excusat, vt cōmunis habet sententia; peccat ergò mentiendo, non obstāte ignorantia tali. Cōsequā verò probatur, quis enim audeat dicere, quod quis tenetur ad peccandum? Hęc opposita sententia non debet vllo modo admitti, vt patet ex dictis, & ex infrà dicendis magis patebit, & supra manet soluta.

Petes. *An obligatio conscientiæ erroneæ ad hoc, vt illi conformatur, sit obligatio per se; an verò secundum quid, & per accidens*;

Resp. quod obligatio conscientię erroneæ ad hoc, vt illi conformetur, non est obligatio per se, & simpliciter, sicut obligatio conscientiæ verę, sed est secundùm quid, & per accidens.

Conclusio hęc explicatur, & probatur simul Auct. S. Thomę, qui in quæst. 17. de veritate, art. 4. in Corpore sic ait: *Diuersimodè recta conscientia, & erronea ligat; recta quidem ligat simpliciter, & per se: erronea autem, secundum quid, & per accidens*. Dico autem, rectam ligare simpliciter, *quia ligat absolutè, & in omnem euentum: si enim aliquis conscientiam habeat de vitando adulterio, istam conscientiam sine peccato non potest deponere, quia in ipso quòd eam deponeret, errando grauiter peccatet: ea autem manente, non potest præteriri in actu sine peccato; vndè absolutè ligat, & in omnem euentum. Sed conscientiam erronea non ligat nisi secundum quid, & sub conditione, ille enim, cui dictat conscientia, quod teneatur ad fornicandum, non est obligatus, vt fornicationem sine peccato dimittere non possit, nisi sub hac conditione, si talis duret conscientia. Hac autem conscientia remoueri potest absquè peccato; vndè talis conscientia non obligat in omnem euentum; potest enim aliquod contingere, scilicèt depositio conscientiæ, quo contingente vlteriùs non ligatur. Quod autem sub conditione tantum est, secundùm quid esse dicitur*. Dico autem, *quod conscientia recta per se ligat; erronea autem per accidens; qui enim vnum vult, vel amat propter alterum, illud quidem, propter quod amat reliquum, per se amat: quod verò propter aliud, quasi per accidens; sicut qui vinum amat propter dulce, amat dulce per se, vinum autem per accidens: ille autem, qui conscientiam erroneam habet, credens eam esse rectam, (aliàs non erraret), & inhæret conscientiæ erroneæ propter rectitudinem, quam in ea credit esse, inhæret quidem, per se loquendo rectæ conscientiæ, sed erroneæ, quasi per accidens, inquantum hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse erroneam. Et exindè est, quod, per se loquendo ligatur conscientia recta: per accidens verò ab erronea. Et hæc solutio potest accipi ex verbis Philosophi in 7. Ethicorum, vbi quasi eandem questionem querit, vtrum scilicet dicendus sit incontinens, qui abscedit à ratione recta solum, vel qui abscedit à falsa, Et soluit, quod, incontinens per se recedit à ratione recta; per accidens autèm à falsa, & ab vna quidem simpliciter, ab alia autèm secundùm quid, quia quod per se est, simpliciter est; quòd autem per accidens, secundum quid*. Idem confirmat. S. Doctor *art.* 5. *in Corpore, & in* 2. *dist.* 39. *q.* 3. *art.* 3. *in Corpore*. Videatur Martinez, *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 2. *conclus.* 3. & Aluarez *disp.* 78. §. *Notandum tamen*.

Secundò probatur. Qui habet conscientiam erroneam, dictantem vt obligatorium, quòd est prohibitum, simpliciter, & per se tenetur ad non operandum secundùm conscientiam. ergò non potest teneri simpliciter, & per se ad conformandum secum tali conscientia, sed solùm per accidens, secundùm quid. consequentia est bona, nam teneri simpliciter ad operandum, & teneri simpliciter ad non operandū sunt contradictoria, teneri autèm ad operandum contradictoriè, est impossibile. & Antecedens probatur. Qui habet conscientiam erroneam, quod tenetur mentiri in aliquo casu per se, & simpliciter tenetur non mentiri; ergò simpliciter, & per se tenetur ad non operandum iuxta illam consciētiam erroneam.

DVBIVM VII.

An Conscientia erronea obliget contrà Præceptum superioris, quandò præceptum Prælati est superiùs ad Præceptum à Conscientia siuè erronea propositum.

DVbium hoc sub alio titulo solet proponi, nempe: Vtrum conscientia plùs obliget, quam præceptū superioris? sensus tamen est idem: dato casu, quòd vnum dictet conscientia, & oppositum pręcipiat Pręlatus, cui obtemperandum est; an scilicet pręualeat conscientiæ dictamen, itaùt sequendum sit non obstante prælati præcepto; vel obtemperare debeamus præcepto prælati relicto dictamine conscientię. Et quidem hoc idem dubium potest esse de alijs speciebus conscientię, nempè de recta,

recta, seu vera, de opinatiua, dubia, & scrupulosa; in præsenti ergò dicemus, præcipuè de consciētiam recta, & de erronea, ex quo colligitur, quod pertinere possit ad opinatiuam; nam de dubia, & scrupulosa, suis dicemus locis.

Pro solutione difficultatis huius est aduertendū ex S. Thoma. 1. 2. *q. 19. art. 5. ad 1. & 2.* & Fusius *in 2. distinct. 39. q. 3. art. 3. ad 3. & q. 17. de veritate art. 5.* & ex dictis in superioribus, quòd cōscientia non obligat ex beneplacito Hominis, sed ex eo, quòd dictat aliquid esse præceptum, vel naturale, vel positiuum positum à Deo, vel ab habente auctoritatem, siuè tale preceptum reuersa sic se habeat à parte rei, vt contingit in conscientia vera, siuè tale præceptum à parte rei non detur, sed existimetur dari per erroneam inuincibilem, vel vincibilem, vt vidimus dub. præcedenti. ex hoc autē colligitur, quod talis est obligatio conscientiæ qualis ab illa repræsentatur. Vt ergò diffiniamus, cui obligationi standum est, & quæ ex duabus præualeat contrà aliam, cùm contrarium dictant: attendutu est ad auctoritate, quam conscientiam vera, vel erronea proponit; nam si proponit aliquid tāquam de lege naturali, vel diuina, & preceptum prælati cōtra dictat, standūest Iuri, & obligationi naturali, vel diuino potiùs quam præcepto superioris humani, sicut cum duæ leges naturalis, & diuina, & humana contrariantur, vt si Prelatus præcipiat aliquid, impediens assistere infirmo extremè laboranti, non debet talis infirmus propter præceptū Prælati dimitti; quia lege naturali, & diuina teneor tali Infirmo assistere.

Vnica conclusio: quandò præceptum prælati est superius ad præceptum, vel obligationem à conscientia, siuè vera, siuè erronea vincibili, vel inuincibili propositam: tunc conscientia prædicta non obligat contrà præceptum Prelati; immò preceptū Prælati obligat, & anteponendum est obligationi talis conscientiæ.

Explicatur conclusio. Sit casùs, quòd conscientia dictat alicui ex mandato Synodi, vel Episcopi, aùt inmediati Prælati, se teneri ad aliquid faciendū, vt colere festum alicuius sancti, siuè hęc conscientia sit recta, ac vera, siuè erronea esset vincibiliter, aùt inuincibiliter, tunc autèm Summus Pontifex de plenitudine Auctoritatis Apostolicæ non obstantibus in contrarium quibuscunquè, pręcipit contrariu, nempè non esse tale festum tamquam de præcepto colendum, tunc contra conscientiæ dictamen debet obedire Pontificis mandato. Simile est, si Religiosus aliquis habet hanc conscientiam ex mandato Prioris, teneor hodie visitare infirmum, siuè sic in re se habeat præceptum, siuè non, & tunc accedat Prouincialis prohibitio, qua præcipit ob nullam causam religiosum aliquem talis conuentus in die illo exire è domo; tùnc contra dictamen consciētię obediendum esset Prouincialis præcepto. ex quo deducitur quod casus conclusionis huius non pertinet directè ad hanc questionem, in qua non disputamus de duplici præcepto prælati, sed cùm ex vna parte est cōscientia dictans aliquid tanquam de lege naturali, vel diuina, & ex alia præceptum Prelati contrarium præcipientis. Licèt posset dici, quòd conscientia aliquandò dictare potest per modum legis mandatum Præpositi inferioris, vt legem synodalem, & in contrarium Præceptum actuale summi Pontificis. sed hoc parum refert ad veritatem conclusionis.

Hæc Conclusio sic explicata debet esse communis, de qua videantur S. Thomas *quest. 19. art. 5. ad 2.* Vasquez *disp. 61. cap. 1. §. Praeterea talis in medio.* Montesinos *disp. 29. q. 3. num 80.* Matinez *quest. 19. art. 6. dub. 2. sed pro explicatione.*

Probatur Conclusio manifesta demonstratione, ac ratione. In casu, de quo disputamus, concurrit preceptā inferioris à conscientia dictatum, cum præcepto superioris Prælati homini proposito; sed quando concurrunt duo præcepta opposita, maior est, quod obligat, & minùs cessat, ergò in casu maius præceptum quale est superius Prælati, obligat plusquam præceptum conscientiæ dictatum, & derogat illud.

Confirmatur. Cum Prælatus superior mandat aliquid contrarium mandato Inferioris, eo ipso dispensat super mandato Inferioris, & tollit illud, ergò in eo casu magis obligat, vel potius solùm obligat præceptum superius. Consequentia videtur perspicua, & Antecedens declaratur. Religiosus minimus exui suarum constitutionum tenetur non mādücare carnes extra casum necessitatis, quòd si summus Pontifex præciperet illi, quòd carnes comederet, eo ipso dispensaret cum illo, vt illas posset comedere quia præceptum summi pontificis, cum sit superior ad ordinationes, & regulam talis Religionis, potest in illa dispensare, & eo ipso, quod contrarium præcipit, virtualiter quantum ad illud dispensat.

Dices, in eo casu cessat conscientia dictans in contrarium. Sed quid si supposito mandato Summi Pontificis, talis conscientia dictaret, suam regulam esse obseruandam, & carnes non debere licitè comedi, & talis conscientia erronea esset vincibilis, sed non vinceretur, sed maneret? Dicendum est in eo casu, Religiosum istum peccare comedendo contra præceptum Papæ; sed reuera maius esset vinculum Præcepti Papæ, quàm suę Religionis, & magis teneri ad obediendum Papæ, quàm suis constitutionibus, grauiusquè esset peccatum transgredi præceptum Papæ, quam suę Religionis, etiamsi vtrumquè obliget ex se ad mortale.

DVBIVM VIII.

An quando Dictamen Conscientiæ, & Preceptum Prælati pugnant: tunc subditus teneatur sub mortali quærere rationes ad deponendam propriam conscientiam erroneam.

CONclusio. Quandocunque dictamen Conscientiæ, & Præceptum Prælati pugnant: tunc subditus tenetur sub peccato mortali quærere rationes ad deponendam propriam conscientiam, & si eos sufficientes inuenerit, debet eam deponere, & Prelato absquè contradictione conscientiæ obedire. Verbigratia. Demus subditum vidisse præceptum aliquod Pontificis, quod tamē ipso nesciēte, ab ipso Papa, vel à Successore est reuocatum, & quod Prælatus præciperet subditò sub censùris aliquid contra tale præceptum, tunc teneretur subditus examinare, vel legendo libros, vel consulendo doctos, an tale mandatum Papæ sit reuocatum, siue sit sufficienter promulgatam, & vsu receptum: & si deprehendit non obligare, deponat conscientiam, & obediat Prælato præcipienti. Sin autem perseuerat conscientia inuincibilis, tunc nō obediret Prælato, vt videbimus.

Probatur primò Cōclusio ex S. Thoma, *quest. 17. de veritate, art. 5. Vbi sic habet: cōscientia erronea ligat cōtra preceptū Prelati in indifferētibus secundū quid, & imperfectè. Secundū quid, quia non obligat in omnē euentum, sed sub conditione sua durationis. Potest aliquis quis, & debet saltem conscientiam depo-*

deponere. Videantur circa hanc difficultatem Sotus *in relectione de tegendo secreto membro* 3. q. 2. Syluester *verbo, conscientia, & verbo, Inquisitio. §. 3. & verbo obedientia* §. 4. Medina *q. 19. tit. 6. dub. 8. ex his, quos. 2. loco proponit.* §. *ex his principijs.* Montesinos *disp. 2. q. 3* 3. §. 8. *vers. sed quid dicendum est*, & Corneio *tract. 8 disp. 1. dub. 5. Conclus. 2.* vbi putat hanc esse conclusionem Alensis, S. Antonini, Gersonis, Syuestri, & Cordubę, quos adduximus supra.

Secundo probatur ratione, quia preceptum superioris, est etiam præceptum Dei, quia eius potestas deriuata est à Dei potestate, & sic illi est obediendum, vt dicit *ad Rom.* 13. 2. ergo intimato subdito existimanti contrarium ex alio capite, obligare ad minùs debet, ad examinare, an conscientia dictãs contrarium sit recta, si vel si erronea, deponere illã. Hæc vltima Consequentia ex eo probatur, vnusquisquè tenetur deponere errorem cognitum, pręcipuè cum est occasio non adimplendi quod debet, quia aliâ sua culpa non adimplet. Et prima consequentia probatur, quia aliâs se exponit periculo peccandi, cùm non facta diligentia, si talis conscientia erat deponibilis; non deposita, frangitur sine culpa pręceptum, quod deposita conscientia erat adimplendum.

Tertiò probatur, Vnusquisque tenetur exire à statu periculoso ad peccandum, iuxta illud Ecclesiast. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*; sed existere inter duo pręcepta obligãtia ad mortale faciendo, & non faciendo est periculosus status: ergo debet Homo necessariò sub pæna peccati exire à tali statu, sed exitus est, quærere rationes ad deponendam obligationem alterius, siuè secum, siuè cum alio conferendo: ergò ad hoc tenetur.

DVBIVM IX.

An Quando Conscientia siue vera, siuè erronea dictat aliquid tamquam obligatorium de lege naturali, vel diuina, seù de lege, & mandato superioris ad illum, qui contrarium præcepit, tunc Conscientia obliget contra Præceptum Prælati.

Conclusio, quando conscientia dictat aliquid tanquam obligatorium de lege naturali, vel diuina, seù de lege, & mandato Prælati superius ad illum qui contrarium præcipit; tunc conscientia obligat contrà præceptum Prælati, & plus est sequendum dictamen eius, quam pręceptum talis Prælati, siuè talis conscientia sit vera, & certa, siue erronea inuincibilis, siuè denique erronea vincibilis, dummodo perseueret, & non deponatur iuxta dicta in superioribus.

Probatur primò nam S. Thomas *in 2. dist. 39. q. 3. art. 3.* sic ait. *Conscientia obligat non virtute propria, sed virtute præcepti diuini, non enim conscientia dictat, aliquid esse faciendum hac ratione quia sibi videtur; sed hac ratione, quia à Deo præceptum est. Vnde per accidens ex virtute præcepti diuini obligat, inquantum dictat hoc, vt præceptum à Deo; & ideo dictamen conscientiæ plus obligat, quàm præceptum Prælati, sicut, & præceptum diuinum, in cuius virtute ligat; sicut patet si præceptũ Regis non perueniret ad populum, nisi mediante aliquo Principe, si Princeps diceret, hoc est præceptum à Rege, quamuis non esset verum, dictum suũ obligaret, vt præceptum Regis, itaut Contemptores mererentur pœnam.* Et quæst. 17 *de veritate art. 5. in principio Corporis ait: Conscientia non ligat, nisi vi præcepti diuini, vel secundùm legem scriptã, vel secundùm leges naturæ inditam; Comparare igitur ligamen conscientiæ ad ligamen, quod est ex præcepto Prælati, non est aliud, quam comperare ligamen præcepti diuini ad ligamen Prælati. Vnde cum diuinum præceptum obliget contra præceptum Prælati, & magis obliget, quàm præceptum Prælati, conscientiæ ligamen erit maius, quam ligamen pręcepti Prælati, & conscientia ligabit pręcepto Prælati in contrariam existente.* Idem tenent S. Antoninus *prima parte, titulo 3. cap. 10. §. 4.* Summa Armilla *verbo conscientia num. 1. & 2.* Durandus *in dist. 39. q. 5. nu. 9.* Corduba *lib. 3. de Conscientia q. 10. propositione 1.* Azor *tom. 1. summa lib. 1. art. 5. & 6.* Medina *q. 3.* Motesinos *disp. 29. q. 3. §. 2. vers. sed quid si adhuc.* Martinez *dub. 3. §. secundo notandum, & §. Tertiò notandum*; Et Corneio, *tractu octauo disput. 3. dub. 3. concl. 1. & 2.*

Secundò probatur ratione; quam S. Thomas locis pro hac concl. §. præcedenti citatis proponit, & nos in superioribus dicts comparare ligamen cõscientię, de quo loquimur in præsenti ad ligamen pręcepti prelati, non est aliud, quàm comparare ligamen pręcepti naturalis, vel diuini vel Prelati superioris ad ligamen prælati inferioris. sed non est dubium, quod quandò concurrunt contraria, pręceptum naturale, vel diuinum, vel prelati superioris, cum præcepto prelati Inferioris, obligat pręceptum naturale, diuinum, vel prælati superioris. ergo in vniuersum est verum, quod ligamen conscientiæ ortum ex lege naturæ, diuina, vel superioris prelati præualet, & hoc etiam si tale ligamen conscientiæ sit conscientiæ erroneæ etiam vincibilis, quia vt vidimus supra; conscientiam erronea etiam vincibilis non minùs obligat, quam cõscientia vera quantum ad vim ligandi, licèt in alijs sit discrimen ibi positum.

Opposita sententia absolutè tenet; præceptum prælati anteponendum esse cuicunquè dictamini propriæ conscientię Vndè tunc deposito, vel contempto dictamine proprię conscientię, standum est prelati præcepto. Citatur pro hac sententia S. Bonauent. *in 1. dist. 39. art. 1. q. 3. ad vltimum*, vbi hæc habet: *Patet etiam, quod plus est standum præcepto Prælati, quàm conscientiæ: maximè verò, quando Prælatus præcipit id quod potest, & debet.*

Pro hac sententia est primum argumentum. subditus maximè Religiosus, vouit obedientiam Prelato; sed qui vouit omninò, debet ad implere votum, iuxta illud Psalmi 75. 12. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*; ergò subditus maximè Religiosus omninò tenetur obedire prælato pręcipienti, etiam si conscientia contrarium dictet.

Hæc nostræ opposita sententia non censetur probabilis, vt ex dictis inducitur, nec S. Bonau. videtur illam, saltem in ea latitudine, in qua proposita est, defendere, limittat enim dicendo *Quando prælatus præcipit id, quod potest, & debet*. Constat autem, quod tùnc nil pręcipit, quod reuera contrariũ sit legi alicui, licèt sic appareat aliquandò subdito; sed hoc omisso.

Ad argumentum pro hac sententia adductum, distinguo illam minorem: Qui vouit scilicet, in his ad quę bonum obedientię se extendit, concedo; non verò in his, ad quæ non se extendit, bonum, & votum obedientiæ: bonum autem, & votum obedientiæ non se extendit ad hoc, quod prelatus præcipiat,

piat, vel subditus faciat contra legem, & sic contra conscientiam legem in contrarium dictantem, siuè reuera sit talis lex, siuè solùm talis appareat. solutio est S. Thomæ *q. 17. de veritate, art. 5. ad primum.*

Secundum argumentum. Prælatus præcipit loco Dei, ac si Deus præciperet, sed Deo potiùs est obtemperandum, quàm conscientię: ergò potius tenemur obedire prælato, quàm conscientiæ dictamini. Maior probatur primò, quia omnis superioris potestas deriuatur à potestate Dei, iuxta illud ad Rom. 13. 5. *Non est potestas, nisi à Deo*; Secundò quia qui obedit prelato, obedit Deo, iuxta illud Lucæ 10. 16. *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.*

Resp. dicendo, quod licèt potestas prælati, & cuiuscunque superioris depēdeat radicaliter, & originaliter à Deo, vnde quodammodo Deus præcipit in illis; sed rigorosè, & formaliter loquendo, diuersa præcepta sunt, & diuersæ leges humanę, & diuinæ: non ergò est præceptum Dei formaliter, quod prælatus ponit, sed est humanum, sed originaliter est Dei, & hoc probant loca adducta. Vndè cum cōscientia dictat præceptum legis naturę, vel præceptum diuinum formaliter, potiùs, est obediēdum ei, quā pręcepto prælati; quod formaliter est humanū.

Tertium Argumentum. Maior est obligatio præcepti Prælati superioris, quàm Prælati inferioris; sed Anima Prælati, quæ ponit pręceptum, est superior, quam Anima subditi, quę per Conscientiam dictat oppositum: ergó magis ligatur subditus ex præcepto Pręlati, quàm ex conscientia propria. Maior colligitur ex Glossa super illud ad Romanos 13. 2. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, & minor satis patet.

Confir. In nostro casu conscientia Prælati dictat, quod subditus obediat præcepto, aliàs frustra præciperet: & conscientia subditi dictat, quòd contrarium faciat, sed comparatis conscientia subditi, & Pręlati, anteponenda videtur conscientia Pręlati: ergò illa plus obligat.

Resp. ad Argumentum cum *S.* Thoma q. 17. de veritate, art. 5. ad tertium, dicente: *quod quamuis prælatus sit superior subdito, tamen Deus, sub cuius præcepti specie ligat conscientia, est maior, quàm Prælatus.*

Ad Confir. Dico, quòd conscientia subditi non ligat contrà Prælati preceptum, quia sibi placet contrarium facere, sic enim conuinceret Argumentum; sed quia lex naturalis, seù Deus contrarium præcipit. Deus autem anteponendus est Prælato, nec obedientia extenditur contrà Deum. Dices: demus, quòd conscientia Prælati dictaret, ex lege Dei se teneri ad præcipiendum, quòd præcipit, & quòd id in mandato exprimeret; tunc par esset causa ex parte vtriusquè conscientia, & tunc videtur, quod sit anteponenda conscientia Prælati, quia in pari causa melioris conditionis videtur. Ad hoc Respondetur quod in eo casu teneretur subditus consulere, quòd ex his pręceptis sit à Deo, & quòd sibi dictat cōsciētia, & si non certò cognoscitur Dei, deponat conscientiam: si autem certò, & inuincibiliter Dei dignoscitur, non verò, quod præcipit Prælatus, etiamsi id dicat, standum erit dictamini conscientię: & si vtrumque Dei apparet, consulatur, quòd sit maius, & præualeat alteri, & illud sequendum: si vero id dubium sit, seruet mandatum Pręlati, quia in dubijs nos debemus conformari Prælati Iudicio. Sed omnia hæc non sunt ad præsens Institutum, in quo disputamus de mandato Pręlati, vt Prælati tantum est, & non vt simul est Dei.

Quartum Arg. Pręlato semper est obediendum in his, quę non sunt contrà Deum; sed indifferentia non sunt contra Deum: ergo saltem in indifferentibus debemus obedire Pręlato, etiamsi conscientia, quacunque ratione dictet contrarium.

Respondet *S.* Thomas q. 17. de veritate art. 5. ad 2. *quod quamuis illud opus per se sit indifferens; tamèn ex dictamine conscientiæ fit non indifferens.*

Quintum Arg. subditus non debet iudicare de pręcepto Pręlati, sed magis Pręlatus de actibus subditi; iudicaret autem subditus de pręcepto Prælati, si propter propriam conscientiam ab eius præcepto recederet? ergò quantocunque conscientia dictet in indifferentibus in contrarium, tamèn obediendum est pręcepto Pręlati.

Resp. etiam ad hoc Sanctus Thomas *ibidem ad* 4. quod subditus non habet iudicare de præcepto Prælati, sed de impletione pręcepti, quę ad ipsum spectat: vnusquisquè enim tenetur actus suos examinare ad scientiam, quam à Deo habet, siuè sit naturalis, siuè adquisita, siuè infusa: omnis enim homo debet secundùm rationem agere.

DVBIVM X.

Quænam sit differentia inter Ligamen conscientiæ veræ contrà præceptum Prælati, & ligamen conscientiæ erroneæ.

Conclusio. Discrimen est inter ligamen conscientiæ rectę, seù verę, & conscientiæ erroneæ, præcipuè vincibilis; conscientia enim vera, seù recta simpliciter, contrà præceptum Prælati obligat; sed conscientia erronea ligat contra Præceptum Prælati secundùm quid, & imperfectè.

Conclusio quantum ad vtramque partem est *S.* Thomæ *q. 17. de veritate art. 5. in corpore.* Et probat quod conscientia recta obligat simpliciter: quia eius obligatio auferri non potest, cum sine peccato deponi non possit *talis conscientia.* Et quod obliget perfectè probat, *quia conscientia recta non solum hoc modo ligat, vt ille, qui eam sequitur, peccatum non incurrat: sed vt ille, qui eam sequitur sit immunis à peccato quantumcunquè Prælati preceptum sit in contrarium.* Deinde probat, quod conscientia erronea ligat contra præceptum Prælati secundùm quid, *quia non obligat in omnem euentum, sed sub cōditione suæ durationis. Potest enim aliquis, & debet illam conscientiam deponere* Quod obliget imperfectè, probat, *quia ligat quantum adhoc, quod ille, qui eam sequitur, peccatum non incurrit: non autem quantum adhoc, quod ille, qui eam sequitur, peccatum euitet, cum præceptū Prælati est in contrarium, si tamen aliud præceptum Prælati indifferens obliget. In tali enim casu peccat, siuè non faciat, quia contra conscientiam agit, siuè faciat, quia Prælato inobediens est.*

Opposita sententia distinguit de conscientia. Si enim conscientia est recta, & vera, plus, & magis obligat, quam Præceptum Prælati, & ideò standum est dictamini talis conscientiæ. Si autem sit erronea, & circa materiam indifferentem, standum est potiùs præcepto superioris, quam dictamini conscientiæ, quia tunc plus obligat Citantur pro hac sententia Alexander Alensis *prima parte q. 120. membro 3. art. 2. S.* Antoninus *prima parte tit. 2. cap. 10. §. & 4.* Gerson *Alphabeto 20. littera C.* Syluester *verbo conscientiam q. 2.* Corduba *lib. 3. q. 4 dub. 2. in fine*, quæ sequentibus suadetur Argumentis.

Arg. primò. Maior est obligatio Pręcepti Prælati, quàm

quam cõscientiæ erroneæ. ergo obediendum est potiùs præcepto Prælati, quàm conscientiæ erroneæ. Consequam videtur bona, quia maior obligatio præferenda est minori. Et Antecedens probatur primò, quia conscientia erronea potest deponi, & sic eius obligatio euacuatur; præceptum autem Prælati non potest à subdito deponi: ergò fortior est obligatio præcepti Prælati, quàm conscientiæ erroneæ. Hęc sententia opposita quantum ad 2. partem, quæ nobis aduersatur, etiam est falsa, vt ex dictis patet, & patebit etiam ex argumentorum solutionibus.

Resp. ad Argumentum negando antecedens. Ad probationem dico, quod quamuis præceptum Prælati sit maius quantum ad stabilitatem, quia non euacuatur per depositionem à subdito, quàm conscientia erronea; nam ex qua parte est erronea, cum fundetur in errore, illo deprahenso potest deponi: sed quãtũ ad vim obligãdi maior est obligatio conciẽtiæ erroneæ, eò quod obligat vi præcepti diuini.

Arg. 2. conscientia erronea saltèm, culpabilis habet leuia fundamenta ad hoc quod iudicet adhærendum esse pacti contrariæ præcepto Prælati eò quod est contrà legem Dei. Ergò homo habens talem conscientiam, tenetur magis adhærere, & obedire præcepto Prelati, quam materiæ sic dictatæ à conscientia. Antecedens videtur certum, quia Ignorantia vincibilis, & culpabilis, non potest fundari nisi in rationibus leuibus, & insufficientibus, aliàs non esset culpabilis. Consequentia verò probatur, nam ***in capite, Inquisitionis, de sententia excommunicationis***, Innocentius III. definit, quod quandò alter Coniugum credit ex leuibus causis, nõ posse reddere debitum alteri; tunc altera petẽte tenetur reddere. Ergò à simili, quando subditus ex leuibus causis credit, non posse obedire Prælato, quia lex contrarium præcipit, tenebitur obedire.

Resp. concesso antecedente, distinguo illud cõsequens. ***Homo habens talem conscientiam tenetur magis obedire præcepto prælati, quam prædicta conscientia***. Si intelligas, quod talis homo tenetur ad deponendam conscientiam erroneam vincibilem, fundatam in leuibus causis, & sic deposita conscientia, obedire prælato: sic enim hoc argumentum fauet nobis. Si autem intelligas, quòd adhuc non deposita conscientia, potest obedire prælato, & cõscientiæ deesse, id nego; quia tunc grauiter peccaret transgrediendo id, quod existimat esse præceptum Dei; & licèt etiam peccaret conformando se conscientię culpabili; tamèn hoc esset minùs peccatum iuxta dicta. Ad probationem consequentię dico, decretum innocentij sic intelligendum esse, quòd qui ex leuibus causis credit, se non posse reddere debitum, debet reddere petenti, debito modo, nempè deponendo conscientiam. Quod enim illa manente, & contrarium dictante non possit cõtra illam agere, definitur ***in cap. per tuas litteras de Simonia***, docente, maiorem esse oligationem sequendi conscientiam etiam erroneam, quam præceptum, vel censuras Prælati.

DVBIVM XI.

An supposito, quod ligatus conscientia erronea contra preceptum superioris, non deponat illam quod sit maius tunc peccatum, facere contra conscientiam iuxta preceptum prælati, vel facere iuxta conscientiã contra præceptum prælati.

Dvbitant Auctores; supposito, quod ligatus conscientia erronea contra præceptum prælati non deponat illam & ex consequenti necessariò peccet, siuè operetur iuxta conscientiam, quia facit contra preceptum prelati, siuè conformet se precepto prælati, quia facit contra conscientiam non depositam, quod sit tunc maius peccatum, facere contra conscientiam iuxta prælati preceptum; vel è contra facere iuxta conscientiam contra præceptum prælati. Ad hoc Resp. Vasquez *disp 61. cap. 1. §. His positis iam*. quòd circa hoc certã regulã assignare non possumus, nam aliquandò est maius peccatum agere contra conscientiam, & iuxta præceptam, aliquandò è contra, quod ex grauitate materiæ est cognoscendum; fallitur nihilominus vnde sit. Conclusio, semper, & vbiquè, quod conscientia errõnea, etiam vincibilis obligat contra preceptum prælati, itaùt siuè faciat siue nõ faciat iuxta cõsciẽtiã sit peccatũ, grauimus peccatũ est agere cõtra cõtra conscientiam iuxta pręceptam, quam agere iuxta conscientiam contra pręceptum prelati.

Probatur primò, expressa S Thomæ Auctoritate, *quæst. 17. de veritate, art 5. in calce Corporis*, vbi cùm sequeretur de eo qui perplexus est, & peccut, siuè facciet, siuè non facciat iuxta conscientiam erroneam, sic ait: ***Magis autem peccat si non faciat conscientia durante, quod conscientia dictat, cum plùs liget, quam praeceptum prælati***. Ratio autem, quam S. Thomas in verbis allatis adducit est perspicua. Illud est ex se maius peccatum, quod opponitur maiori mandato, sed in casu, de quo disputamus, maius est pręceptum conscientię, quàm superioris: ergo maius peccatum est facere contra illud. Maior est certa, minor verò probatur, nam in casu, quòd non esset maior, non obligaret contra præceptum cuius oppositum supponimus. Deindè, vt patet ex conclusione dub. præcedentis regulariter præualet præceptum conscientiæ, solùm excipitur casus, quãdo præceptum conscientiæ est Prelati. Inferioris, & tunc certum est, quod si non deponitur conscientiam, maius peccatum est agere contra præceptum superioris quam contra conscientiam, & ideò semper datur certa regula grauitatis huius peccati.

DVBIVM XII.

An obligatio non operandi contra conscientiam erroneam, sit dispensabilis à Deo.

SVppono ex dictis in preced. disput. obligationẽ non agend contra conscientiam ita magnam esse, vt nulla dispensatione, cuiusuis superioris creati, fieri possit alicui licere contra propriam conscíẽtiam agere, nam cum hoc preceptum sit naturale, non cadit eius dispensatio sub potestate creata, quamuis enim Papa, aût ecclesia possit modificare præcepta iuris naturalis, & diuini, & interpretari, quomodo sentiẽda sint, imò etiam interueniente iuxta causa dispẽsare in iure naturali, & diuino pręsupponente factum, aut dispositionem hominis, vt in contractibus humanis, iuramentis, & votis minime tamen dispensare possunt in eo, quod est iure naturali, diuinoque absolutè prohibitum, vt in pręceptis Decalogi: & in principijs iuris naturalis, ad quæ pertinet hoc, quod est non discordare à propria conscientia, quarè solum est dubium, An hoc pręceptum sit dispensabile à Deo?

Conclusio est Negatiua. Ita Corduba *lib. 3. q. 10.* Azzor *loco citato, dubio 11.* Vasquez *disp. 16. cap. 2.* Probatur, quia pręcepta legis naturalis sunt indispensabilia, vt cũ D. Thoma *1. 2. q. 110 a. 8.* docet fere õnis schola, sed tale est hoc pręceptũ: ergo

Et-

Et Confirmatur, quia etiam si gratis admittamus posse Deum dispensare in præceptis naturalibus, secundæ tabulæ, vt putauit Scotus, aut, etiam in præceptis primę tabulę, vt existimauere Almain. & alij, adhuc in hoc vltimo præcepto, non discordandi à conscientia est specialis ratio implicationis, propter quam est omninò indispensabile; quod sic ostendo. Primò, quia Deus non potest facere, vt manente præcepto, quodcunque illud sit, operatio contra illud sit licita, sed quamdiu durat conscientia, manet præceptum verum, vel existimatum; ergò operatio contra conscientiam nunquam potest esse licita,

Secundò, quia Deus non potest dispensare in alijs præceptis, nisi auferendo, vel abrogando ea: ergo nec potest dispensare in hoc nisi, auferendo cōscientiam, patet consequentia, quia non potest aliter auferri præceptum verum, vel existimatum ab ipsa propositum.

Tertiò, quia obiecta aliorum præceptorū non includunt intrinsecè ipsum præceptum respectu operantis & sic possunt optimè proponi illi, vt non præcepta, aut prohibita, sed obiectum conscientię erroneæ includit intrinsecè ipsum præceptum respectu operantis, quia conscientia vt sic, respicit obiectum, vt præceptum, vel vt prohibitum: ergo non potest saltem in hoc dispensare; patet consequentia, quia nolle facere, quod Deus præcipit, aut nolle abstinere ab eo, quod Deus prohibet, necessariò est malum; ergò implicat licitè fieri.

Vltimò probatur, quia si huiusmodi dispensatio est nota homini, iam mutat conscientiam, si autem non est nota illi, perinde se habet, ac si propria cōscientia esset vera, & non adesset talis dispensatio, nam eodem modo agendo contra ipsam, facit id, quod existimat prohibitum, sed si conscientia esset vera, & nulla esset dispensatio, peccaret; ergo similiter,

Partem tamèn affirmatiuam tenuit quidam Andreas à Castronouo relatus ab Almain. *tract. moral. cap.* 15. quam etiam probabilem reputat Corduba *loco citato*. Cuius sententiæ fundamentum est, nullum actum humanum esse necessariò malum, sed omnes esse contingenter malos, quod ita probari potest, quia actus, quo Deus prohibuit, hominē agere contra conscientiam, est liber; ergò potuit Deus absolutè id non prohibere; vel potuit prohibere pro vno tēpore, & non pro alio, aut id potuit prohibere Petro, & nō Paulo; consequētia est euidēs, & Antecedēs probatur, quia omnis actus Volūtatis diuinæ terminatus ad Creaturas ad extra, est liber.

Resp. negando antecedens; nam quamuis actus voluntatis Dei erga Creaturas, qui terminatur ad earum existentias sit liber, & ita voluntas diuina nō sit determinata ad hoc, vt permittat, quod aliqua operatio humana contra conscientiam existat, vel non existat, sed hoc est illi omnino liberum; tamèn actus, quo Deo displicet talis operatio contra conscientiam, est necessarius, quia illa operatio contra conscientiam, est contra aliquod ex diuinis attributis, in quibus voluntas diuina necessariò complacetur, & sic voluntas diuina est necessario determinata ad volendum, quod operatio hominis contra cōscientiam facta sit mala, & peccaminosa, pro quo videndus est Caietanus 1. 2. *q.* 110. *art.* 8.

Arg. 2. agere contra conscientiam, non est agere contra aliud præceptum, aut legem quam contra illam, quæ à conscientia proponitur, etiam si conscientia sit recta: ergo si in omni alio præcepto, aut lege, maximè si non sit Decalogi, potest Deus dispensare; ergo etiam in hoc, quod est agere contra conscientiam; probatur maior, quia conscientia, vel non est lex, sed propositio legis, vel saltem non obligat diuersa obligatione ab ea, quæ prouenit à lege, quam proponit. Resp. nego maiorem, quia vltra præceptum particulare, quod per conscientiam proponitur, est aliud vniuersale de non malè agendo, nec verè, nec existimatiuè, ideò repugnat, quod licitè quis faciat id, in quo Agens credit se malè, & illicitè agere,

Arg. vltimò, hęc est mala consequētia, accipio id, quod credo esse alienum: ergo verè accipio alienū: ergò similiter non valet, facio id, quod credo illicitum, & prohibitum; ergò verè facio illicitum, & prohibitum: ergò bene stat me licitè facere, agendo contra conscientiam erroneam.

Resp. admisso antecedente, nego consequentia; & Ratio differētiæ est, quia rem esse à parte rei propriam, vel alienam, non pendet ex appræhensione, & effectu meo, sed ex ipsa rei natura, & conditione; quantumcunque enim res aliena iudiceretur à me, vt propria, erit nihilominus aliena; at verò operationem esse licitam, vel illicitam, quamuis in re pēdeat à lege prohibente, vel præcipiente, non tamen pendet ab ea præcisè secundum se, sed ab ea, vt cognita ab operante, & intimata voluntati; vnde præcipuè prouenit ab appręhensione, & affectu ipsius operantis, & hinc est, quod operatio, quæ aliàs sit de se illicita, si inuincibiliter ignoratur eius prohibitio licitè fiat; è contra verò operatio de se licita, si existimetur illicita, & prohibita, & hoc non obstante fiat, illicita est: quia est lex non solùm prohibens ea, quæ de se illicita sunt, sed ea etiam, quæ nobis illicita videntur.

Petes. *An operari iuxta Conscientiam erroneam vincibilem in materia, quæ secundùm se sit Indifferens, dictante aliquid, vel bonum, vel malum; sit bonum, & Laudabile.*

Conclusio. In materia, quę secundùm se, est Indifferens, operari iuxta conscientiam erroneam vincibilem, dictantem esse bonum, vel malum, est bonum, & laudabile. Verbigratia, deambulare, est res ex se indifferens; si ergo conscientia alicuius erronea vincibiliter dictet, obligatorium sub præcepto esse nunc deambulare, deambulando rectè facit. Et si eadem conscientia dictet deambulare hic, & nunc esse prohibitum, & abstineat à deambulatione, rectè facit. de qua videatur Capreolus, *in* 2. *dist.* 3. *9. quæst. vnica*. Conradus *quest.* 19. *art.* 6. *§. Applicat prædictam*. Corneio. *tract.* 8. *disp.* 2. *dub.* 6. *§. prima conclusio, operari*, post initium, & Salas *tract.* 8. *disp. vnica, sec.* 3. *num.* 23.

Probatur primò. In hoc casu nō violatur ex Ignorantia in tali operatione præceptum aliquod, & ex alia parte conformatur Voluntas præcepto existimato, & vt tale repræsentato; ergò non peccat, sed bene facit. Prima pars consequentiæ ex eo patet, quod vt dicitur ad Rom. 4. 15. *Vbi enim non est lex, nequè prævaricatio*. Secunda verò pars probatur, quia conformari præcepto etiam existimato, bonum, & laudabile est.

Probatur 2. Quandò Ignorantia etiam vincibilis, & crassa, est causa alicuius operis ex se boni absque aliqua circunstantia mala, non constituit peccatum, sed sic contingit in præsenti, vt satis patet: ergò nō constituitur peccatum. Maior probatur, nam si quis ex ignorantia quantumcunque vincibili, & crassa, existimet esse festum de præcepto colendum, quod reuera non est, & coleret illud, audiretque Missam, nullus diceret, quod hic in aliquo peccauit,

uit, & idem est in similibus; ergò vel Ignorantia vuincilibus est causa alicuius, quod ex se est bonū, vel indifferens, non vitiat actum, nisi sit circunstantia mala, quæ in præsenti non est.

DVBIVM XIII.

An conformare se conscientiæ erroneę vincibili in materia illicita, & prohibita, sit bonum, & laudabile.

COnclusio. conformare se conscientiæ erroneæ vincibili, seù operari iuxta illam in materia illicita, & prohibita, non est bonum, sed malum, & peccatum. v. g., dictat conscientia erronea vincibilis, mentiendum esse ad tollendas lites, & mentitur, mentiendo peccat. Similiter existimat aliquis se teneri ad abstinendum à carnibus in die Veneris, non obstante graui Infirmitate, & hoc ex conscientia vincibili, quia potuit id consulere, & voluit, abstinetquè à Carnibus, cùm necessitas infirmitatis exposceret necessariò illas, peccat conformando se tali conscientię.

Probatur primò; nam S. Thomas in hac *q. 19. art. 6.* in Corpore, sic ait. *Si igitur Ratio, vel conscientia erret errore voluntario, vel directè, vel propter neglıgentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur: tunc talis error rationi, vel conscientiæ sic erranti fit mala.* idem docet *in solutione ad 3. & in 2. dist. 39. q. 3. art. 3. ante finem Corporis, & q. 17. de veritate art. 4. ad 3. & ad 5.* & sententiam hanc communiter sequuntur Theologi, Capreolus *in 2. dist. 39. q. vnica*; Conradus *q. 19. art. 6. §. Applicat.* Medina *q. 19. art. 6.* Gabriel *in 2. dist. 39. q. 1. art. 3. dub. vltimo ad finem.* Azzor *tomo primo lib. 1. cap. 8. q. 8.* Valquez *disp. 60, cap. 2. & 3. in principio.* Salas *tract. 8. disp. vnica, conclusione 3.* Martinez *q. 19. a. 6. dub. 4. conclusione 5.* & Corneio *disp. 2. dub. 6. conclusione 1.*

Probatur 2. in Casu de quo disputamus, Homo agit reuerá contra, id quod præceptum obligans dictat, aliàs non stamus in casu huius conclusionis. sed non excusat eius transgressionem conscientia erronea, cui conformatur: ergò reuera est transgressor, & peccat. Minor probatur, quia, vt supponimus, ignorantia talis conscientię est vincibilis: hæc autem non excusat iuxta communem sententiam, de qua supra &c.

Tertiò, licèt vt actio sit bona, omnia, quæ concurrunt, debent esse bona; tamen vt sit mala, sufficit quicunquè defectus, ex quocunque capite proueniat, vt communitèr docent Theologi ex S. Dionysio *cap. 4. de diuinis nominibus*; sed actio conformandi se conscientiæ erroneæ in re prohibita, & mala, mala est ex hoc capite, quod facit rem prohibitam. Ergò simpliciter mala est, etiamsi in illa sit Zelus conformandi se cum lege existimata; sicut Eleęmosina facta ex bonis alterius, vel ob inanem gloriam, tota est mala, licèt videatur ex parte pietatis aliquid bonum habere.

4. Probatur. Occidentes Martyres habebant conscientiam vincibiliter erroneā dictantem, se ex obsequio Dei teneri ad illos occidendos, & tamen malè agebant, & peccabant, operando iuxta eam conscientiam, eo quod talis occisio erat mala, & prohibita, vt ex se patet. Ergò conformare se conscientiæ erroneę vincibili in re mala, est malum. Minor probatur ex illo Ioann. 16. 2. *sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

Loquendo ergo de conscientia erronea vincibili seu culpabili, existimare videntur aliqui, quod concordare conscientiæ huic, sit bonum, sicut discordare est malum. Vndè cum quis habet in conscientia, quod tenetur mentiri ad saluandā vitam Amici, etiamsi talis conscientia erronea sit vincibilis, adhuc benè operatur mentiendo, quod sequentibus Argumentis confirmatur.

Arg. 1. ab Auctoritate. Nam S. Bernardus *in lib. de præcepto, & dispens. cap. 17. & 18.* in ea videtur esse sententia, vt qui ex Ignorantia vincibili malum facit, reputans bonum ex parte Intentionis conformandi se bono proposito, facit actum bonum, sed malum ex ea parte, qua agit in rem prohibitam. Vndè *in cap. 18.* post Longam disput. dixit. *Et quidem laude dignam dixerim, vel solam Intentionem piam, nec planè condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona Voluntas: attamen sine malo quoquè non erit decepta simplicitas.* Et quod S. Bernardus loquatur de Ignorantiam vincibili ex eo patet, quòd ponit in eo actu etiam peccatum quod non esset, si Ignorantia esset inuincibilis. Deindè Hugo de S. Victore *quest. 231.* in epistolâ ad Rom. sic proponit. *Si quis credit se sub mortali teneri ad interficiendum hominem iustum, & illum interficiat; an mereatur?* Et cum eam, quam nos sequuti sententiam sumus, adduxisset, addit. *Alius autem videtur quod ibi duo sunt, error, & Zelus: quod autèm erroris est, malum est; quod verò Zeli bonum est, & meritum habet; est enim Voluntas bona. Id verò, in quo exercetur, malum, in hoc itaquè peccat, il illo meretur.* Vbi cum postremo loco hanc eligant solutionem, nec eā repudiet, videtur admittere eā.

Resp. quod S. Bernardus, & Hugo sic possunt explicari, quod actus in quo ex conscientia erronea vincibili quis operatur prohibitum, malus quidem fit ex eo, quod prohibitum facit, sed non est malus ex qua parte homo intendit se cōformare legi propositæ à conscientia erronea: sicut si dicas, quod Eleæmosina ex bonis alienis facta, mala est, eo quod est ex alienis, sed non ex ea parte, qua procedit à misericordia. Sed quia simul cum malitia aliquam bonitatem moralem videntur concedere, possunt explicari ad cū sensum, in quo *tom. 3. quest. 18.* dixi in omni acta, quantocunquè malo, moraliter dari aliquam mortalem bonitatem, saltem vt respicit finem vltimum, quod est bonum in communi.

Arg. 2. ratione, quā adducit S. Bernardus, *lib. cit. cap. 17.* post Initium, vbi cum hoc iecisset fundamentum, *Malum cuique est, bonum quodque quod agit, si malum esse crediderit ac tantum malum, quantum crediderit,* sic circa illud discurrit: *Cur nō è contrario, tantum cuique bonum sit, quod operatur, quantum, vel falso opinatur. Mirum quippè vobis, immò, & iniustam videtur, vt plus in malo, quàm in bono humanæ valeat Intentionis opinio. si respondero, de malis, quidem meritò, ita credi propter oculam nequam; respondebitis mihi, non immeritò quoquè, propter simplicem oculum, idemque putandum, & de bonis.*

Confirmatur; Discordare à Conscio erronea vincibili est malum: ergò concordari illi est bonum. Antecedens ostensum est à nobis supra; & Consequentiam prabatur è contrario.

Resp. ad Argumentum, quod proponit S. Bernardus, concesso quod ille, qui bonum apprehendit vt malum, & vult ipsum, operatur malè, & tantum malum, quantum existimat esse iuxta dicta, cū autem indè inferun, Ergò cùm malum apprehenditur

ditur sicut bonum, operabuntur bonum, & tantum bonum, quantum apprehendunt, distinguendum est Consequens: si enim procedunt ex Ignorantia inuincibili, verùm est; si ex vincibili, non valet, eò quod cum bonum sit ex Integra causa, & malum ex quocunque defectu, ratione illius defectus, quo Ignorantia efficitur vincibilis, & culpabiles vitiatur actus, & totus manet malus. Sicque magis potest humana opinio ad malum, quam ad bonum.

Ad Conf. nego consequentiã, nec valet in his ratio à contrario, vt si dicas: malum est audire missam in die præcepti, ergo bonum est audire illã ex inani gloria, quia etiam est malus actus ex alio capite, quia omnia debent concurrere recta ad bonum. Vel 2.

Resp. distinguendo Consequens, si ex alio Capite non vitiaretur actus, concedo; non vero si vitiatur, vt in præsenti, ex eo quod in re est prohibitus, & talis Ignorantia cum sit vincibilis, non excusat ab illo.

Arg. 3. Vnusquisque tenetur conformare se conscientiæ erranti etiam vincibiliter, ergò conformando se cum illa non peccat, sed benefacit; Antecedens ostensum est supra. Et consequenita probatur, quia nullus peccat faciendo id, quod facere tenetur, aliàs teneretur peccare.

Resp. etiam eodem modo, distinguendo illud consequens, *conformando se conscientiæ non peccat*. Si sensus sit, quod peccet ex eo præcisè capite, quod se conformat, concedo, non enim peccat ex eo præcise, quod se conformat conscientiæ etiam erranti, aliàs etiam peccaret, conformando se conscientiæ inuincibili. Si sensus sit, quod non peccat etiam ex alio capite, nego consequentiam, hoc enim non sequitur: immo cum aliàs res sit verè prohibita, & Ignorantia non excuset, cùm sit vincibilis, hinc vitiatur ille actus, non præcisè quia conformat se conscientię erranti, neque præcisè, quia illa est vincibilis, cum possit conformari conscientię erranti vincibili sine peccato, vt patet ex dictis, sed quia materia est in se mala, & prohibita, & conscientia vincibilis, non valet excusare.

DVBIVM XIV.

An operari, quod Conscientia erronea inuincibilis dictat, vt bonum, seù obligatorium, sit bonum, & laudabile.

COnclusio. operari, quod conscientia erronea inuincibilis dictat vt bonum, seù obligatoriũ etiamsi in re sit Indifferens, seù etiam malum, & prohibitum, est bonum, & eiusdem perfectionis, & virtutis, cuius esset vera, & obiectum in re esset tale, quale repræsentatur. Vndè si quis existimet se teneri ad mentiendum, vt saluet vitam proximi est actus misericordiæ: & si eodem modo existimet se posse facere eleæmosinam etiam ex rebus alienis, talis est reuera Eleæmosina bona, & meritoria.

Probatur primò. Nam id determinat S.Thomas *q 19. a.6.& q.17. de veritate t.4. ad 5.& tenent* Capriolus *in 2. dist. 39. q. vnica* Conradus *hic q. 19. a. 6. §. Applicat.* Almain *tunc 1. moralium cap. 4.* Corduba *q. 23. de Ignorantia*, Azor *tom. 1. lib. 2. cap. 8. q. 15.* Salas *tract. 8. disp. vnica sect. 3. n. 20.* Corneio *tract. 8. disp. 2. dub. 6. Cõclus. 2.*

Secundò probatur; Qui pro Deo agit id, quod sine sua culpa pro Deo agendum putat, reuera agit rectè, & meretur; sed qui putat inuincibiliter teneri agere pro Deo idquod reuera debet euitare; verbigratia mentiendum esse, vt excuset nocumentum proximo, vel dandas esse Eleæmosinam ex alieno, agit pro Deo id, quod absquè sua culpa iudicat esse faciendum: ergò bene facit, & meretur.

Tertiò probatur. In casu de quo disputamus, cum scilicet quis agit ex Ignorantia inuincibili malum, putans se agere bonum, non peccat: ergò bene operatur. Antecedens probatur, quia excusatur Ignorantia inuincibili. Consequentia verò probatur, quia non datur actus indifferens in Indiuiduo, vt dixi *to. 3. q. 18.* cũ S. Thoma; Cum ergò talis actus sit humanus, ac liber, & ex consequenti moralis, si non est in specie mali, neque Indifferentis, necessarium est quod sit in specie boni moralis, non enim datur alia species: vel potiùs loquendo in Indiuiduo, si non est malus, necessariò, erit bonus, quia indifferens in Indiuiduo non datur. Et per hoc euanescit fundamentum contrariæ sententię quod tales actus non sunt boni, sed nequi mali, quia excusantur ab Ignorantia, cumeo ipso, quod mali, non sunt, debent esse boni. Loquendo autẽ de hac cõscientia erronea inuincibili, Aliqui opinati sunt, non esse bonum conformare se illi, sed neque est malum, eo quod excusantur tales actus à malitia ab Ignorantia inuincibili. Refertur pro hac sententia quidam Martinus de magistris *quæst. 1. de ebrietate ad nonum:* & Salas *tract. 8 disp. vnica sect. 3. num. 20.* Refert pro ad illa Argestũ, sed locũ non indicat. Solent etiam citari pro hac sententia S. Bernardus, & Hugo de Sãcto Victore locis *Dub. praeced.* adductis, sed opertè loquuntur de conscientia erronea vincibili pro qua sunt sequent a Argumenta.

Arg. 1. Actus, de quo disputamus in præsenti, in re est malus, & prohibitus, & si non excusaret Ignoranti, homo in illo peccaret. Sed Ignorantia etiam Inuincibilis, licèt excuset à nouo peccato, sed non facit de actu malo moraliter, bonam moraliter. ergò actus moralis in re existimatus ignorantia inuincibili bonus, & præceptus, esto desinat esse malus, non tamen est bonus moraliter. Maior est certam; præcipuè enim disputamus de actu in se malo, & prohibito, qui tamen à conscientia erronea inuincibili proponitur vt bonus, & à Deo pręceptus, vt si quis existimaret se teneri ad mentiendam, vt excuset aliquod damnum. Minor verò probatur, quia si ignorantia etiam inuincibilis non solum excusaret, sed redderet actum de malo bonum, talis ignorantia esset valdè laudabilis. & appetibilis, quod videtur absurdum.

Resp. concessa maiori, distinguo minorem illã, *sed ignoratia inuincibilis, licèt excuset a peccato, sed non facit de actu malo moraliter, bonum moraliter*. Si intelligas, quòd formaliter ignorãtia non constituit actum bonum, immò neque efficienter, concedo: si autem intelligas, quod non cõstituit actum bonum occasionaliter, inquantum remouet prohibens, nempe scientiam malitię, seù prohibitionis talis actus: & etiam illatiuè, inquantum ex ignoram illa infertur bonitas actus, nego minorem, quia tunc reuera scientia malitiæ actus absquè culpa, manet obiectum repræsentatum, vt bonum, & sic actus circa illud manet bonus. Nec tamẽ ex hoc sequitur, quod talis ignorãtia sit laudabilis: & appetibilis, quia per se est mala, sed aliquandò malum per accidens occasiona r bonum, vt peccatum Incarnationem Dei, quo sensu dicunt nostri Theologi, quòd permissio aliorum peccatorum,

rum, illorum scilicet, ex quibus homo resurgit ad maiorem gratiam, fit effectus prædestinationis. Nec tamen talia debent appeti, vel quæri, hoc enim valdè reprehendit Apostolus ad Rom. 3. 7. *Sic enim veritas Dei in eo mendacio abundauit in gloriam ipsius; quid adhuc, & ego tamquam peccator iudicor? & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam, nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est.*

Arg. 2. sequitur ex contraria sententia, quod Deus potest nos excitare, & mouere ad aliquid, quod in re est malum, & prohibitū ab eo. Immò, quòd posset illud præcipere: verbi gratia, quod mentiamur ad excusandas lites proximorum. Consequens est falsum; ergò falsa est cōtraria sententia, ex qua tale consequens sequitur. Sequela probatur. Deus potest mouere, immò de facto mouet ad omne opus bonum, & obligatorium; & tale opus potest præcipere. Si igitur supposita conscientia erronea inuincibili, opus ex se malum, & prohibitum fit bonum moraliter, & obligatorium, verbi gratia; mentiri ad tollendas lites; poterit nos Deus ad tale opus, seù ad sic mentiendum mouere suasione, præcepto, & concursu. Falsitas autem Consequentis prob. Primò, quia tunc Deus suaderet, & præciperet contraria, nempè quòd homo tunc mentiatur, & quod nunquam mentiatur. Secundò Deus ipse faceret suo concursu, quod reuera est malum, & ab eo prohibitum; verbi gratia, mentietur per alium suadendo, & præcipiendo habenti prædictam erronea conscientiam, quòd mentietur, & ad hoc concurrendo.

Resp. distinguendo illam minorem; *sequitur ex contraria sententia, quòd Deus potest nos excitare, & mouere ad aliquid, quod in re est malum, & prohibitum ab eo, immò quod possit illud præcipere.* Si id intelligas per se, & directè, nego: si autem intelligas per accidens, & supposita conscientia erronea, concedo quod Deus potest nos excitare, & mouere ad aliquid, quod in se, & posita scientia esset malum, & sic etiam posset illud præcipere, quia tunc bonum est: verbi gratia dicendo. *Dum es in statu, in quo inuincibiliter credis aliquod malus esse bonum, & à me præceptum, exequere illud.* Nec ex hoc colligitur, quod Deus præcipiat verè contraria, vt Argumentum infert, quia hęc non sunt contraria, sed diuersa. *Dum inuicibiliter credis mentiendum esse pro saluanda vita amici, mentiris, & absolute pro nulla re mētiaris.* Quia quandò quis iuxta illam conscientiam mentitur; non facit illud mendacium, quod prohibitum est formaliter, ergo aliud bonum, quantum ad tale operans. Neque 2. sequitur, quod Deus cōcurrat ad malum, seù malum faciat, quia reuera tunc non est malum, sed bonum. Nec tunc tale materiale mendacium refunditur in Deum, ita vt etiam materialiter mentiatur per se, vel per alium, sicut neque in Deus refunditur ipsa conscientia erronea, quod hoc exemplo illustrari potest. Sicut enim actus fidei diuinę est ab habitu fidei elicitus, potest concurrere per accidens ad assertum conclusionis falsæ deductæ ex vna pręmissa de fide, & ex altera erronea: ita Deus per accidens potest mouere aliquem ad dicendum mendacium materiale supposita conscientia erronea, & tunc non dicetur simpliciter mentiri per aliud, sicut nec fides dicitur fallere, nam falsitas illa tribuitur præmissæ erroneę, & mendacium illud conscientiæ erroneæ, & non fidei, aut Deo cōcurrentibus solùm per accidens ad illam. Adde, quod non est necesse, quod Deus moueat directè & per se ad omne opus bonum, sed ad ea duntaxat, quæ sunt bona ex obiecto, & per se, sed ea verò quæ solum sunt bona per accidens, solùm per accidens mouet.

Sed contra hanc conclusionem dubitabis, an peccet sequendo conscientiā erroneam, qui quamuis potuerit, & debuerit eam vincere, antequā occurreret hæc occasio operandi, ea tamen oblata, & instante tempore, quo est operandum; iam non potuit exire ab ignorantia? sed quia hoc non pertinet ad hunc locum, dico breuiter, de hac re iudicandum esse, sicut de homicidio perpetrato ab ebrio, & de pollutione habita à semniante præuisis, vel debitis præuideri ante, sicùt enim isti actus sunt peccata, sic hic, de quo loquimur. Videatur Corneio *disp. 2. dub. 6. §. sed Quæres primò.*

DVBIVM XV.

An sequi conscientiam erroneam, quandò dictat vincibiliter contra legem, sit grauius peccatum, quam facere contra illam.

Ex dictis constat, quod quando quis ex conscientia erronea vincibili iudicat tamquā bonum obligatorium, quod reuera est prohibitum, & sit malum, si non deponat talem conscientiam, manet per accidens perplexus; si enim non facit iuxta conscientiam, peccat contra eam: si autem facit, peccat contra prohibitionem talis rei, à cuius transgressione non excusatur per ignorātiam, cum sit vincibilis. v. g. Dictat conscientia erronea, & vincibilis alicui, quod tenetur mentiri in aliquo casu ad saluandam vitam proximi, tunc ille si non mentitur, peccat mortaliter, eo quod est causa mortis proximi, quam mētiendo (vt sua dictat conscientia,) tenebatur conseruare: si autem mentitur, peccat contra præceptum naturale nō mentiendi, a quo nō excusatur per ignorantiam, cum ponamus, illam esse vincibilem. In hoc ergò casu in quo Homo manet per accidens perplexus, & faciendo peccat, & similiter non faciendo; inquirimus, quod sit grauius peccatum, non operari iuxta talem conscientiam, vel operādo iuxta illam, frangere præceptum illud, quo tale opus prohibitum est, licèt ignoretur vincibiliter ab operante, v. g. in casu proposito, an grauiùs peccet Homo non mentiendo ad saluandam vitam proximi, quàm mentiendo?

Pro Resolutione nota, quod grauitas peccati est dupplex, vna quasi accidentalis, quę desumitur ex circumstantijs extrinsecis, vt quod fiat maior intentione, maiori duratione. Et de hac grauitate non loquimur, quia hæc in quolibet peccatorum genere, vel in qualibet specie, potest variari, & sic erit maior, vel minor: alia est grauitas specifica, quam scilicet actus secum affert ex propria ratione, quo sensu, semper grauius est homicidium, quam furtum. Et de hac grauitate disputamus. Desumitur autem hæc specifica grauitas à pręcepto, contra quod peccatur, & grauitas pręcepti maior, vel minor ex obiecto, & virtute, cui opponitur, de quibus ex professò disputare non est præsentis loci; in præsenti ergò solū

metiemur

metiemur hanc grauitatē ex grauitate præcepti, cętera concurrentia supponentes; & sic illud iudicabimus maius peccatum, quod maiori opponitur pręcepto, vt in hoc etiam conformemur Theologis hanc quest. ventilantibus. prò cuius Resolutione sit.

Prima concl. quando præceptū, quod conscientia erronea proponit adimplendum, est grauius, & vrgentius, quàm illud, quod violatur per impletionem, tunc maius peccatum est agere contra conscientiam, quàm agere iuxta illam: quandò verò res contra se habet, quod grauius, & maius est præceptum prohibens id, quod conscientia dictat, quam sit præceptum, in quo conscientia illa erronea fundatur per errorem; tunc maius peccatum est conformare se tali conscientiæ, quā agere contra illam. Itaquè cum iuxta dicta conscientia non obliget, nisi ratione pręcepti, quod repræsentat, siuè verum sit, siuè confictum, vt in conscientia erronea, & opus quod talis conscientia dictat, vt supponimus sit etiam malum, & prohibitum ab aliquo alio præcepto; hæc præcepta inter se sunt conferenda, & si quidem maius, & vrgentius sit, quod conscientia includit, grauiùs erit agere contra conscientiam, quia grauiori opponitur præcepto. si verò grauius sit præceptum, quod in re prohibet id, quod talis conscientia dictat, quàm quod inducit conscientia, tunc grauius peccatum erit conformare se conscientiæ.

Conclusionem sic explicatam communiter tenent Theologi. Durandus *in 2. dist. 89. q. 5. nu. 9.* vbi licèt dicat, non posse quest. hanc vno sermone declarari, quia non semper conformare cōscientiæ erroneæ vincibili est grauius, vel minùs graue, sed statim dat regulas, vt nos facimus, ad hoc dignoscendū, & eodē modo loquitur Medina *q. 19. art. 6. q. 2.* ex agitatis secundo loco. Clariùs Corneiò *tract. 8. disp. 2. dub. 2. conclus. 1. & in rei Veritate* Almain. Hyeronimus; de angesto, Corduba, Azzor, Sayrus, Vasquez, Salas, & Mōtesinos citati suprà, nam reuera postquam significant non posse regulas generales assignari circa hoc intelligendum tamen est ita, vt vna regula omnia cōprehendantur, quia eodem modo semper se habet discedere à dicta conscientia. Cæterum dare Regulas, quibus diuersitas illa reducatur ad certam doctrinam, omnes illi aliquo modo id conantur præstare.

Secundò probatur. Quantò pręcepto est maius, & vrgentis, tantò eius trangressio est peior: ergò tunc maius peccatā est agere cōtra conscientiam erroneam, quandò præceptum ab ipsa falsò propositum fuerit minùs, quod exemplis sic elucido. Demus, quod conscientia erronea dictet Petro sub peccato mortali mentiendū esse ad saluandam vitam proximi; tunc facere contra conscientiam erit peccatum grauius, quàm facere iuxta illam, quia præceptum quod violat faciendo contra conscientiam, est præceptum saluandi vitam proximi obligans sub mortali; pręceptum verò, quod violat mentiendo, est minùs præceptū, solùm obligans ad Veniale. Demus autèm, quod, conscientiam dictat sub pręcepto veniali teneri ad dandam eleæmosinam ex rebus alienis: tunc facere contra conscientiam non dando eleæmosinam, minùs peccatum est, quàm facere iuxta illam, eò quòd cùm sit contra illam, solum violatur pręceptum obligans ad Veniale; cum vero sit iuxta illam, frangitur præceptum non furandi, quia furtum non honestatur ex hoc, quod detur in eleæmosinam, nequè conscientia erronea excusat, cum sit vincibilis.

Secunda conclusio. Quando pręceptum, quod inducit cōscientia erronea vincibilis, & quod exequendo illam violatur, sunt omninò æqualia, maius peccatum est agere contra conscientiā, quàm agere iuxtà illam, & licèt hic excessus non sit specificus propriè, sed accidentalis; tamèn hæc est regula generalis, sicut ea, quæ in præcedenti cōclusione exposita est. De hac verò conclusione videantur Salas *tract. 8. disp. vnica, sect. 3. n. 27.* & Corneio *tract. 8. disp. 2. dub. 2. conclusione 2.*

Probatur, peccare cum ignorantia cæteris paribus, est minùs peccatum, quàm peccare cum cognitione sed qui in casu nostrę conclusionis peccat contra conscientiam erroneā vincibilem, peccat ex ignorantia culpabili præcepti; qui verò cōtra talē cōscientiā peccat, peccat ex certa sciētia, ergò quando vtraque pręcepta sunt æqualia, & cætera omnia paria, grauiùs peccat agendo cōtra conscientiam, quam operando iuxta illam. Minor probatur, quia ignorantia minuit Voluntariū, & peccatū; vt docet S. Thomas *prima 2. q. 6. art. 8. & q. 73. art. 4.* & Nos ibi. minor, verò, & consequentia satis patent. Quod verò hoc quod est peccare ex ignorantia, sit circumstantia accidens spetiei actus, ex eo patet, quod ignorare præceptum est Accidens trascendens per omnia genera peccatorum, & aduenians peccato in sua specie constituto.

Prima sententia opposita est, non posse in hac parte regulam aliquam generalem constitui, sed Iudicium relinquendum esse Prudenti, qui attēta materia & alijs Circunstantijs casus, determinet quando est maius peccatum agere contra cōscientiam; quandò verò maius, agere iuxta illā. sententiam hanc sequitur Vasquez *disp. 60. cap. 3. §. secundò ex eadem doctrina*; cui adhærent Salas *tract. 8 disp. vnica, sect. 3. §. quares 2.* & Montesinos *disp. 29. q. 3. §. 2. nu. 61.* & citant pro se Durandum *in 6. dist. 39. q. 1. art. 9.* Medinā *q. 19. art. 6. q. 1. ex agitatis secundo loco*, Almain *tract. 1. moralium cap. 5.* Hyeronimum ab Argello *cap. 7. in primam partem textus dub. 4.* Cordubam *lib. 3. q. 4. dub. 2.* Azuem *tom. 1. 2. cap. 8. q. 9. Sayrum lib. 2. cap. 4. num. 13.* Sed Durandus, & Medina talem sententiam non habent, sed solùm dicunt, non semper id eodem modo contingere, quia aliquando est maius peccatū agere contrà conscientiam, aliquando minùs, & inducunt doctrinam ad dijiudicandum, & fortè eodem modo plures ex citatis loquuntur, de quo infrà.

Fundamentum sententię huius est. Aliquandò contingit, quod in prædicto casu agere contra conscientiam est grauius peccatum, quam agere iuxta illam, aliquando è contra, ergò non potest in hac re generalis regula assignari. Antecedens notum fit Exemplis. In eo enim casu, in quo quis iudicat, se teneri ad mentiendum, vt saluet vitam proximi, minùs peccat mentiendo, quàm non mētiendo, nā conformādo se conscientiæ, & mentiendo, solū peccat venialiter, sed nolendo mentiri, & faciendo cōtra conscientiā, peccat mortaliter peccato homicidij, quia cum, iuxta suam conscientiā, teneretur vitam proximi mentiendo saluare, nolendo mentiri, est causa moralis mortis eius. Si autem quis putaret hac conscientia erronea se teneri subueniali ad furandum, vt det Eleæmosinam

nam, magis peccat conformando se conscientiæ, quia furtum est mortale, quàm discordando, quia tunc solùm esset veniale.

Sed hæc prima sententia in re à nostra non differt, si ad sensum attendamus. Solùm enim intendunt eius Auctores, nequè verum esse ponere semper maius peccatum in discedendo à conscientia erronea vincibili; quàm in adherendo illi, nequè è contrà, semper esse maius peccatum adhærere illi, quia quandoq; contingit, quod adhęrere tali conscientiæ sit maius peccatū, aliquando quod sit minùs, & hoc apertè conuincit eius fundamentum, sed quod possint assignari aliquæ Regulæ ad discernendum, quandò est grauius peccatum conformare se tali conscientię, quandò minùs, Auctores illius sententię, non negat, immò illi conantur illos assignare.

Secunda sententia opposita est, semper esse maius peccatum sequi conscientiam erroneā in casu, de quo disputamus, quàm agere contrà illam. Sententiā hanc tenet Basolis *in 2. dist. 39. q. unica, art.* 3. cui facta Richardus *in eodem dist. art. 2. q. 4. ad Quartum*.

Fundamentum sententiæ huius est hoc: Lex Superioris plùs obligat, quàm lex inferioris; sed preceptum conscientię est lex inferioris, quòd verò violat sequendo conscientiam, est Superioris; ergò grauius peccat faciendo contra aliud præceptum, quā faciendo cōtra legē cōscientię; cōseq. est bona, quia plus peccat, qui facit contra legem plus obligantem: & maior certa, quia lex superioris derogat legem inferioris, & non è contra: ergò plus obligat. Minor vero probatur: lex conscientię errantis, maximè vincibiliter, est lex ipsius hominis operantis, ipse enim confingit illam. Conscientiæ verò est lex Dei, naturę, vel superioris, quia extrà homines non datur alia lex, Deus verò, natura, & Principes sunt Superiores homine, ab eis per legem ligato. Ergò lex conscientiæ erroneę vincibilis est interior; lex verò in re obligans est superior.

Sed hec 2. Sententia est falsa, & improbabilis, vt constat ex conclusionibus. Ad probationem dico, quod licet conscientia erronea confingat legem, sed tamèn proponit illam, vt Dei, & sic obligat respectu illius, ac esset Dei, vt patet ex dictis. Et ideò pensandum est, qualis est lex quam proponit conscientia errans, & qualis illa, quę violatur conformando se illi, & Iudicium ferendū iuxta nostras conclusiones.

Tertia sententiam opposita distinguit de ignorantia vincibili, vna enim est affectata, seù directè volita, alia supina, & indirectè volita; quo supposito dicit hęc sententia, maius peccatum est agere secundùm conscientiam affectatam, quam contra illam: sed è contrario dicendus est, si conscientia sit supina, quod minùs peccatum est agere secundùm illam, & maius agere contra illam: Sic Henricus *quodlibito primo, quest. nona*. Argomentum, in quo hęc sententia innitur est, quod agere secundùm ignorantiam affectatam, est sicut agere ex certa scientia absquè vlla excusatione, agere verò ex ignorantia supina, non est agere ex certa scientia, sed ex ignorantia, que aliquo modo excusat, vt ex professo disputat S. Thomas *in hac par. quest. 6. art.* 8. *& 9. c. 73. ar.* 4. Ergo maius peccatum est agere iuxta conscientiam affectatam, quàm non agere, & è contrario agere iuxta supinam.

Sed hec 3. sententia etiam est falsa, & improbabilis, vt ostendunt Vasquez *disp. 60. cap. 3. S. eodem modo deceptus*, & Salas *tract. 8. disp. vnica sect. 3. num. 27. post medium*, & probatur, nam grauitas peccatorum essentialis, seù specifica non desumitur ex eo quod procedat ex certa scientia, vel ex ignorātia affectata, quę equiparatur certæ scientię, vel ex eo quod ex ignorantia vincibili quidem, sed supina aliquo modo excusante; hoc enim ad accidentalem peccatorum grauitatem cęteris paribus pertinet; non ergò rectè assignas regulam maioris, vel minoris grauitatis ex diuersitate igoranantiæ, sed per se primò ex obiecto, & præcepto debet sumi, secundariò verò, & in casu concluf. sup. allatę ex qualitate ignorantię.

Ad fundamentum sententiam huius neganda est consequentia dupplici ratione. Primò, quia licet vna ignorantia comparata alteri sit causa maioris, vel minoris grauitatis, quia supina aliquantulum excusat, non verò crassa; sed hoc non conducit ad grauitatem contrarij membri, hoc est, ad non operari iuxta conscientiam; cùm enim non operari iuxta conscientiam semper sit ex certa scientia conscientię repugnantis, nil participar de ignorantia. Secundò, quia grauitas, que prouenit ex Ignorantia, est accidentalis actui, & sic potest pertinere ad id, quod dix. sup. non verò ad grauitatem essentialem, & specificā, de qua loquuti sumus in prima cōclusione.

DVBIVM XVI.

Quandò, & Quomodo deponenda sit conscientia erronea, quando oritur ex ignorantiā habituali iuris diuini, & eius obligationis; an teneatur adhibere diligentiam aliquam

PRo decisione nota primò, duobus modis posse contingere, vt aliquis habeat ignorantiam alicuius, quod scire tenetur. Primò, quia non habet de eo notitiam, nec per propriam industriam acquisitam, nec ab omnibus alijs traditam, neo à Deo Infusam, nec etiam habet notitiam obligagationis, qua tenetur inquirere cognitionem illius, nec vnquam de hoc dubitauit. secundo modo, itaut quamuis ignoret, quod facere tenetur tamèn cognoscit se ignorare aliqua, quæ scire debet, aut saltem habet de eo probabilē dubitationē.

Secundò nota, huiusmodi ignorantiam vtroque modo sumptam, adhuc esse duplicem, nam quædam est habitualis, qualis est illa, quæ reperitur in eo, qui nunquam habuit talem scientiam: altera verò est actualis, & est in eo, qui quamuis habitualiter sciat id, quod facere, aut fugere tenetur, tamèn tempore agendi; deest illi actualis consideratio eius, vt cum quis v. g. scit habitualiter non esse communicandum cum excommunicato, & similiter scit Petrum esse excommunicatum, & tamèn occurrente Petro neutrum considerat, aut alterum tantùm, & eum alloquitur.

Terziò nota ex D. Thoma 1. 2. *q. 76. art.* 2. ea, quę quis scire tenetur reduci ad tria capita. Ad primùm reducuntur ea, quę sunt Iuris diuini, qualia sunt Articuli fidei, & pręcepta Sacramētum. Ad 2. pertinent præcepta Iuris naturalis, vt sunt pręcepta decalogi, & duo principia illa generalia practica, videlicet: omne bonum est amplectendum, & omne malum est fugiendum. 3. deniquè constat, ex alijs omnibus, quę pertinent

ad

ad officium, & statum, vniuscuiusque, vt sunt precepta Ecclesię, v. g. ieiunandi in Quadrag., & audiendi Sacrum in die festo, alię leges Ecclesiasticę; ità tamen, vt quę pertinent ad Sacerdotes teneantur scire eas soli Sacerdotes, & quę ad Iudices soli Iudices, & sic de alijs; similitèr, qui vult exercere aliquod officium, vel aliquam actionem tenetur scire ea, quæ necessaria sunt, vt rectè faciat, non solùm leges, sed etiam circumstantias facti, v.g. mercator tenetur scire, quę genera cõtractus sint licita, & Patronus, seù Aduocatus tenetur similiter scire leges, vt actiones litigantiũ dirigat, & confessarius, qui mercatorum confessiones audit, scire debet ea, in quibus ipsi communiter peccare solent; & sic de alijs.

Prima conclusio. conscientia erronea non est deponenda ad libitum sine ratione, vel Auctoritate sufficienti. Probatur primò, quia tutè non potest deponi sola voluntate sine noua ratione, vt contendit Vasquez 1. 2. *disp. 6. 7. cap.* 1. Caiet. quem optimè explicat Cordaba *lib.* 3. *q.* 12. & Valent. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 18. *puncto* 4. §. *atque ex eadem*. Secundò quia temerè imprudenter, & irrationabiliter deponeretur, ac consequentea esset peccatum, preterquam quod exponere se, ita deponens conscientiam periculo peccandi in casu, quo conscientia, quam deposuit, esset vera. Limitanda tamèn hęc conclusio est iuxtà doctrinã Ioann. de medina *tract. de Confessione. q* 16. cuius titulus est, *de tempore, quo confiteri oportet* § *tertius casus est*, nam vel operans formauit cõscientiam hanc absolutam temerè sine causa, & ratione aliqua, & si sic, potest optimè sine causa, & ratione aliqua, sed solùm pro suo libito, eam deponere; vel formauit illam causa, & ratione aliqua interueniente, & ità non licèt eam deponere, & in oppositam conscientiam absolutam mutari, nisi ductus alia causa, & ratione fortiori, nã si ratio sit solùm æqualis, vel formabit nouam cõscientiam probabilẽ, aùt retinebit priorem, vel quod securus erit, habebit dubiam conscientiam, & nec retinebit veterem, nec nouam contrariam ad mitteret.

Secunda Conclusio; quandò conscientia erronea aritùr ex ignorantia habituali iuris diuini, & obligationis sciendi illud, non tenetur quis adhibere diligentiam aliquam, vt eam deponat, secùs verò si non habet ignorantiam talis obligationis. Prima pars Conclusionis est euidens; quia in illo casu non potest homo expellere talem ignorantiã adquirendo scientiam contrariam, & sic illa ignorantia est omninò inuoluntaria, & inuincibilis, cũ non habeat ille homo sufficientem cognitionem, vt possit suspicari esse talem legem obligantem; ergò non tenetur eam deponere; patet consequentia, quia nemo obligatur ad id, quod non est in sua potestate. Secunda verò pars Conclusionis probatur, quia tunc ignorantia iuris diuini esset voluntaria, & vincibilis; ergò tenetur homo adhibere diligentiam, vt eam expellat; Antecedens patet, quia cum ille habeat sufficienter cognitionem, vt possit excitari ad indagondam notitiam iuris diuini, nisi adhibeat diligentiam, dicetur ignorare voluntariè, & vincibiliter: consequens verò probatur, quia diligentia est medium proportionatum ad adquirendas scientias oppositas suæ Ignorantiæ; ergò cum ille teneatur habere scientias illorũ preceptorum, etiã tenetur ad media, quibus haberi potest.

Et si quæras, *quas diligentias debeat apponere?* Pro solutione nota, dupplicem diligentiam posse adhiberi; vna est ordinaria, & moralis, quam recta ratio dictat, qualis est expendere rem apud se, & consulere viros doctos & probos; altera est maior, & extraordinaria, v. g. disponere se apud Deum orationibus, & dolore peccatorum ad obtinendum à Deo cognitionem veritatis, siuè inmediatè per reuelationem, siuè alio medio miraculoso. Quo posito Respondetur teneri adhibere diligentiam ordinariam, quod si ea prætermissa extraordinariam adhibeat, non satisfacit suæ obligationi, quæ saltem primò obligat ad media ordinaria, & humana, quin potiùs dicetur tentare Deum; sicùt infirmus, qui tenetur quærere à medicina remedium, negligit consulere medicos, & vult orationibus miraculosè sanari.

Sed instabis rursus, an quandò prior diligentia non sufficit, aùt non potest perfectè apponi, quia homo non potest adire doctores, vt ab eis instruatur, necessariò teneatur, adhibere posteriorem?

Resp. negatiuè cum Victoria *relectione de iudicis, part.* 1. *num.* 8. *&* 9. Soto *in quartum dist.* 5. *q. vnica, art.* 2. Vega *lib.* 6. *in* Concilium Tridentinum *cap.* 18. & certè, quod sola prior diligentia sufficiat, Colligitur ex illo Matt. 23 *super Cathedram Moysi ascenderunt Principes, & Pharisei, quæcunquè dixerint vobis, facite* & Lucę. 10. *Qui vos audit me audit*. Ratione autem probatur, quia extraordinaria illa diligentia non est medium per se ordinatum, & requisitũ ad adquirendam notitiam fidei, ergo non tenetur homo vti ea in hoc casu; consequẽtia constat, quia qui tenetur adquirere aliquem finem, non tenetur vti omnibus medijs possibilibus, sed solum illis, quæ per se ordinata, & requisita sunt ad illius consequutionem, vt qui ex officio docet, non tenetur apponere omnem possibilem diligentiam, vt sciat veritatem; sed eam duntaxat, quæ per se requiritur: & idem est de eo, qui res alienas administrat; antecedens verò probatur, quia cognitio Mysteriorum fidei magis pertinet ad intellectum speculatiuum, quam ad practicum; ergo non habet connexionem per se cum bonitate effectus, ad quem ordinatur per se illa conuersio. Et confir. 1. quia aut satis est, quod illi actus orationis, doloris sint ex viribus naturę, vel requiritur, quod sint ex Auxilio supernaturali: si primum, sequitur quod actus procedentes ex viribus naturę, sint dispositiones per se proportionatæ ad adquirenda bona supernaturalia, quod sapit errorem semipelagianorum: si secundum, sequitur, quod actus illos debeat præcedere cognitio supernaturalis fidei, & ex consequenti, quod ipsi non possint esse media ad obtinendam fidem simpliciter, & omninò. Confir. 2; quia etiam si concedamus illa esse medium necessarium ad obtinendam fidem, fieri potest, vt hoc ignoretur inuincibiliter, siuè quia nunquam venit illis in mente, siuè quia non habet principia, ex quibus possit in eam cognitionẽ deuenire: ergò saltem in hoc casu non tenetur adhibere talem diligentiam, vt conscientiã deponat.

Sed quid, *Si Insipiens dubitaret de lege sua, aùt heresi, quam à maioribus accipit? Vel ignorat vincibiliter medium legitimum ad cognitionẽ veritatis, esse consulere Doctores Ecclesiæ? Vel ignorat, quos consulat Catholicos ne, an hereticos, nesciens quibus credendum sit.*

Respondeo, tunc reccurrendum esse ad Deum, vt manifestet veritatem, siuè per reuelationem, siuè alia via. Cuius Ratio est, quia qui ita dubitat

de

de lege, aùt heresi sua, non potest ignorare inuincibiliter se teneri inquirere veritatem, & Deum habere perfectam prouidentiam rerum humanarum, atque adeò disposuisse certa aliqua media, quibus ipse posset suæ obligationi satisfacere, & quod dùm hæc media ignorantur, sunt à Deo postulanda. In quo casu loquitur Diuus August. *tom. 1. lib. de vtilitate credendi, cap.* 8. qui locus videndus est pro hac re. Tenetur similiter ille recurrere ad Deum, etiam in casu, quo insipiens dubitaret de sua lege, aùt heresi, & varijs motiuis in vtramquè partem agitatus timeret superari ab illis, quibus inuitatur ad permanendum in heresi, aùt saltem, quod manebit anceps, & dubius, aut consentiet alicui tentationi. Cuius ratio est, quia in his casibus, & similibus obligat specialitèr præceptum orationis, de quo agitur. 2. 2. *q.* 83. *art.* 3.

Ex dictis in hac conclusione Colligo, quod si quis, adhibita diligētia debita, non inuenerit veritatem, nec deponat conscientiam, tunc non peccabit conformando se illi, quia tam talis error redditur inuincibilis, siuè ille fuerit culpabilis in suo principio, siuè non; quod debet intelligi iuxta dicta. Nec est inconueniens concedere Ignorantiā inuincibilem in Iure diuino, vt docuit D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. nec satis est, vt non dicatur inuincibilis, quod ignorantia circa res fidei habeat peccata; propter quæ aliquis non illuminatur à Deo, quia reuera Ignorantia permissa à Deo in pœnam peccatorū, potest excusare à Culpa, tam in se, quàm in sua causa, scilicet in peccatis; nec in hoc est similis Ignorantiȩ causata ex ebrietate, quia licèt vtraque causetur ex causa voluntaria secundùm se, tamèn illa sequitur ex peccatis, vt ex causa per accidens, & Inuoluntaria in ratione causȩ; hęc verò sequitur ex ebrietate, vt ex Causa per se.

DVBIVM XVIII.

Quomodo deponenda sit conscientia erronea ex ignorantia inuincibili iuris naturæ, vel alicuius legis humanæ.

CONclusio. Eadem prorsus, quæ diximus in Conclusione praeced. Dubij, dicenda sunt de conscientia erronea, quæ oritur ex ignorantia circa aliquid pertinens ad ius naturȩ: Hęc probatur eisdem Argumentis. 1. quia lex naturalis, vt distinguitur à supernaturali, obligat secundum dictamen rationis naturalis, quo nobis manifestatur; sed vt satisfaciamus obligationi sciendi quid sit secundùm rectam rationem naturalem, satis est adhibere humanam diligentiam, & moralem, quoniā hanc solùm postulat, etiam recta ratio naturalis: ergò etiam sufficit ad sciendum, quid sit secundum legem diuinam naturalē. Conf. 2. quia alias necessarium esset vti conuersione in Deum per Orationem, & penitentiam in singulis contractibus, quos homines inter se exercent, in quibus est controuertia aliqua inter Doctores, an reperiatur aliquid contra legem naturȩ, qui cùm plurimi, & innumerabiles sint, sequeretur maxima Animarum perplexitas.

Sed obijcies: non est dabilis ignorantia inuincibilis iuris naturæ; ergò omnis est vincibilis atquè adeò deponenda semper.

Resp. Antecedens esse verum, quantum ad illa prima principia practica: *Bonum est faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Et quia hæc sunt per se nota, tam secundùm se, quas quoad nos, sicut principia speculatiua, *quodlibet est, vel non est omne totus est maius sua parte.* Et etiam est verum, quantum ad eas Conclusiones, quæ facilè, & sine opere externæ doctrinæ deducuntur ex istis principijs; siquidem ignorantia earum facile vinci potest: & huius generis sunt præcepta, quæ directè, & perse pertinent ad Decalogum, secundùm se sumpta, vt non mentiendum, non furandum; solet tamen esse eisdem præceptis, quatenùs coniuncta sunt aliquibus circumstantijs, ratione quarum possint ignorari inuincibiliter; vt non esse mentiendum, etiam pro vita proximi, non esse furandum ad subueniendum Pauperi etiam grauitèr indigenti, neque esse occidendum hominem, priuata Auctoritate, etiam in vindictam propriæ iniuriæ, nec propter vsum pecuniæ mutuatæ, esse aliquid vltrà capitale exigendum, & alia huiusmodi. Cuius ratio est, quia ista non ita facilè, & immediatè deducuntur ex primis principijs iuris naturalis, sed obscurè, aut per plures consequentias; & ratione huius difficultatis potest censeri, non posse humana modo adquiri ab aliquo eorum cognitio, & consequenter, quod possint ab eo inuoluntariè, & inuincibiliter ignorari; nam vt ignorantia aliqua sit inuincibilis, non requiritur, quod nullo modo vinci possit; sed satis est, si adhibita diligentia moralis & humana, non vincatur, quamuis si adhibeatur extraordinaria, vinci possit.

2. Concl. quandò conscientia erronea oritur ex ignorantia alicuius legis humanæ, tenetur homo adhibere aliquam diligentiam ad scientiam illius, & ad deponendam conscientiam, si habuerit aliquod motiuum ad dubitandum de ea; secùs verò, si non habuerit tale motiuum. Prima pars probatur, quia in illo casu, qui nullam adhibet diligentiam, negligit scire, & voluntariè ignorat, atquè adeò cùm scire possit, & teneatur, peccauit non deponendo conscientiam, quia ignorantia illa vincibilis, & voluntaria non excusat. Secunda verò pars Conclusionis patet, quia si nullum habeat principium ex parte intellectus, vndè possit veritatem inuestigare, inuincibiliter ignorat.

Quæres: *Quandò dicitur hominem habere sufficiens motiuum ad dubitandum de suo errore?*

Pro solutione, nota, motium ad dubitandum de iure positiuo humano, non esse ex lumine interno rationis; sicut ad dubitandum de iure naturali; sed solùm esse ex fama, vel relatione externa quoniam hoc ex propria ratione postulat propono hoc modo. Quo supposito Respondeo; tunc habere sufficiens motiuum, quando mutat statum, aut admitit aliquod officium Reipub. aut vult exercere aliquam eius operationem; nam eoipso incipit habere aliquam probabilem rationem dubitandi, an sint leges aliquȩ pertinentes ad talem statum, vel officium, quamuis nihil vnquam de talibus legibus audierit.

Et si Roges, *Quaenam diligentia adhibenda sit?* Resp. sub distinctione, nam vel huiusmodi officia sunt talia, vt ex propria ratione, & frequenti hominum vsu, & existimatione exerceri possint ab Idiotis, & legum ignaris, & respectu eorum satis est consulere peritos in illis legibus, quę ad tale officium pertinent, vel sunt talia, vt solum à peritis, & habentibus aliquam scientiā iudicio prudentū exerceantur, vt sunt officia Doctoris Theologi, Patroni causarum, Confessarij, Prælati, & similia

similia: & ad hęc non sufficit prędicta diligentia, sed requiritur in habentibus aliquam scientiam illarum legum, quę spectant ad propria officia, itaut saltem in casibus communibus, & quę frequenter accidunt, sciant veritatem: & in extraordinarijs sciant ad minùs dubitare, quantum satis est, vt supersedeant ab executione officiorum, quousquè inquirant veritatem, aut studio proprio, aut consultatione Doctorum.

Si verò rursus inquiras, *quales viri debeant cõsuli?* Respondeo, consulendos esse viros doctos, & approbatæ vitæ, iudicatos tales secundùm communem existimationem, vel saltèm iudicio ipsius interrogantis, penetrata rei grauitate. Et si deniquè postules, *qui autem consulendi sint* Respondeo, satis esse, sequi consilium vnius ad deponendam conscientiam erroneam, dummodò adsint duæ conditiones. Prima, quod non occurrant plures, aut grauiores Doctores pro contraria parte, & vrgentes rationes dubitandi, nam tunc oportet consulere plures, & examinare rem diligentiùs. *Secunda*, quod res sit priuata; nam si publica sit, & iudicio totius populi exponendam, oportet consulere plures, saltem ad vitandum scandalum.

Petes 3. *An quandò conscientia erronea non oritur ex ignorantia habituali, sed ex actuali inconsideratione, & inaduertentia sit necessariò deponenda*. Concl. Quandò conscientia erronea non oritur ex ignorantiam habituali, sed ex actuali inconsideratione, & inaduertentia, est necessariò deponenda, si homo potest tunc humano, & morali modo aduertere, & considerare. Probatur, quia si potest potentia morali, & humana aduertere, ergò inaduertentia est ei voluntaria; & culpabilis, atquè adeò deponenda: patet consequentia, quia vt omissio sit voluntaria, nihil ampliùs requiritur, quàm quod quis non faciat id, quod facere potest, & tenetur: quod autem teneatur constat, quia pręceptum obligans ad opus, obligat similitèr ad omnia, quæ necessaria sunt ad eius obseruantiam, quandò adhiberi possunt, quorum vnum est Aduertentia.

Sed Quæres, *quando is, qui non considerat in particulari id quod facit, censebitur habere prædictam potentiam ad considerandum?*

Resp. satis esse, vt cognoscat illud secundum aliquas rationes communes, & in confuso, vel quod tunc cogitet de alia re simili, vel habente connexionem cum ipso opere quod fit; nam ista possunt moralitèr excitare eum ad considerationem operis à se facti in particulari. Cuius ratio est, quia impotentia moralis ad considerandum in eo, qui habet vsum rationis, & scientiam habitualem, solùm potest prouenire ex defectu excitantis: ergò si adsit excitans moralitèr sufficiens, non reperietur talis impotentia: quod autèm cognitio obiecti imperfecta, etiam in communi, & in confuso, vel in aliquo simili, aut habente aliquam connexionẽ cum ipso sit sufficiens, vt voluntas possit mouere intellectum ad considerationem eiusdem obiecti in particulari, est expressa Doctrina D. Thomę 1. 2. q. 27. *art.* 1. *ad* 2. & Arist. *lib.* 1. *posteriorum cap.* 3. & D. August. *libro* 10. *de Trinitate cap.* 1. 2. & 3.

Aduertendo tamen est, conscientiam erroneam prouenientem ex huiusmodi inconsideratione esse similitèr voluntariam, & deponendam etiam in casu, quo nullum adsit motiuum, ratione cuius possit excitari voluntas ad Considerationem, quandò talis inconsideratio habuit actum ex causa voluntaria in ratione causæ talis inconsiderationis: vt si quis, verbi gratia aduertens, aut potens, & debens aduertere studium, vel quoduis aliud negotium, quod aggreditur, esse sufficiens impedimẽtum, nec aduertat ad tempus, quo est audiendũ sacrum, & ita eueniat, quod nec aduertat, nec audiat, existimante conscientia, non teneri audire, reuera peccabit non audiendo.

Ex dictis in hac quest. & in alijs antecedentibus Colligo, tribus modis deponi conscientiam illicitè, & totidem licitè. Primò deponitur illicitè, quãdo solo libito sine vlla ratione conscientia prudenter formata mutatur in oppositam. Secundò, quando id fit per rationes leues, & insufficientes. Tertiò, quandò voluntariè distrahitur consideratio prioris conscientię ratione cuius formatur alia conscientia: è contra verò deponitur licitè conscientia, Primò, solo libito, & sine vlla ratione formata, etiamsi sine vlla ratione deponatur. Secundò, conscientia prudenter concepta deponitur, per rationes sufficientes, & testimonia Doctorum. Et deniquè tertiò, deponitur licitè per naturalem, & inuincibilem obliuionem prioris conscientiæ.

Disputatio Tertia De Conscientia Opinatiua.

DVBIVM I.

Quid sit conscientia Opinatiua, & quotuplex.

Conscientia dicitur opinatiua ab opinionè, nõ quod conscientia sit opinio; distinguuntur enim, sed cum conscientia sit applicatio scientiæ ad opus, ex diuersitate scientiæ, seù iudicij rationis, quod applicat, & cui innititur, diuersificatur conscientia; vndè sicut ea applicatio, quæ innititur iudicio verò, & certo, est conscientia vera, & certa, & ea applicatio, quæ innititur iudicio falso, & erroneo, est conscientia erronea; sic quæ innititur iudicio opinatiuo, seù opinioni, dicitur conscientia opinatiua, quæ inquantum innitur iudicio, seù opinioni probabili, dicitur conscientia probabilis. Videatur Montesinos *disp.* 29. *q.* 5 *vers. quintò deniquè* & Martinez *hic q.* 19. *art.* 6. *dub.* 1. 2. *ex dictis*. Opinio verò est, *iudicium, seù assensus ad vnam partem ex debito fundamento, cum formidine alterius partis*. Sic S. Thom. *prima parte q.* 79. *art.* 9. *ad* 8. & 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *in corpore*, in qua definitione, genus est, *iudicium, seù assensus ad alteram partem*, conuenit enim in hac ratione cum scientia, & errore, & in summa cum omnibus iudicijs determinatis ad vnam partèm. Et per eandem particulam differt à dubio positiuo, & rigoroso, nam licet dubium in ampla significatione sumi possit pro quocũque assensu intellectus incerto, & ineuidenti, & sic opinio etiam sit dubium, sed dubium sumptum pro dubio negatiuo, vt ab opinione distinguitur, non includit iudicium determinatum ad aliquam partem, sed suspensum ad vtramque, vt cum quis dubitat, an soluerit aliquod debitum, nec ne? Itaut non inueniat rationem, qua ad vnam partem se determinet, potius quam ad aliam, & sic iudicium manet suspensum. Opinio vero à tali dubio secernitur, eo quod dicita ssensum ad vnam partem. Videatur Suarez *hic disp.* 12. *sect.* 6. *in principio*, & Montesinos *disp.* 29. *q.* 5. *in principio*. Secundò

Secundò dicitur, *ex debito fundamento*, quia Iudicium, seù Adhæsio ad vnam partem absque aliquo fundamento debito potiùs est delirium, quam opinio, atquè adeò à ratione opinionis exorbitat, quæ est omnino irrationalis, & temeraria. Per quod differunt sentētia & opinio, sententia enim est, quæ à quolibet tenetur cum fundamento, vel sine illo; opinio verò est sententia cũ fundamento debito. Fundamenta autèm quibus innititur opinionum probabilitas, sunt in dupplici differentia; quędam enim sunt fundamenta intrinseca, alia verò extrinseca. Intrinseca, quæ desumuntur ex ipsa re, de qua est opinio, sunt connexio prędicati cum subiecto, seù rationes, quæ illam probant. Et ista connexio prædicati cum subiecto, seù veritas opinabilis dupliciter innotescere potest. Primò per ipsũ lumē naturale simplex sine discursu, nã quemadmodũ inter propositiones necessarias, quędam sunt per se notæ, quæ immediatè cognoscuntur ex lumine naturali absq; discursu, vt omne totum est maius sua parte; sic quodammodo inter propositiones opinabiles sunt quędam per se probabiles, quibus assentimur probabiliter absquè expresso discursu, ex solo Lumine naturali, vt quod mater diligit filium suum. Videatur Arist. *lib.* 1. *poster. cap.* 20. Secundò potest innotescere connexio prædicati cum subiecto, seù veritas opinabilis ex rationibus, quæ illã partem suadent. Fundamenta verò extrinseca sunt Auctoritates, seù sententiæ peritorom in illa materia, circa quam versatur opinio, quę in re practica, de qua tractamus, plurimum valet. Sēper ergò opinio debet inniti prædictis fundamentis, seù aliquo eorum, aliàs non est sententia, seù opinio probabilis, est temeraria. ex quo patet, quod ad opinionem non sufficit sola Voluntas temerè determinans ad assensum; nequè pia volũtas, seù affectus ad vnam partem, licèt iuuet ad hoc, quod intellectus viuaciùs scrutetur rationes pro illa parte, cui inclinamur, tamèn sola pia affectio sine vno ex dictis fundamentis non constituit opinionem, etiam si post se trahat affectum, aliàs fides diuina, quæ supponit ex parte voluntatis piam affectionem, esset opinio. Videatur Arist. *lib.* 1. *Tipicorum cap.* 1. *& lib.* 1. *Ethicorum cap.* 4. Vasquez *disp.* 62. *cap.* 3. Montesinos *disp.* 29. *q.* 5. *Versu secundò obseruandum*.

Tertiò ponitur in definitione, *cum formidine alterius partis*, quia Iudiciunm opinionis non est euidens & infallibile, aliàs esset scientia, vel alia cognitio certa, & euidens, & ideò fundamentum opinionis non debet esse tale, quod generet omnimodam certitudinem, sed quod inclinet ad vnam partem relinquendo formidinem, nè forte fallamus, & alia pars sit vera. Quod si de contraria parte habeas scientiam, seù quamcunque euidētiam, quod scilicet sit vera, vel falsa; iam de alia parte non habes opinionem, eo quod non formidas, an contraria sit vera, vel falsa, sed id certò scis. Vnde apertè colligitur, etiam alteram partem certò esse veram, vel falsam. Vnde probabilitas non solùm sumitur ex fundamentis, quæ positiuè hanc partem suadent, sed etiam ex negatione fundamenti, quod oppositum apertè conuincat. Ex quo patet primò, quod assensus contrà partem, de qua habeamus scientiam quantocunquæ probabilia fundamenta habeat, nunquã poterit esse probabilis, sed dicendus est erroneus. Patet ex hoc secundo, quod contra auctoritates Sacrę scripturę, doctrinam fidei, & decisiones Ecclesiæ non potest esse opinio aliqua, quantocunque habeat Auctores, & rationes probabiles, eo quod illæ sunt veritates certę & infallibiles; contra verò veritas certa, & infallibilis, siuè euidens sint, siue ineuidens, non est opinio, quia non est formido, sed certitudo contrariæ partis. Vnde Hæ res quæcunque opiniones non sunt, sed delitia, de qua re videatur Ioannes Sanchez *in selectis, disp.* 14. *nu.* 8. Granados *contr.* 12. *disp.* 4. *sect. n.* 2. est tamen adaertendum non ideò aliquam opinionem censendam esse improbabilem, quod pro contraria opinione videat rationem, quam omninò soluere non valet, quasi ideò illa iam sit euidenter certa, eo quod debet præsumere apud alios rationem illam posse dissolui; pręsemptuosum enim esset ex se iudicare, alios nescire rationem illam soluere, secùs esset si plures graues Auctores iudicarent illam rationem esse insolubilem, & euidentē, de qua re videantur Vasquez hic, *disp.* 60. *cap.* 4. *n.* 8. Sayrus *in claui Regia*, *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 7. Sanchez *lib.* 1. *summæ*, *cap.* 7. *num.* 6. Palao *lib.* 1. *tract.* 2. *puncto* 1. *num.* 1. Ouiedo *tract.* 5. *Controuers.* 3. *num.* 1.

Prima cõclusio. Conscientia opinatiua est, *dictamen rationis, quo aliquis iudicat aliquid faciendum, vel vitandum in aliqua materia, applicando ad illam opinionem*, quę definitio, ex his quæ sup. diximus circa definitionē conscientię in cõmuni, manet explicata; ibì enim ostendimus, Conscientiã esse Iudicium, & dictamen rationis circa opus morale à nobis faciendum, vel vitandum, quod applicat scientiã ad opus; distinguitur tamē conscientia opinatiua ab alijs, eò quod applicat notitia opinatiuam ad opus, vt cum quis sequens opinionem, iuxta illam determinat, quid in aliquo negotio debet facere, an teneatur restituere? & sic de alijs, quod apud omnes debet esse certum.

Secunda conclusio. Conscientia opinatiua ni tot species distinguitur, in quas partitur opinio. Atquè adeò, conscientia opinatiua vna est improbabilis, alia probabilis, probabilior, vel probabilissima. Item vna est probabilis speculatiuè tantum, seù ad disputandum de illa, non vt conscientia illa informata operetur; alia etiam practicè, quę apta est, vt secundùm illam rectè operemur. Tertiò conscientia vna est probabilis, vel probabilior in se, alia, quę talis apparet subiecto. Et quartò, ea quæ subiecto probabilis apparet, vna est culpabilis, alia inculpabilis. Et deniquè, quintò, vna est probabilis, seù probabilior, altera tuta, seù tutior, quę omnia membra explicari, & probari possunt, vt ex sequentibus opinionis diuisionibus.

In primis opinio, qua parte nititur fundamento vna est improbabilis, alia probabilis, alia probabilior, & alia probabilissima. Opinio Improbabilis, est quę caret debito fundamento, seù opponitur veritati certæ. Quæ autem sint fundamenta probabilis opinionis, diximus sup. vbi etiã ostendimus opinionem fundamento carentem, vel oppositum certę veritati, opinionem non esse, prępuè quantum ad affirmandam conscientiam opinatiuam, quia conscientia quæ innititur improbabili opinioni, non est opinatiua, sed temeraria, & erronea. Opinio verò probabilis, quæ vera cēsetur opinio, est *Assensus ad vnam partem ex probabili fundamento, cum formidine alterius*, vndè probabilior opinio est, *Assensus ad vnam partem ex pluribus, vel probabilioribus fundamentis, cũ*

formidine

formidine alterius, & probabilissima opinio erit. *Assensus ad vnam Partem ex pluribus, ex probabilissimis fundamentis cum formidine alterius*, Quæ definitiones ex diffinitione opinionis vt sic, & ex eius expositione expositę manent. ex quibus clarè dicitur, quod tota diuersitas maioris probabilitatis ex diuersitate fundamentorum est desumenda. Alias diuisiones vide inf.

DVBIVM II.

Quomodo practicè iudicanda sit conscientia probabilis, & secura.

MAgna difficultas est in formanda conscientia practicè tuta, & quę excuset securè conscientiam, & in hoc totus labor est, pendet enim non solum à scientia, sed etiam à Prudentia. illa siquidem conscientia est bona, & secura, quę est prudens secundùm veram, & virtuosam prudentiam. Igitur dictamen, seù conscientia sequenda, ex qua licitè regulari possumus, est dupplex, scilicèt conscientia certa, & probabilis, dummodo practicè probabilis sit, & de eius probabilitate constet. conscientia autem deponenda, vel reformanda est conscientia erronea, dubia, scrupulosa. Tales enim conscientię nisi per sufficientes diligentiam reducantur ad probabilem conscientiam, tutè non possunt admitti. de conscientia ergò deponenda agemus inf. disp. de sequenda practicè, & prudentialiter in præsenti.

Quod ergò attinèt ad conscientiam certam, & indubitatam, nulla est controuersia, quòd illam tuto sequi possimus. Tunc autem certa, & indubitata conscientia est, quando nulla apparet ratio peccati, vel periculum peccandi in operando, nequè dubitatio aliqua eius Animum pulsat circà tale dictamen. Sed quia etiam in erronea conscientia hoc inueniri potest, siquidem ex pertinacia ita solet aliquis adhærere effectui particulari, quod nihil dubitet de tali sententia, & Iudicio, oportet vlteriùs dicere, quod cum in pręsenti solùm agamus de conscientia erronea vincibili, seù culpabili, non de inuincibili, in tali casu nunquam admittimus, quod nulla appareat ratio (idest fundamentum) peccati, vel dubitatio de illo, licèt iste ex malitia nolit talem rationem sequi, sed pertinaciter errori adhæreat. Nam si nulla ratio, aut dubitatio in oppositum appareret, iam error ille non esset vincibilis, & culpabilis, sed inuincibilis, quia nichil appareret, quod vinci posset. Si verò aliqua dubitatio, vel ratio in oppositum occurrit iam non ex certitudine, & adhæsione sola rationis, sed ex pertinacia, aut malitia Voluntatis procedit illa adhesio erronea, presertim quia in conscientia erronea semper synderesis remurmurat; & dubitat saltem specularie, & si non manet conscientia erronea ita certa, quod sine dubitatione vel ratione in oppositum procedat, quod tamen facit certa conscientia.

Quod verò attinet ad conscientiam, seù iudicium probabile, est vnica regula certa. *Licere sequi conscientiam, & sententiā probabilem, dummodò de eius probabilitate certò constet practicè, & prudentialiter, non solùm speculatiuè.* Quia probabilitate practica (idest prudentiali) stante quantumuis speculatiuè habeat dubitationes, & difficultates, imò licèt oppositum appareat probabilius, & tutius, licitè potest talis conscientia sequi, *Hanc regulam* censeo generalem, & vniuersaliter veram pro omnibus actionibus moralibus, licèt non equaliter iudicanda sit probabilitas practica in omnibus materijs, sicut nec prudentia equaliter in omnibus operatur, imò nec in eadem materia, quia iuxta varias occasiones, & circunstantias mutatur Iudicium prudentiale. & in presenti, probabilitas practica, & prudentiale Iudicium equiparantur.

Duo ergo nobis probanda sunt; Primum, quod non sufficit probabilitas speculatiua, si practica probabilitas prudentialitèr, & morali modo certa non sit. Secundum, quod stante hac certitudine, ac probabilitate practica in quacunq; materia, licitè procedi potest, quantumcunque dubitationes, vel difficultates aliquas quis patiatur, quę in tali casu solū erunt dubitationes speculariuę, quę nihil obstant, aut etiamsi supposita pars tutior, & probabilior appareat, sufficit enim probabilitas practica, & non requiritur probabilitas specularitua, vt licitè quis possit operari.

Primum ergò probatur. Quia probabilitas speculatiua est illa, quę nititur rationi, seù discursui probabili circa ipsam veritatem rei, seu circa id quod est, vel non est in ipsa re, sed nondum descendit ad formādum dictamen prudentiale prout hic, & nunc, & secundùm varias circumstantias occurentes, quę diuersam habent inspectionem, & possunt diuerso modo attendi, & magis, vel minùs cognosci, & sic diuersum iudicium producere. Et benè stat, quod aliquis habeat plures rationes probabiles speculatiuè, & tamèn in formando dictamine practico, seu prudentiali patiatur dubiū, ità quod practicè non sit certa, idest, prudens probabilitas, quia speculatio procedit magis abstractiuè, & pręcisiuè, & considerando rem secundum se; prudentia verò cum omnibus circūstantijs, quę hic, & nunc occurrunt, nec possunt omnes in prima speculatione, seù inspectione considerari, & multoties considerata vna circumstantia redditur aliquod dubium, & incertum, quod illa non inspecta certum, aut probabile videbatur v. g. est speculatiuè probabile, quod Baptismus collatus in nomine *Genitoris, Geniti, & Procedentis* est validus, nec prorsus illicitus quia idem in substantia illis verbis significatur, atquè alijs, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Occurrit occasio baptizandi hominem, & non est necessitas aliqua vrgens omittendi formam ordinariam consuetam, & utendi forma illa dubia, & si probabili; non potest tale formare dictamen practicum, & prudens, seù conscientiam practicè probabilem, & securam pronuntiandi formam illam, Genitoris, & Geniti, &c. Quia Ratio dictat, quod in re tam graui, operari sine vrgentissima causa, & committere periculo ministerium Sacramenti est illicitū, nec potest secundùm prudentiam fieri, prudentia enim non dictat, periculosè, & temerariè esse procedendum.

Est aliud exemplum: Dubitat quis, an res, quā à longè videt, sit homo, vel fera, & habet probabiles rationes, quæ persuadeant feram esse, nec potest proprius accedere, vt certificetur; prudentia dictat, non esse iaculandum, quia hic, & nunc, non est facta sufficiens diligentia, nec aliqua necessitas instat vtendi iure suo in iaculando, quia solum id fit recreationis causa, cum sit quędam venatio. Præponderat autèm secundùm Iudicium prudens periculū occisionis voluptati recreationis.

Secundùm probatur, quia in agendis non est postulanda maior certitudo, quam quæ sufficit ad prudentiam

prudentiam, ita quod aliquis non temerè, aut fortuitò, & casu aliter, sed cum sufficienti consilio procedat. Prudentia autem cum sit virtus, quæ versatur circa actiones indiuiduales contingentes, & fallibiles, & in eis medium ponit, idest, modum, temperamentumquè virtutis duo postulat. Primum pro ea parte, qua est virtus, residens in Intellectu, quod eius dictamen non sit defectuosũ, sed moraliter certum, & firmum; nam si hoc non esset, non diceretur virtus, quia sicut virtus moralis in voluntate existens opponitur vitio, & peccato, nec in illud potest inclinare, ita virtus in intellectu existens nõ potest inclinare ad falsũ, quia falsũ est defectus, & vitiũ intellectus, virtus autẽ in intellectu inclinat ad id, quod in intellectu est perfectum, non autem ad id, quod est vitium, & defectus. Si autem virtus intellectus non esset firma, in eo, quod attingit, & certa, posset deficere ad falsum, sicut opinio, & consequenter posset non esse virtus. Dictamen ergò prudentiale hoc ipso, quod prudens est, & à virtute prudentiæ procedens, certum esse debet, & firmum morali, seu prudentiali modo; & sic non potest esse regulatiuum peccati, aut principium illius. Alterum, quod habet Prudentia pro ea parte, qua versatur circa Indiuidua contingentia est, quod non reguletur eius firmitas, & certitudo penes id, quod in re est, vel non est, quia si de omnibus istis contingentibus, & operabilibus deberemus certificari prout sunt in re, vel non sunt, aut prout erunt, impossibile esset in multis formare dictamen prudens, & consequenter licitè operari; sed inueniremur perplexi, quia est impossibile humanæ menti, & discursui penetrare omnia ista contingentia, & actiones prout in re sunt, & ponderare omnes circunstãtias, & intẽtiones, propriè enim hoc pertinet ad Deum, *Quia spirituum ponderator est Dominus*, vt dicitur Prouerb. 16.

Quare si velimus dictamen prudentiale regulare penes id quod est in re, vel non est, aut redde tur omninò impossibile, aut mille erroribus, & fallentijs erit subiectum, quia id nõ potest humanus discursus certò penetrare. Ergò non potest prudentiale dictamen, & Iudicium regulari penes id, quod est, vel non est in re, sed penes regulas morales, & humano modo tractabiles, scilicet faciendo id quod potest iuxta grauitatem, & qualitatem materiæ, & in hoc ponendo limitem, & terminum, quia si non esset finis inquirendi, & consulendi, nunquam possemus operari.

Ex quibus liquidò colligitur fundamentum eius, quod proponimus, videlicèt quod stante probabilitate practica, seu prudentiali possumus licitè operari, etiamsi surgant dubitationes speculatiuæ, quod istę dubitationes oriuntur ex eo, quod non possumus penetrare quid in re sit, vel non sit, & ideò fluctuamus, & dubitamus in ipsa speculatione, quia speculatio semper conatur penetrare veritatem, & obiectum suum quantum possibile est, nec quiescit, nisi ipsa rei euidentia. Si ergò ad habendum prudens, & practicum dictamẽ rectum de agendis nõ requiritur certitudo speculatiua de eo, quod est vel non est in re, sed sufficit practica de eo, quòd deberet esse, & humano, ac morali modo iudicatur possibile; ergò posita ista probabilitate practica, & prudente, quæcunq; dubitationes speculatiuę quę omnino insurgũt, dum nõ datur euidentia de opposito, aut etiã si altera pars securior, & tutior, seu probabilior videatur, non tenemur id sequi, aut omittere id, quod absolutè, & simpliciter prudens est, & prudenter regulatũ.

Dices: Probabilitas ista practica, vt dicimus, non est aliud, quàm prudentia; ergò opinio probabilior practicè est illa, quæ est prudentior, sed omittere id, quod est prudentius in aliqua materia, quando cognoscitur, & aduertitur, non est licitum, quia velle in aliqua materia minùs prudentèr procedère, cum possit prudentius, est signum Animi parum firmi in bono, & exponentis se periculo deficiendi. Licèt enim non tenemur sequi, quod meliùs est ex parte obiecti voliti, bènè tamen quod melius est ex parte modi dirigendi, seù ex parte prudentiæ, quæ defectiua nõ est, & secundùs nos probabilitas practica est ipsamet prudentia, & directio.

Resp. non teneri aliquem sequi quod prudentius apparet, neque ex parte rei cognitę aut volitæ, neque ex parte modi cognoscendi, idest, nequè ex parte melioris medij ad aliquem finem, quia potest eligere medium sufficiens, & vtile, nec tenetur semper eligere vtilissimum, & optimum, nequè ex parte directionis, seù modi cognoscendi, quia non tenetur quis esse prudentissimus, & maiori claritate, vel scientia procedere, dummodò sufficienti prudentiã vtitur, itaùt temerariè, & imprudenter non procedat. Neque hoc est signũ Animi parum firmi; siquidem habet sufficientem firmitatem, qui prudenter procedit, & non temerariè, licèt non habeat maximam firmitatem, & perfectionem prudentiæ.

Quod verò quis debeat esse certus de hac probabilitatè practica, ac Prudentia, qua dirigitur in agẽdis probatur, quia debet esse quis certus, quod non imprudentèr, nec temerè procedit, sed cum sufficienti consilio, & iudicio, aliàs si non est certus de sufficienti diligentia in iudicio, & consilio, manet practicè dubius, quia adhuc non est facta sufficiens diligentia. Cum conscientia autèm dubia non potest quis securè, & licitè operari, si practicè est dubius, vt iam dictum est, & amplius dicemus, quia adhuc non procedit prudenter, idest, virtuosè, & perfectè (vt exigit prudentia) qui cum dubio procedit, potest enim sub dubio deficienter se habere, quia non certò, sed dubitanter, atquè adeò subiectus fallaciç procedit. Non est autèm virtus intellectualis, quę falsitati potest esse subiecta, quæ est vitium mentis.

Et hoc totum desumimus ex sententia D. Tho. *quodlib.* 8. *art.* 13. vbi inquit: *Quod quandò quis inducitur in quandã dubitationem ex contrarietate opinionum, si manente tali dubitatione operatur, periculo se exponit, & sic procul dubio peccat, aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Vbi apertè constat, quod vbi intercedit diuersitas opinionum, atquè adeò non est euidentia, sed probabilitas de agendis, putat S. Thom. vt nulla sit dubitatio orta ex tali contrarietate opinionum; ergò supponit, quod non obstante probabilitate opinionum, oportet, quod vt licitè operetur, non remaneat, nequè oriatur ex talibus opinionibus aliquod dubium: constat autèm, quod omnis opinio semper secùm affert aliquam formidinẽ, seù hæsitationẽ, saltem quantũ ad cognitionem, seu speculationem; ergò si vult D. Thom. quod ex talibus opinionibus contrarijs non oriatur aliqua dubitatio, vt quis operetur, supponit, quod aliqua certitudo, seù aliqua existimatio dubitationis remaneat, non obstante formidine intrinseca opinionum, & talis remotio dubitatoris

bitatoris

bitationis, seù certitudo, est practica, quia dicit D. Thom. *Quod si manente tali dubitatione operetur, periculo se committit, & sic procul dubio peccat.* Loquitur ergò de dubitatione operationi coniuncta, quæ vtiquè practica est. Euitare autē hoc periculum, seù discrimen in operando pertinet ad prudentiam, quæ dirigit actiones in particulari iuxta regulam rationis; ergò debet quis esse certus, idest, non dubius de ipsa prudentiali directione, vt possit licitè operari, quia debet nō committere se periculo, nec habere talem dubitationem in operando, quæ periculo committat, licèt speculatiuæ dubitationes maneant, quia istæ videntur inseparabiles ab ipsa natura opinionum, quæ habent adiunctam formidinem; & D. Thom. opiniones dari supponit, cum dicit; *Quòd si ex contrarietate opinionum inducitur dubitatio*, &c. vel *Quod si nulla dubitatio ex contrarijs opinionibus oritur, non peccat &c.*

Sed instabis: nam de hoc ipso potest esse dubitatio; An illud dictamen, quod quis habet, sit prudens, & potest esse dubitatio. An sit certus de ipsamet prudentia speculatiuè, an practicè, & procedetur in infinitum. Quę est ergò hæc certitudo practiea, seù ista exclusio dubitationis, quę requiritur, vt quis licitè operetur?

Resp. Aliquos distinguere inter formidinem, & hæsitationē, seu dubitationē, vt Vasquez *hic disp. 62. cap. 5. & disp. 647. c. 2.* eo quod formido solū cōsistit in iudicio quodam reflexo, quo quis iudicat rationes suas non esse euidentes, & ita formidat de certitudine, & veritate earū. Dubietas verò, seù hęsitatio, est indeterminatio intellectus ad alteram partem, & qui sic est dubius, non potest operari, donec determinetur. Sed quidquid sit de hac distinctione, tamen in pręsenti concedimus, non requiri ad certitudinem practicam, quod excludatur omnis formido, & dubietas, quæ solùm per euidentiam excludi potest, siquidèm non requiritur euidentia in ipsis rationibus, propter quas, quis mouetur, & allicitur, sed sufficit probabilitas, aùt euidentia moralis, quę compatitur secùm formidinem speculatiuā, & hoc quotidiana experientia testificatur, quod euidentia simplicitèr non requiritur ad inclinandam voluntatem, vel sequēdàm aliquam opinionem licitam, & probabilem, sed sufficit exclusio temeritatis, & periculi, & imprudentiæ, quantū ad hoc, quòd faciat, quod in se est secundū Consiliū rationis, & enon ex passione, vel vt verbis D. Thom. loquamur, *requiritur quod ex contrarietate opinionum in nullam dubitationem quis adducatur*, quòd vtiquè est, practicam formidinem, & dubitationem excludere, (quod enim Vasquez vocat dubitationem, & hæsitationem, reuera formido practica est, & dubium in operando hìc, & nunc) & de hac exclusione formidinis certò potest alicui constare, si velit, quia benè sibi constat ex ipso facto, an fecerit sufficientem diligentiam, nec ne; an consulerit viros peritos, autqui sibi possent sufficientem rationem, & notitiam reddere de illo negotio; aut si est virdoctus, an sufficientèr studuerit, aùt inspexerit rem illam? De his actionibus, quibus diligentia sufficiens fit, rectus esse potest, & scrutari, an diligentiā illa sufficiens sit iuxtà arbitrium Peritorum, & sicut in similibus materijs fieri solet. Et sic si est certus de hoc facto, quòd scilicet fecerit sufficientem diligentiam, idest, quod non leuiter processerit in consulendo, & inspiciendo secundum quòd rei grauitas postulat, plus, vel minùs, tunc habet certitudinem practicam, nec ex contrarietate, vel diuersitate opinionum adducitur in dubitationem, nec periculo se committit. Si verò factis istis actionibus, quibus diligentia sufficiens fieri solet, adhuc non certificatur, an fecerit sufficientes diligentias, quia ignorat in quo puncto sufficiens diligentia consistat, potest consulere alios, si sibi non fidit, vel ampliùs studere, & inspicere, si sit vir doctus. Quod si adhuc non quiescit, reputari debet pro scrupulo, vel dubio speculatiuo, quod deponendum est.

DVBIVM III.

Quid in particulari inspiciendum, vt formetur conscientia secura, idest. An non solùm debent concurrere fundamenta intrinseca, sed etiam extrinseca?

Restat Doctrinas, & regulam suprà positam in particulari attingere, & scire quomodo in particulari sit applicanda, quandò hic, & nunc occurrit aliqua materia disponenda, & formanda secundùm conscientiam, ita quòd in singulari reddatur opinio probabilis practicè.

Responsio ad hoc dubium pendet ex *infrà* dicendis circa modum deponendi conscientiam dubiam, & scrupulosam. Sed quantum attinet ad præsens, dico ex dupplici capite, & principio deduci posse practicam probabilitatem, & dictamen prudens in singulari formandum. Primum est ex principijs intrinsecis ipsius rei, de qua agitur; secundùm ex principijs extrinsecis. Vocamus principia intrinseca illa, quæ desumuntur ex propria rei natura in genere morali. In quo iuxta grauitatem materiæ diuersa principia inspici debent, vndè propter diuersā grauitatem, quod est sufficiens pro vno, aliquando nō est sufficiens pro alio. Ad naturā autē rei moralis, & in materia morali pertinet, in primis lex ipsa, seù ius, aut concordia quæ circa aliquid habetur, id enim pro regula reputatur. Secundò pertinet consuetudo, quæ ad legem reducitur, quia per consuetudinē lex firmatur. Tertiò possessio, quia in dubijs melior est conditio possidentis. Quartò necessitas, quia imminente necessitate multa iudicantur prudenter fieri posse, quæ extra casū necessitatis fieri nō possent. Quintò effectus, siue damna, quę ex aliqua operatione sequuntur, aùt timentur, ad quod pertinet periculum, quod solet ex aliqua actione sequi. Ex his principijs, vel alijs similibus, quæ ad hæc reducuntur formari solet ratio, seù fundamentum pro alicuius opinionis probabilitate fundanda, & vt dictamen hic, & nunc sit pruden s, & rectum, non temerarium. Vocamus autem principia extrinseca Authoritatem Doctorum, præsertim Antiquorum; est enim certum, quòd sapientiū sermones, & Authoritas magni ęstimanda est, & fidem, ac pondus magnum confert sententijs, iuxta quod Spiritus Sanctus loquitur, & dicit Ecclesiastici *cap. 8 Ne despicias narrationes Presbyterorum sapientiū, & in prouerbijs eorum conuersare, ab ipsis enim disces sapientiam intellectus, & seruire magnatibus sine querela. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniā ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis clarè responsum.* Itaquè Authoritas Doctorum, & virorum prudentium, & Cordatorum, & eorum stylus in aliqua Repub. magnā authoritatem præbet, & per consensum ad illos formari debet iudiciū, & dictamen prudens.

habetur. Et præsertim in dubijs, quæ occurrunt circa Sacramenta ministranda, consuetudo Ecclesiæ potiùs æmulanda est, quam quæcunque rationes probabiles, & apparentes, si consuetudo approbata est. Quam autē vim cū habeat consuetudo, & stylus Curię vel Tribunalium, non pertinet ad presens, sed in materia de legibus tractādū est.

Tertiò loco inspicienda est possessio; quia in dubio melior est conditio possidentis, & in fauorem eius formanda est conscientia, & dictamen. Quid verò nomine possessionis, infra dicemus. Ad quam etiam regulam reducenda est alia, quę etiam pro dictamine rectè formando deseruit. In dubijs fauendum est Reo, quia Reus quamdiù non condemnetur, est in sua possessione, à qua deturbari procuratur ab Actore. Quam Regulam cum alijs inf. dilucidabimus.

Quarto loco inspicitur necessitas, quę hic, & nūc interuenire conspicitur, instante enim necessitate recto Iuditio aliqua eliguntur, quæ extrà necessitatis casum non licerent. Et quantò maior instat necessitas, tantò plus aliqua licent, quia necessitas caret lege, ita ùt in extrema necessitate etiam quæ aliena sunt, licitè accipiuntur, & tenetur aliquis etiam de necessarijs sibi extremè indigenti præbere, vt rectè docet S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 5. Equiparat autē S. Thom. *ibi* extremam necessitatem personæ particularis necessitati graui Reipubl. ita, quòd non requiritur extrema necessitas Reipubl. sed sufficit grauis, vt teneatur ei aliquis subuenire etiam de sibi necessarijs. & hoc rectè, quia grauis necessitas Reipubl. parit multas extremas, vt est bellum, pestis, & similia, quæ inter grauia Reipub. mala numerantur. Et illis ita tenentur subditi subuenire, sicùt proximus alteri proximo extremè indigenti; & hoc etiam si ex culpa gubernantis ta'is causa, seù malum acciderit, quia obligatio illa subueniendi respicit statum pręsentem, quem patitur persona, vel Respub. non causam, ex qua processit. Tenebitur tamèn ille, qui suo regimine, aùt actione fuit causa talis damni, prius ex suo, si possit resarcire, & causam illam talis mali tollere, si possit, quam aliuum facultatibus suum periculum arcere. Quomodo autem debet constare de tali necessitate, vt ei subuenire teneamur in conscientia dixi sup.

Quintò loco inspiciendum est damnum, seù effectus, qui ex aliqua parte sequi possunt. Hoc enim est, quod maximè nos formare docet practicum, & prudentiale dictamen, quia videmus plures opiniones disputatiuè suas probabilitates habere; tamen ob plures malos effectus indè sequutos, non est tutum consuli. sicut ex eo possit modo eodē simul fieri cōtractus societatis, & assecurationis fieri circa aliquam pecuniam nihil improbabilitatis in specu'atione, & disputatione inferri videtur, tamen ipsa experientia, & vsu comprobamus, ex hoc consequi multas palliatas vsuras, imò nihil iā inueniri tam vsurarium, quod nō possit ratione pretensi luri cessantis, & assecurationis dandę, iustificari. Vndè factum est, quod ferè omnes in pecunia, & negotiatione plus confidant, quam in labore, & fructibus terræ, vt omnia repleantur fraudibus, negotiationibus, otiositate.

Quartò id formando dictamine conscientiæ multum oportet respicere ad effectus, & damna sequuta, & semper ex duobus malis, minùs est eligendum, quod intelligitur in damnis ma'is, seu pœnis, sicùt in his quæ eligenda sunt à Rege, Iudice, medico, Aduocato, & alijs similibus, qui de aliquibus malis, aut damnis iudicant. In malis autèm Culpæ, nullum est eligendum, si verè culpa est, & offesa Dei; ità quod clarè constet vtrūque esse malum Culpæ, nam si sit dubius de ipsa Culpa, potest deponi facta sufficienti diligentia, quæ tollit dubium practicum. & tunc iam non est malum. & similiter si vna Culpa sit diminutiua alterius, potest minor consuli, non vt culpa, sed vt impeditiua alterius, vt si volenti Homicidium, consulam mutilitationem, ne fiat homicidium. Qui tamèn eligit, de facto facit minorem culpam, peccat, & malum facit, quia non diuertit, à maiori malo, vt consulens, sed purè exequitur offensam Dei. Hæc autèm semper est voluntaria, & voluntatem auersam reddit à bono, quod nūquam est eligendum: licèt verum sit, quod aliquandò id in aliqua circumstantia temporis est peccatum, sine tali circumstantia, aut ratione alicuius necessitatis vrgentis, peccatum non est, & tunc est eligibile, non vt minùs malū, sed vt non malum.

DVBIVM IV.

Quid requiratur ad formandam probabilitatem Opinionis ex principijs extrinsecis, seù Authoritate Doctorum.

Circa principia extrinseca scil. Auctoritatem Doctorum, & vsum, seù Consuetudinem, oportet attendere, quod non quælibet Authoritas potest probabilitatem fundare in re morali. Cum enim ea, quę moralia sunt, dependent tam à scientia, & pondere rationum, quàm à prudentia, quæ rursus pendet à recta Intentione, & pietate vitę, intantum aliqua Authoritas facit probabilitatem moralem, & practicam, in quantum supponitur in illis Authoribus inueniri sapientiam fundatam, & prudentiam, seù vitam approbatam. Et ideò oportet distinguere de Authoribus facientibus probabilitatem moralem, quod illi, vel sunt antiqui vel moderni, & pauci temporis. Si sunt antiqui videndum est, an in suis opinionibus habuerint sequelā, an fuerint opiniones antiquatę & relictæ. Si enim opinio illa fuit relicta, licet fuit alicuius, antiqui, vel antiquorum, non habet pondus, nec in vi authoritatis facit fundamentū. Si autèm est opinio antiqua, seù Antiquorum Authorum, & comprobationem habet, quia sequelam habet inter cordatos fideles, & prudentes, iudicanda est Authoritas probabilis, quia tunc nō solùm concurrit personalis authoritas alicuius doctoris, sed multorum, & multi temporis comprobatio, quę æquiualet multorum iudicio, & consuetudini.

Et dixi inter *cordatos, & fideles*, nam si multi sequuntur aliquam opinionem, sed non cordati, aut fideles, nihil Authoritatis præbet multitudo nam potius stultorum Infinitus est numerus. Inter prudentes verò antiquitas facit Authoritatem, quia in antiquis semper præsumitur sapientia, iuxta illud Iob 1. 2. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*; Et communiter, quæ traduntur ab Antiquioribus præsumuntur tradita à Patribus, iuxta illud Ecclesiast. 8. *Non prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis*. Et ideò Authores antiqui, qui in aliqua graui familia sequelam, & opinionem habuerunt, vel ex hoc magnam authoritatē, & probabilitatē sibi cōciliāt, vt D. Th. Scotus, Bacchonus, & similes. Quod si accedat Vite San-

Sanctitas, & approbatio Ecclesiæ, indè in re morali magna probabilitas Authoritatis fundatur, quia qui sic docuerunt, sic etiam fecisse præsumũtur, quia proprium est Sanctorum facere, & docere. Si autem, sic fecerunt, & Sancti fuerunt, & vt tales approbati sunt ab Ecclesia, etiam eorum facta approbationem habent, & à prudentiæ Virtute, aut Lumine superiori processisse iudicandum est, præsertim in actionibus imitabilibus, & non extraordinarijs. Vnde etiam tales imitari possumus, vt potè prudenter, & rectè factas.

Si verò probabilitas Authoritatis sumatur solùm ex Auctoribus Recentioribus, aùt qui actu viuunt, & eorum petitur Consilium, dubium esse potest, quid debeat concurrere, vt eorum Authoritas probabilitatem faciat. Et dico, quod per se loquendo sola personæ Authoritas non facit probabilitatem practicã, sed oportet adiungere fundamenta rationum, ita quod constet non leui fundamento duci, & aliàs etiam constet pollere hominem illum maturo iudicio, & consilio, & Ingenij acumine, ita vt præsumptio fundatam sit de illo, quod non leuiter, & superficialitèr res serias tractat, sed cum fundamento, & pondere. Si autem illę conditiones concurrant potest ex tali authoritate probabile iudicium practicum formari, siuè plures sint Authores, qui illam opinionem doceant, siuè vnus tantùm, licèt quando plures concurrunt, vt duo, vel tres habentes tales conditiones, securior reddatur illa probabilitas. De hoc videri potest Montesin. *hic disp. 29. q. 5. §. 6. num. 247. & sequuntur* Vasquez *hic, disp. 62. cap. decimo, & alij.*

Ducor verò in hac parte primò ex definitione rei probabilis; seù opinionis probabilis, dicitur enim esse id, quod apparet omnibus, aut pluribus, aut etiam paucioribus, & maximè versatis in illa scientia. Si ergò probabilitas in hac apparet quod vt aliquid sit probabile, fundamentum eius tale sit, quod de se sufficiat omnibus aut pluribus apparere. Si autèm apparet paucis, oportet, quod maximè versati sint in tali scientia. Maximè autem versatis non apparet aliquid tale, nisi ob profunditatem rationum, & sic si authoritas pauciorum, idest, Recentiorum, qui sunt pauci temporis probabilem reddit aliquam sententiam, ideò est, quia supponuntur illi pauci esse maximè versati in tali scientia, atquè adeò magno fundamento duci. Tum etiam, quia vel isti doctores, aut doctor recentior, qui sic modo sentit, habent fundamentum in authoritate Doctorũ Antiquorum, non antiquata, & relicta, sed probata, & currenti, aut non. Si habent, iam talis probabilitas non est fundata in Authoritate solum Recentiorum, sed Antiquorum, pertinetque ad priorem classem, non ad hanc de qua loquimur in pręsẽti. Si non habent, sed modo in ipsis incipit talis opinio, vel intelligentia, cum sint singulares, oportet, quod fundamenta gratia habent, ne temeritatis, aut leuitatis notam incurrant.

Quod si fundamenta, & pondera rationum in his Recentioribus debent facere probabilitatem, parum interest, quod sint plures, vel vnus tantũ, quia non ex personis æstimanda est fides, & ratio, sed ex fide personę. Vndè etiam vnus vir doctus potest facere probabilem sententiam, si rationum momenta debent ponderari, & illa sunt ad id sufficientia. Nam & plerumquè in antiquis hoc modo opiniones probabiles ab vno, vel alio insigni doctore introductæ sunt, quę postmodum magnã Authoritatem meruerunt. Licèt verum sit, quod vt illa fundamenta, & rationes, robur habeant, & iudicium prudens forment, non sufficit ab vno tantum proferri, sed requiritur discussio, & examen multorum, quia in re morali plurium conuenientia cum examine, & discussione rationum magnum pondus facit. Solet tamen communiter dici ad exaggerandum eminentem scientiam alicuius, quod ille potest facere opinionem, quia prę-supponitur tal s esse scientię, & ingenij, quod potest fundamenta probabilitatis tradere, non siné illis probabilitates facere. Nec iudicandam est temerarium, quod vnus singularis id sequatur, quia temerarium non est, quod graui fundamento dicitur, sed quod leuitèr, & sine pondere rationũ ab vno, vel paucis contrà reliquos introducitur.

Additur 3. quod plerumque homines placere desiderant alijs, a quibus consuluntur, cum sint multi magistri prurientes auribus; *Coaceruabunt*, (inquit) *magistros prurientes auribus*. Vbi ly, *Coaceruabunt*, multitudinem opinantium insinuat, qui placere desiderant, presertim si sint Principes, aut Magnates, hi qui consulunt, & multò magis si non cum indifferentia, sed cum aliqua suæ voluntatis explicatione, vel insinuatione consulunt, desiderantes pro suo intento inuenire Theologorũ opiniones, & sententias. Vnde plerumquè ista probabilitas opinionum secura non est, licet plurium placita, & consulta super his reperiantur, & aliàs sint viri docti, & litterati, qui id dicunt, sicut fuerunt quadringenti Prophetæ qui Achab, & Iosaphat prenunciabant fælicem successum Belli, & tamen decipiebantur a spiritu nequam, vt dicitur 3. Regum 22. Vndè & modò etiam multi, qui Prophetę, & docti videntur, facilè decipiuntur, & decipiunt Principes, & ideò, vt quis possit probabile iudicium ferre, in eformanda conscientia ex Authoritate eorum, quos cõsulunt, oportet, vt non solum sit vir doctus, & litteratus sed & timoratus, & sine respectu particulari tradat Consilium, sed cùm indifferentia.

Vndè, & Principes, vt securi sint in Consilijs, & consultationibus debent obseruare duo; alterum ex parte sua, vt interrogent cum indifferentia, & non præmittendo, & insinuando intentum suũ, & partem, quam volunt iustificari; alterum ex parte consulentium, quod attendant rationes eorum, & fundamenta, eaque ponderent, quia in his nõ potest esse deceptio, quia, qui iuxta pondera, & momenta rationum procedit, per intrinseca principia procedit, non per extrinseca, nec sola Authoritate eius, quem consulit, ducitur. Quod si Authoritate ducatur, illa sit ex Classicis, & antiquis Authoribus, apud quos rationes, & fundamenta sufficientia dari præsumitur, & sic istæ antiquorum Authoritates inter fundamenta opinionis probabilis reputantur.

DVBIVM V.

An possit formari cõscientia probabilis ex Reuelationibus particularibus, quæ sibi, vel alijs fiũt.

RESpond. quod reuelationes istæ particulares, quandiù ab Ecclesia non approbantur, vel interiorem aliquam certitudinem imprimunt, non obligant nos illas credere, licèt spernendæ non sint, sed regulandæ penès ea, quę continent, & dicunt. Et quidem si ea, quæ talibus reuelationibus manifestantur in se bona sint, & iuxta regulas

gulas fidei, & bonorum morum congruentia, vtique secundùm illas formari potest conscientia, nō ratione talium reuelationum, sed ratione rerum reuelatarum, quia in se bonæ sunt. Si autèm reuelationes istę contineant aliquod extraordinariū, vel promissionem aliquam, aut cominationem in futurum, aut etiam aliquid dispensatiuum à præceptis, illisuè contrarium, non sunt credendæ priuato spiritu, sed Ecclesiæ remittendæ, nec iuxtà illas formanda est conscientia, sed iuxta legem Dei, & Ecclesię mandata. Et in vniuersum non est illis danda Authoritas, aut specialis credulitas ex nostro priuato sensu, cum presertim sæpiùs loquantur in sensu obscuro, aut æquiuocè, nec obligandam, vt illis credamus ex nudo dicto eorum, qui prophetant, aut sibi dicunt factas esse reuelationes, sed obseruandū est statutū. *Cap. cum ex iniuncto, de hæreticis*, vt nullus credatur specialitèr à Deo missus, nisi aut miraculo, aut euidenti scripturæ Testimonio id probauerit. Si tamèn res, quas continet talis specialis reuelatio in se bonę sint, benè possunt sequi ratione sui, non ratione reuelationis.

Diximùs autem supra, quod perse loquendo sola personæ Authoritas non facit probabile iudicium practicum: nam per accidens pro aliquo casu, & in defectu aliorum, cum quibus consuli potest, benè potest ex vnius Authoritate formari iudicium prudens, quia scilicet in consulendo illo facit quis totum, quod potest, nec pro tunc inuenit alium, cum quo conferat. Et hac ratione illiteratus sępè excusatur, & format sufficiens iudicium, & dictamen practicum ex consultatione vnius viri docti, quia ipse non potest de re illa per se ipsum iudicare, & alias non habet alios, cū quibus consulat, pręsertim si videat talem virum doctum operari iuxtà talem opinionem, & alias esse timoratum, nec enim præsumere debet, quod talis illicitè agat. Nunquam tamen est tutum, neque consulendum, quod illiterati ex libris Authorum velint suam conscientiam componere, & formare dictamen, quia communitèr non intelligunt, nec discutiunt id, quod legunt, & sic falluntur, sed debent consulere viros doctos, & timoratos, & vnusquisquè consulatur in facultate, quam profitetur, & si negotium fuerit maius difficultatis, plures, & Peritiores consuli debent iuxtà qualitatem materiæ, quia in re moralium concordia plurium magnam vim habet ad formandum prudens iudicium.

Petes. *Quid sit maioris ponderis, & momenti ad fundandam opinionem probabilem, fundamēta intrinseca, hoc est rationes; vel fundamenta extrinseca, Idest Auctoritates Doctorum.*

Dico primò, absolutè, & simpliciter, & attenta natura rerum, pręstantior est fundamentum intrinsecum rationum, quam extrinsecum Auctorum, atquè adeò ex rationum efficacia pręcipuè desumitur maior opinionum probabilitas, de qua videatur Ouiedo *tract. 5. con. 3. num. 11.* & Ioann. de S. Thomam *p. 2. q. 18. disp. 12. a. 3. §. si vero probabilitas.* Probatur primò, quia in hoc differt fides ab opinione, quod fides licet præsupponat rei possibilitatem, seù credulitatem, innititur testimonio dicentis; è contrà opinio, licèt pręsupponat opinantem, sed pręcipuè innititur fundamento opinandi. Secundò, quia dato quod opinio supponat Authoritatem Peritorum, non tamen ex ea parte, qua eis credit, vt in fide, sed ex eā parte, quia supponit illos non sine graui rationum pondere in illam partem inclinare, fertur in rem opinatam.

Dico 2. regularitèr, & de facto magis solet conducere ad probabilitatem opinionis præcipuè in moralibus, Auctoritas Doctissimorum, & piorum hominum, quam rationes, quę pro illa offeruntur. Cuius causa est primò, quod nemo debet confidere plus de sua Capacitate, & Ingenio multorum grauissimorum virorum: credibile ergò est, & vnicuique modesto persuasum, quod illi viri ponderatis rationibus vtrisquè partis, cum maxima maturitate grauiores, & vrgentiores perpenderunt eas, quę erant pro sententia, quā loquuti sint, nequè enim omnes homines, ęquè penetrant rationum vires. Deindè rationis momentia ponderare paucorum est, longum exposcit tempus, sed Autoritas Peritorum, qui de illa opinionem, vel loquuntur, vel scripsere, omnibus est patens. Tertiò communis opinio omninò sequenda est nisi vbi manifestè apparet error vt latè probant ex iure Syluester *verbo, opinio, n. 2.* & Angelus *eodem verbo, num. 1.* & S. Thom. *prima secunda q. 5. art. 3. argumento 3. cum solutione, & in 4 dist. 49. q. 1. a. 1. q. 1. ad 1.* probat, nam quod ab omnibus dicitur, non potest totalitèr falsum esse: videtur enim naturale, quod in pluribus est; natura verò non totalitèr deficit. Et idem confirmant Syluester, & Ang. ibidem, ex eo quod communis opinio omninò vacat periculo, inducit enim communem errorem, qui etiam Iurisdictionem supplet, & plura nulla reualidat. Idque ètiam iuniores admittunt. Videatur Palao *de conscientia disp. 2. punt. 1. num. 11.* Ouiedo *tract. 5. cont. 3. num. 11.* Quod si non sit communis opinio, sed auctores diuidantur in varias sententias; tunc, vt docet Aristoteles lib. 1. Topic. cap. 1. probabilius ex hoc capite debet haberi, quod approbant ex illis sapientiores, & in rebus illis magis versati. Vndè circa Sacram Scripturam, & ea, quæ concernunt ius naturale, & diuinum, præstantior èst Auctoritas Theologi, quam iurisperiti, secùs circa ea, quæ sunt iuris humani, vt aduertunt Syluester verbo, opinio, antè finem, & Angelus *eodem* Verbo, *num. 1. in fine.* Azor *lib. 2. cap. 17. q. 3.* Corneio *de conscientia dub. 3. post initium.* Si autèm conferantur Auctores antiqui cum Iunioribus, nisi rationes iuniorum multum excedant, præponderat antiquiorum Canities, præcipuè cum expositi maiori tempore fuerint posteriorum examini, vt aduertunt Syluester, & Angelus *locis citatis,* & Corneio *de conscientia, disp. 3. num. 4.*

DVBIVM VI.

An sufficiat vnius solius Doctoris placitum ad constituendam opinionem probabilem contrà Communem opinionem, itaut sequi possit tuta Conscientia.

Dicendum tamèn est, quod vniuscuiusq; grauis Doctoris opinio, cæteris omnibus contraria, quantocunquè aliquibus non contemnendis rationibus muniatur, non efficiat opinionem probabilem, securam in conscientia, quousquè alij plures illi subscribant, vel saltem illam reputent verè probabilem, etiamsi illam non sequantur; Duppliciter enim possunt alij Doctores subscribere, primò eandem sententiam sequendo: secundò eam probabilem reputando, etiamsi illam non sequantur,

sequantur, & quocunquè ex his modis approbant eius probalitatem.

Probatur 1. hoc dictum Aristotelis authoritate *in primis lib. 1. Topic. cap. 1. & 4.* apertis verbis profert, non satis esse ad fundandam opinionem, quod ab vno, vel altero defendatur, sed à pluribus, & sapientioribus. Et addit sollicitum esse de quocunque opinante, vel contrario proferente, stultum esse. Circa quod est aduertendum, quod ibidem Arist. ait, quod si viri docti diuidantur, sequemur, quod magis docti, versati, & periti in illa censent. Vndè sequitur, quod cum soli probi, et iusti versati sint in moralibus, ideò, qui tales sunt vita, & moribus maiorem concilient sentētiæ morali probabilitatē, vt Sācti canonizati ab Ecclesia. Nam cum moralia non solùm dependeant à scientia, & pondere rationum, sed etiam à Prudentia, quæ etiam pendet à recta intentione, & pietate Vitæ, hinc in Opinionibus moralibus, isti maiorem mærentur Auctoritatem. Circa præcedens autem dictum videantur etiam Martinez *hic q. 19. art. 6. dub. 6. §.* Pro Intelligentia. Palao de Conscientia *disp. 2. puncto primo, num. 4.* vbi licèt concedat in raro casu, tamē moraliter, & regularitèr negat, vnius opinionem posse sequi contrà communem. Et Ioann. de Sancto Thoma 1. 2. *q. 18. disp. 12. art. 3. §. Si* verò, dicit, quod si seruentur Conditiones, quas ibi ponit, siuè sit vnus, siuè multi Auctores, efficere possunt Opinionem verè probabilem sed in sequentibus expresse postulat, quod ab alijs doctis, & pijs talis opinio probabilis reputetur. Hęc autem est nostra Conclusio

Secundo probatur. Sententia vnius contra omnium placitum, est temeraria, & pręsemtuosa ergò est Insufficiens, vt sit regula rectę conscientiæ, qualis est probabilis. Consequentia videtur perspicua, & Antecedens probatur. Nam dum Doctor aliquis suum placitum proponit omnium Doctorum placitis, præsumit se viuā illam rem plusquā omnes scire, suumquè placitum pręponendum esse sententiæ omnium, quòd absque dubio præsemptuosum est; cum potiùs deberet timere, ne Lumen, quod in se videt, tenebrę sint, & omnium Iudicium proprium submittere ex humilitate non omnibus præponere, idquè rectè colligit Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 286. & 289. ex cap: prudentia, de officio Delegati, & ex Capite de quibus, distinct. 20.*

Tertiò probatur; Nā Auctoritas vnius nō potest præponderare contra omnium aliorū Auctoritatē, vt ex se patet. Dices, rationes, quas ille adducit sunt maioris ponderis. At quis hoc debet iudicare. Certè non ipse, qui opinionem habet, placent enim filij propij etiam deformes, plusquam pulchri alieni. Dices: quod tu iudicas, & ad ipsum in te maxima arrogantia est, & superbia, quod te, & illius, & omnium alienum Iudicem constituas. At dices: multi viri docti sic sentiunt, quibus fidemdum est. Assentior, sed tunc iam non est singularis sententia illa vnius, sed illorum plurium, qui ratione efficaciæ rationū eius illam, vel sequuntur, vel probabilem confirmant. Quartò; nam opinio vel est Auctoris antiqui, vel moderni. Si antiqui videndum est, an in tali opinione habuerit sequelā, itaùt Auctores docti, & pij, vel sequuntur ipsam, vel eius opinionem probabilem reputant, & tales sentētiæ sunt magnę Auctoritatis. Primò quia in antiquis iam probatis pręsumitur sapientia, & longitudo temporis, in quo reprobati non sunt, id testificatur secundum illud Iob. 12. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Secundò, quia quæ tradunt antiqui, pręsumuntur accepta à Patribus iuxta illud Ecclesi. 8. 11. *Non te prætereat narratio seniorum. ipsi enim dedicerunt à Patribus suis.* Si autem opinio antiquorum Doctorum non habet sequelam, sed derelicta est à posterioribus, qui nec sequuntur illam, nec probabilem reputant, signum est, illam non esse rectè fundatam, nec esse probabilem. Si verò opinio sit Auctoris Recentioris, tunc locum habent rationes factæ, & præcipuè, quod restat experienda Auctoritas sequentium, an approbet, vel vt improbabilem reijciat talem sententiam.

Opposita sententia est Affirmatiua, in qua re multi affirmant, vnius viri docti placitum, etiam communi opinioni contrarium, præcipuè si congruenti ratione moueatur, sufficere ad constituendam probabilem opinionem, itaùt illa conscientia rectè, & securè operetur. Probatur primò hęc sententia Auctoritate, plures enim pro ea referuntur, Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 289. Syluester verbo, opinio, quest. 1.* Angelus *ibi §. 1.* Valentia *q. 14. puncto 80. §. Quommodo autem.* Vasquez *hic disp. 62. cap. 4. num. 12.* & plures alij.

Respondetur ad hoc Argumentum dicendo, quod Iuniores citant pro suis sentijs plures Auctores, qui minimè eas profitentur, immò aliquādò contrarias, & sic contingit in Auctoribus in argumento adductis, Quod vt exemplo ad alia discamus, ex citatis a Iunioribus pro contraria sententia, quos nouissimè adducit Ouiedo *tract. 1. controuers. 3. num. 3.* qui protestatur in prologo neminem citaturum, quem non vidit. Nauarrus in eo loco solum dicit, quod qui sequitur consilium viri idonei in scientia, & conscientia rectè operatur, præcipuè cum loquatur ibi de scrupuloso, qui deponit conscientiam iudicia sapientis; is enim rectè facit, vt dicemus infra; sed de opinione vnius contraria communi omninò nō loquitur. Solum addit num. 5. quenti communem sententiam non esse metiendam ex solo nu n. Auctorum, sed ex qualitate, vndè quam tenent octo, vel decem graues Auctores, communis debet reputari. Syluester, & Angelus solum dicūt, Discipulum excusari à peccato, sequendo magistri sententiam, dum, aliàs non constat illis aliquod in contrarium, quod nos ad 4 concedimus. Deinde Vasquez, Laymam, & Thomas Sanchez, vt possit sequi vnius Doctoris opinio, ponunt traditam esse à viro docto, qui rationes pro vtraquè parte expenderit, & pro contraria sententia adductas, post illorum meditationem, rectè soluerit. Circa quod inquiro, quis debet iudicare, expendisse illum Doctorem vnicum omnes rationes, & contrarijs satisfecisse? An vnus Auctor vel plures? Si vnus, qui debet sequi illam sententiam, vtiquè debet esse apprimè doctus: & tunc ille est, qui fecit illam sententiam probabilem, & si alius debet sequi, idem debet iudicare, & tunc iam non erunt multi docti, qui assentiuntur illi. Deindè vndè constare poterit illi, alium omnes rationes expendisse, & contrarijs satisfecisse: & tādèm, quam facile vnius iudicium fallitur.

Dices: sint plures, qui hoc intelligunt. Benè, sed tunc iam non est opinio vnius, sed plurium, qui probabilem illam censent iuxtà nostram conclusionem, & sic iam erit probabilis. Deinde Granados

nados disp. 4. sect. 1. n. 18. & in simili Vuasquez disp. 62. n. 18. & Palao de conscientia, disput. 2. puncto 1. num. 3. ponunt, quod si Doctrina vnius Doctoris est circa materiam, quę ab alijs agitata non sit, tunc multò magis potest sequi, cum non habeat Auctores contrarium opinantes, & si se offerat ratio contra illam, vel soluatur ab ipso, perpendat, vel pro solutione accedat ad Auctorē opinionis, quiā fortasse illam non perpendit, cum materiam sit nona: sed in primis iste casus est Metaphysicus, non moralis. Quę enim materia esse potest, quę hucusquè à nullo tractata sit? secundò, dato id sit, illa opinio non est contra omnes, & sic non est Casus, de quo disputamus. Tertiò vt illa opinio sequi possit, restat, quod ab Auctore, vel alio soluatur aliqua difficultas, hucusque, solida, et si nō, sequenda nō est. Deinde Adrianus quodlibet dicto a. 1. §. ex hoc patet, Corduba lib. 2. q. 3. in solutione ad primū contra primam propositionem, contendunt, vnius opinionē posse sequi in his, quæ sunt iuris humani, non ni in eis, quæ pertinent ad diuinum, cum reuera non sit maior ratio de vno, quàm de alio. Et tādem alij limitant, vt non faciat opinio vnius contra alios communiter, quando eam protulit occasionaliter, vt in exemplum doctrinæ, vel repentè interrogatus, vel in defensionem alicuius causę, & sic alijs modis, quibus sententiam reddunt irreducibilem ad practicam, quod signum est incertitudinis eius. solum: ergo Ioannem Sanchez, & nescio si quem alium vidi, absolutè contrariam sequentem sententiam, cęteri adeò incertè loquūtur, & conditiones multiplicant, vt signum dent incertitudinis, cum qua loquuntur.

Arg. 2. nam vt dicit Glossa in cap. ad nostram, de consuetudnibus, verbo incipientibus. Interdum reuelatur minori, quod maior nescit. Quod corroboratur ex capite, si habes 24. quest. 3. quod est S. Aug. & ex cap. esto subiectus, distinct. 95. quod est Sancti Hieronymi. Et Iustinianus Imperator in leg. 1. versu, neque ex multitudine, de veteri iure enucleando, sic scribit: sed nequè ex multitudine Auctorum, quod melius, & ęquius est iudicatote: cum possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua parte superare.

Resp. posse cōtingere interdū, quod vni, & minori reueletur aliqua veritas quā alij attiger ūt, & hoc docēt loca adducta: sed an de facto sic cōtingat in eo, qui nouā contra cōmunem euulgat opinionē, est valdè dubitabile, nec id leui fundamēto astruendū est. Erit igitur fundamentū consonū, quod plures viri docti, & integerrimi, vel adhereant eidē sententiæ, vel saltem eius rationibus perpēsis iudicent illam probabilem, vt vidimus sup.

Arg. 3. Nam sic introductæ sunt apud Theologos plures sententiæ apud Patres, & antiquiores incognitę, quod vnus Doctor, nempè Durandus, Scotus, Gabriel, vel similes incepit sic contra omnes opinari; fas ergò erit, quod nunc etiam contra omnes rationi alicui innixus incipiat doctor opinari, & posteà quam ab alijs fuerit sequutus, fiet opinio communis. sic enim quotidiè creuit Lumen Ecclesię.

Resp. neg. quod ab vno solo contra communem fuerit sententię communiter currentes introductæ; sed cum Doctus circa communem opinionem cæpit dubitare, & speculari, id ipsum videns apud alios in dubio esse, cum non solum proprio iudicio, sed etiā aliorū, vel disputatione vel communicatione compertum fuit, id quidam debito fūdamento dubitari, & posse in contrarium opinari re posita, si communiter non est admissa, vt probabilis, nunquam gradum illū adepta est vt opinio illa, quę ponit singulis diebus festis teneri homines eliciendos actus contritionis, & Amoris Dei. & Imaginatio illa Martini de Magistris, quod cogitatio turpis sine Animo adimplendi, non esse peccatum. Quod si ab hominibus doctis recensitæ sunt probabiles, probabiles remanent, & idem dicendū est de his opinionibus, quę quotidie pullulant, quod nō sunt verè probabiles in praxi, quousquè ab alijs uiris doctis probabiles iudicentur.

Arg. quartò nam si doctor, vel magister verbo docet, aliquam sententiam esse probabilem, & tutam, eius discipulus, siuè, qui eum consulit, potest sequi eius doctrinam, ergò idem poterit facere, qui eam legit in libro excuso; nō enim ibi habet minorē Auctoritatem, & sic erit opinio probabilis, tuta in conscientia vnius opinio, etiam si sit contra communem. Consequentiæ videntur bonæ, & Antecedens tenent Panormitanus in cap. Capellanus de ferijs. Imola cap. per tuas, & 2. de simonia. Nauarrus consilio 2. de penitentijs, & remissionibus. & ratione probatur, nam aliàs cōsulens virum doctum, & probum, non maneret securus, sequens eius consilium, sed deberet plures consulere, vt videat si plures tenent eam sententiam.

Resp. quod Discipulus, & Ignorans ipsa ratione dictante debet instrui ab Homine pio, & docto, atquè adeò eius Iudicio se conformando, dum nil habet in contrarium, rectè operatur. Quod si ille exponeret sententiam communem esse in contrarium, & ipsum contra omnes tenere, nec tutum esse illum sequi, non rectè sequeretur. Si autèm absolutè dicat, suam singularem sententiam, non peccant sequendo, sicùt neque peccarent, sequendo sententiam improbabilem, vel apertè falsam, vt si eos falleret. sed tunc ipse peccaret, & non ideò esset probabilis illa sententia, sic cum proponit sententiam singularem contra omnes, quæ adhuc probabilis non est, ipse malè consulit, & peccat, sed non indè facit suam sententiam probabilem.

Arg. 5. Thomas Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 18. num. 7. nam opinio particularis Doctoris probabili ratione nixa preferenda est opinioni multorum. si sit in fauorem causæ pię, vt valoris matrimonij, vt docent Hostiensis, Abbas, Felinus, Decius, quos refert, & sequitur Mascardus de probationibus, conclus. 1143. nu. 12. Resp. quod Auctores in illo citati supponunt, vnius opinionē esse verè probabilem quia vt talis ab alijs, vel pluribus reputatur. Opinio verò probabilis pro causa pia anteponenda est opinioni probabiliori contra talem causam, vt dicemus inf.

Petes. Vndè desumatur excessus Probabilitatis in Conscientia probabiliori, & probabilissima.

Dico primò. Maior, vel maxima probabilitas vnius sententię supra aliam desumitur ex fundamentis opinionis, quę sunt duo vt diximus sup. scilicet rationes & Auctores, non precisè ex numero, sed ex maiori efficacia, seù fundamento rationum, licèt cæteris paribus præstet, quod sint plures. Commune debet esse hoc dictum apud omnes, & ratione conuincitur: Vnaquęque res, quanto magis participat id, ratione cuius est talis tantò magis est talis, vt calidus, quia à Calore est calidum, quantò magis participat Calorem, est

calidum, & sic in alijs. Quod alijs terminis dici solet apud scholasticos; sicùt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. sed opinio est vera opinio, & probabilis, ex fundamentis nempè ex rationibus, & Auctoribus, vt constitutum est; ergò quò magis participat de his fundamentis, eo erit probabilior, vel probabilissima.

Quod posset hic indubium verti est; A quo ex his fundamentis principalius desumatur probabilitas alicuius opinionis. Ad quo I satisfacimus ex dictis supra. solum addimus, quod cum opinio vtrumque requirat, & Auctores, & Rationes, ex vtroque desumi debet maior probabilitas, quod si vna excedit in rationum numero, & efficacia; alia in numero, & Doctorum Auctoritate, isti excessus ad inuicem conferuntur, & prudentium arbitrio, quod ex vna parte deficit, ex alia compensetur, & ponderetur; quę omnibus pensatis aliam excedat, & quantum. Deindè quantùm ad Doctores iam dictum est, quod communis est anteponenda, & si diuidantur, licet non debet attendi præcisè ad numerum, sed etiam ad qualitatem, tamen regularitèr, & per se loquendo anteponenda est sententia plurimum, vt docent post Aristotilem *lib. 1. Topic. cap. 1.* Martinez *hic art. 6. dub. 6. §. pro Intelligentia*, & Palao *de conscientia disp. 2. puncto 1. n. 8.* Ouiedo *tract. 5. controuers. 3. nu. 11.*

DVBIVM VII.

Quomodo possint contrariæ opiniones esse probabiles.

Dvbium est in hac parte propter ipsam contrarietatem Assensuum. Nam qui dicit hãc opinionem esse probabilem iudicat, rem illam ita esse, & posse sequi. Iudicando autem oppositam sententiam probabilem, etiam iudicat illam esse veram, & posse sequi; ergò habet duos assensus contrarios in Intellectu, iudicando hoc esse verum atque adeò primum esse falsum, quia si oppositũ est verum, ipsum redditur falsum si dicas, posse intellectum iudicare hoc esse verum, & falsum procedendo ex diuersis principijs, ità quod iudicet hanc opinionem esse probabilem, & veram ex principijs intrinsecis, oppositam etiam esse probabilem, & veram principijs extrinsecis, vel ex alijs fundamentis. Contra est, quia non potest aliquis etiam ex diuersis fundamentis, & principijs assentiri duabus contradictorijs, & negare in vno assensu id, quod in altero affirmat, sic enim in multis casibus possent duæ contradictoriæ iudicari veræ, quod tamen impossibile est, quia quidquid vna affirmat, altera negat, nec potest intelligi, quod Petrus sit Albus, & non albus simul ex diuersis principijs;

Si autem dicatur, quod non possunt dari duo assensus contrarij circa veritatem rei, benè tamen circa probabilitatem, quia probabile non est idem, quod verum, sed quod apparet verum. Potest autem esse apparentia, quod hoc sit verum, & esse apparentia, quod non est verum,

Contra est, quia licet probabilitas sit apparentia veri, tamen, dum stat Iudicium, & assensus pro ista parte iudicat de facto illud esse verum ex vitalis apparentię, quia iudicaret falsum esse, non existimaret illud probabile, sicùt nec credibile nec enim falsum cognitum, vt falsum potest accipit, vt probabile, vel credibile, debet ergò cognosci, & iudicari, vt verum, ergò stante hoc iudicio probabili, quod hoc est verum; non potest stare alterũ iudicium quod oppositum seù cõtradictorium eius etiam est verum, & sic non possũt esse simul duo assensus probabiles oppositi circa idem. Confir., quia probabile practicè non est de ipsa veritate rei, sed de conuenientia, quę potest sequi hic, & nunc. Hoc autem est absolutũ iudicium, quia est determinatum, & efficax imperium, quo iudicatur hoc determinatè, & absolutè esse faciendum. Ergò si opposita sententia est etiam probabilis practicè datur aliud absolutum iudicium, quod hoc non est conueniens hic, & nunc; ergò non possunt duæ sententiæ oppositæ circa idem esse probabiles practicè, & prudentialitèr,

Resp. non repugnare, circa idem formari diuersas, & oppositas sententias probabiles etiam practice, quia neutra affirmat, aut negat absolutè veritatem, sed solum probabilitèr, aut fallibilitèr. Vndè iudicium, quod affirmat hoc esse verum probabiliter non contradicit, nec repugnat iudicio neganti illud etiam probabiliter: sicut in modalibus dici solet, quod non sunt contradictoriæ propositiones quæ fiunt cum modo, contingenter, vt Petrus contingentèr disputat, Petrus contingenter non disputat, eo quod ly, contingenter, includit esse, & non esse secundùm possibilitatem; sic ergo qui habet iudicium probabile circa aliquam veritatem, vel fert absolutũ iudicium, licèt ex motiuis probabilibus deductum, vel non absolutum, sed cum quadam restrictione, quam ipsa probabilitas postulat, dicẽdo scilicet, Hoc videtur verum, non autem absolute affirmando, Hoc est verum. si absolutè pronuntiat, dicendo, hoc est verum, non potest oppositum iudicium formare, scilicèt hoc, non est verum, vel hoc est falsum, nam esse, & non esse sunt contradictoria. At verò videri verum, & videri non verum, seù apparet hoc esse verum, & apparere oppositum esse verum, non sunt contradictoria, quia apparere, & apparere non dicunt affirmationem, & negationem formaliter, sed vtrumque est positiuum, licèt obiectiuè circa affirmationem, & negationem, seù circa verum, & non verum versentur. Nequè enim repugnat, quod detur apparentia veritatis circa aliquid, & circa suum oppositum.

Vnde cum inter duas probabiles opiniones oppositas non negetur veritas vnius absolutè, & simpliciter, sed formatur Iudicium sub quadam apparentia Veritatis, hinc fit, quod assensus probabiles oppositi non sunt oppositi & repugnantes formaliter, & absolutè sed obiectiuè, quia formaliter non affirmat vnus, quod negat alterum, sed dicit apparere, seu probari verũ, & etiam oppositũ apparere, seu probari verum, aut apparenter vtrumque esse verum, non tamen absolutè esse, vbi obiectum illorum assensuum est hoc, esse licitum v. g. hoc non esse licitum, quę sunt opposita; formalitas verò est apparere vnum, & apparere alterum, non vtrumque esse; & non esse.

Et ad 2. Replic., quę instat contra hanc solutionem; Resp. quod assensus probabilis iudicat de facto hoc esse verum, non absolutè, & quoad esse, vel non esse in re, sed quoad apparentiam, & probationem, idest in ratione probabilis. Quod autem solum apparenter, seu probatiuè, aut probabiliter est verum, dat locum alteri parti,

quia

quia inuoluit aliquam formidinem de illa proptèr incertitudinem, qua assentitur, & ideò ipsemet assensus probabilis ex sua natura sic importat affirmationem de vno ratione apparentiæ, quod dat locum apparentiæ etiam, & probationi partis contrariæ, & ideò etiam stante iudicio de vna parte quod vera sit non absolutè, & in esse, sed probabilitèr, & in apparere, stat etiam iudicium de opposita parte quod vera sit non absolutè, & in esse, sed probabiliter, & in apparere.

Ad Confir. Resp. quod etiam de ipsa conscientia practica hic, & nunc non sit absolutum iudicium, aùt consilium, cum exclusione præcisa oppositi, sed sit iudicium de conuenientia sub ratione probabili tantùm, ita quod etiam oppositum apparet conueniens probabiliter: & idem est de cōsilio, quo ità consiliamur hoc, vt probabile, quod etiam oppositum probabile, & apparens iudicatur. Et hoc iudicium, & consilium ad partem practicam pertinet, vt directiuam, quia directio fit per consilium, & iudicium. Cæterum de conueniēta practica, vt pertinet ad imperium, & ordinem executiuum fatemur dari absolutum, & determinatum iudicium hic, & nunc, vt hoc fiat, & non suum oppositum. Et ita negamus dari posse in hoc sensu duo iudicia opposita, & contradictoria per modum imperij practici, itaùt efficaciter aliquis velit hoc facere, & oppositum. Sed probabilitas sententiarum, non attenditur penes imperium, quod pertinet ad dictamen executiuum, sed penès dictamen directiuum in ratione iudicij, & consilij, quod etiam practicum est consiliare, & directiuè, non executiue.

Dices: ergò poterit dari Bellū iustum ex vtraque parte; nam poterit esse duplex opinio contradictoria practicè, & securè probabilis, & super illas fundari poterit bellum, & sic ex vtraque parte erit iustum: quia ex vtraque parte est probabile practice, illudquè efficaciter poterit imperari non ab vno, & eodem, sed à diuersis.

Resp. non posse dari bellum iustum ex vtraque parte in re, & per se loquendo, benè tamen per accidens, & supposita aliqua ignorantiam, atquè adeò quoad apparentiam, & probabilitatem non repugnat vtramque partem Belli apparere iustam, & iuxtà hanc apparentiam, quæ habet adiunctam aliquam ignorantia, quatenùs non sinit cognosci, quid in re sit, non repugnat operari vtramquè partem iustè per accidens. Per se tamen, & nulla interueniente ignorantia, id esse non potest.

Ex qua resolutione Colliges, quomodo licitum sit ex duabus opinionibus probabilibus, alteram eligere, & sequi, imò, & minùs probabilem, dummodo practicè probabilis sit (hæc enim semper est tuta) & quid sit quod determinat intellectum ad eligendum hanc sentiam præ alia, si ęquè probabiles sint. Declaratur hoc. Nam vt supra dix. & firmauimus ex D. Thom. *quodlib. 8. art. 13.* quęcunquè opinio probabilis, si practicè probabilis sit, potest prudentiale dictamen generare, quia illa est probabilitas practica, quæ temeritate caret, & imprudenter nō procedit, siquidem habet fundamenta rationabilia, & cum sufficienti ratione, & apparentia; ergo generare potest prudentiale dictamen: omne autem prudentiale dictamē est regulatiuum actus boni, & virtuosi, quià prudentia est, quæ præscribit medium virtutibus: ergò actus ortus ex dictamine prudentiali bonus est. ergò quæcunquè probabilis opinio, etiam si minùs probabilis sit, aut ęquè, si probabilitatē practicam, idest prudentialem faciat, licitè sequi potest; ergò, & tutè, quia sine peccato.

Vndè vlteriùs Collig. omnem opinionem practicè probabilem, esse etiam tutam, si autem practicè probabilis non sit, nequè etiam tutam esse, estò speculatiuè sit probabilis, & considerando illā secundùm se, & nō attendendo ad circumstantias hic, & nunc occurentes, istę enim sub disputatione, & speculatione communitèr non veniunt. Constat hoc, quia omne, quod est licitum, est tutum in conscientia, & è contra. Illud autem est licitum, quod regulatur per Prudentiam, quę est regula omnis actus boni, & virtuosi. ergò omne illud erit tutum, quod regulatur per opinionem practicè probabilem, quia illud est probabile practicè, quod est prudentiale, & hoc sinè sit magis, vel minùs, vel æquè probabile, dummodo verè probabile, & prudentiale sit; sicut enim potest aliquid esse magis, vel minus prudens, nec oportet semper sequi quod prudentissimum est, ità potest esse magis, vel minùs probabile practicè, nec oportet sequi, quod probabilissimum est.

E contra verò, non potest esse tutum, quod prudentiale non est, quia sine Prudentia non datur regula virtuosi, & boni actus, ergo vbi non est opinio probabilis practicè, seù prudens, non est tuta, quia non est prudentialis, licèt speculatiuè sit probabilis, aut defensibilis. Oportet enim iuxtà D. Thom. *supra* allegatum, quod quandò sunt contrariæ opiniones non inducitur aliquis in dubitationem ad hoc, vt operetur, non committendo se periculo. Quandò autem ex aliqua opinione ità aliquis operatur, quod componit prudentiale dictamen, non committit se periculo, nec in dubitationem practicam, seù prudentialē inducitur.

Quid autem sit, quod determinat iudicium inter duas opiniones æquè probabiles? Dico, quod potest esse, vel aliqua inclinatio, & affectus voluntatis erga vnam potiùs, quam erga aliam opinionem, vel aliqua maior vtilitas, aùt commoditas, aùt aliquid aliud simile, quod de nouo repræsentatur, & mouet intellectum, vt se determinet in iudicio practico, licèt extrinsecum sit tale motiuum. Nec est simile de eo, qui est dubius practicè, & de eo, qui habet sententias ęquè probabiles, quia qui est dubius practicè, ideo est, quia sufficiens fundamentum, & motiua non habet, vt formet prudens dictamen determinatè, & ideò fluctuat, & timidè se habet, & quasi in suspenso hæret, & ita si operatur, committit se periculo, vt S. Thom. dicit, vt potè operans cum dubitatione, & hesitatione practica prudentialitèr non cum regula certa prudentiali. At verò, qui habet opiniones probabiles, habet sufficientia motiua, vt ex quaslibet illarum formet dictamen prudens, & se possit determinare practicè modo prudenti. Vndè non est dubius practicè, quomodocunquè vtatur illis sententijs, potestquè ad se determinandū vti extrinsecis motiuis non addentibus, vel tollentibus probabilitatem practicam, sed tollentibus, & determinantibus indifferentiam ad vtendum potius ista, quam illa opinione intrà limites probabilitatis.



DVBIVM VIII.

An rectè diuidatur opinio probabilis in opinionem probabilem practicam tantum; In opinionem Probabilem speculatiuam tantum: & in opinionem probabilem, quæ simul sit Practica, & speculatiua.

Opinio probabilis viterius est triplex, vna, quæ est probabilis speculatiuè tantum, alia, quæ est probabilis practicè tantum, & alia quæ simul est probabilis practicè, & speculatiuè. Probabilis speculatiuè tantùm est, quæ in disputando, & cognoscendo præcisè suam habet probabilitaté, & hoc solùm ex possunt eius fundaméta, vndè eius probabilitas nõ se extẽdit ad hoc, quod reduci possit ad opus tuta conscientia. Probabilis practicè tantùm, est illa, quæ in dirigendo actionem hic, & nunc probabilitèr procedit, idest non temerè, sed prudenter, etiamsi in se considerata non habeat eandem probabilitatem, & sic fortè non sit probabilis ad cognoscendum, & disputandum, ex quo planè fit, quod illa sit opinio probabilis vtroque modo, in qua vtraque probabilitas repetitur. Quod vt exẽplis manifestetur, quod aliqua in nemore latens sit fera, multis signis, & argumentis potest fieri probabile speculatiuè, & tamen dum manifestè non constat esse feram, non potest illa sententia, seù opinio probabilis dirigere actionem sagittantis in venatione. Et sic quantum ad operandum practicè nõ est probabilis: peccaret omnis qui sub periculo occidendi hominem reduceret talem opinionem ad opus. Deindè, qui est in possessione alicuius rei, & dubitat æqualitèr pro vtraque parte, an sit sua, itaut nullus efformet opinionem, non habet speculatiuam opinionem, sed solùm practicam de hoc quod res illa verè est sua, & tamèn habet opinionem, & iudicium, iuxtà illam rectum, de hoc, quod de facto sit sua, nec tenetur restituere, nam si conscientia eius deberet informari iudicio speculatiuo, cum illud sit dubium, non iustè retineret, sed sequitur practicam, quod dictat rem illam sub omnibus conditionibus ad retinendum iustè esse suam. Et tandem hæc opinio, licitum est mutuanti exposcere damnum emergens, seù lucrum cessans, tam speculatiuè, quam practicè est probabilis, quæ diuisio eodem modo locum habet in dubio, potest enim esse dubium speculatiuum, & practicum, & cum dubio speculatiuo practica opinio probabilis, & è contra, & ideò promiscuè de his agemus.

Vt autèm prędicta manifestiora fiant, est aduertendum, quod cum iudicium speculatiuum solùm respiciat cognitionem rei in se, practicum verò non id, quod est in se, sed quod humano, & prudentiali modo possibile est, contingit sæpæ, quod probabilitèr & certò perueniamus ad id, quod diligentia humana potest, & quod prudentèr debet facere, & tamen ad id, quod est in re & secundùm se, non perueniat, nec certò, nec probabilitèr, quia ratio, præcipuè in rebus contingẽtibus, & humanis sæpè, non potest penetrare quid sit, vel non sit a parte rei, cum sæpè dubitemus, an consenserimus, nec ne, & similitèr coniux dubitat verò dubio speculatiuo, an iste sit eius vir, an suus vir absens sit, viuens, vel mortuus, & quilibet an talis possessio sit sua, nec ne. Et tamen cum hoc vero dubio de re secundùm se, & speculatiuo, huiusmodi sunt certi, de eo, quod circa id debent operari, quia etiam manente dubió speculatiuo de vallidítate matrimonij, tenetur hic, & nunc reddere debitum, & manente dubio de morte mariti, tenetur non nubere, & manente dubio de vero hærede possessionis, possidens retinet iustè. E contra verò, quod possit esse probabile iudicium speculatiuum de rebus agendis, & tamen non sit probabile iudicium practicum de eisdem, non minori claritate conuincitur, quia rebus sæpè secundùm se consideratis, & ex proprijs principijs, se offerunt rationes, quę vnam partem probabilem, vel probabiliorem ostendunt, ac licitam in conscientia; sed cum comparantur ad vsum, oppositum apparet, pluraquè inconuenientia monstrantur ab vsu, quam à discursu. Prudentia verò, quę dirigit actum practicum, maximè attendit ad experientiam, & circunstantias, quę occurrere possunt, a quibus quandoquè abstrahit speculatio. Et ità ex principijs sic abstractis iudicatur interdum probabile quod omnibus perpensis iudicio practico improbabile iudicatur. Dices: hoc non esse considerare rem speculatiuè, vel practicè, sed considerare, quid habeat actus ex sua natura, & quid ex circumstantijs; hoc secundùm verum est, & primùm est quęstio de nomine. Sed satis propriè, considerare, quid habeat actus ex natura sua, appellatur speculatio quia est abstractio, & considerare, quid habet ex exercitio, & circumstantijs esse practicè procedere: quia est operari, de qua re videatur Martinez 1. 2. *q 19. art. 6. dub. 5. in principio*, & Ioann de Sancto Thoma 1. 2. *circa quæst.* 19 *disp.* 2 *art.* 1. *§. & Ratio est manifesta*, Aluarez 1. 2. *disp.* 79 *§ in hac disp.* & Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 8 §. *Pro huius*, & Cornejo *tract.* 8. *disp.* 8 *dub.* 1. § *sed obijcies*.

Probatur primò diuisio Auctoritate; habent enim illam Caietanus *tom.* 1. *opusculorum. tract.* 51. *responsione* 131. *dub.* 7. Medina *in hac q.* 19. *art.* 6. *dub.* 8. §. *Pro huius rei*. Suarez *in* 3. *partem tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 2. §. *secundò Collig.* Vasquez. *disp* 65. *cap.* 1. *§. optimè.* Aluarez. 1. 2. *disp.* 80. §. *Primò supponendum est*. Thomas Sanchez *de matrimonio, lib* 7 *disp.* 32. *num.* 17. Martinez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. §. *Quartò notandum*, & *dub.* 5. *in principio*. Palao *de conscientia, disp.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. Ioannes de Sancto Tho. *tom* 1. *in* 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *art.* 1. *§. secundò modo sumitur*. Et loquendo de dubio speculatiuo, & practico *ibi, dub.* 5. *§. conscientia dubia* Ouiedo *cont.* 2. *num.* 27. *controu.* 4. *num.* 1. & 3. Lugo *in tract. de conscientia, cap.* 2. *num.* 2. Cornejo *disp.* 4. *dub.* 1. *in principio*; & hanc sententiam (inquit Diana *part.* 4. *tract.* 3. *de conscientia dubia, resolutio.* 1.) communitèr omnes Doctores admittunt. Et Salas *trat.* 8. *num.* 141. subscribit cum Sayro *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. vbi pro illa plures citant, vt Scotum, Ioann. à Medina, Valentiam, Couarruium; Salonem Henriquez. Inter iurisperitos autem eandem tenent Nauarrus *in cap. si quis autem, de pænitentia dist.* 7. *n.* 61. & plures alij, qui vt refert Ioann. Sanchez *in selectis, disp.* 44. *num.* 63. non audeat sequi opiniones Duazeni, Cuiacij, & aliorum, eo quod solùm theoricè sunt probabiles, non vero practicè. Et ferè deniquè eandem diuisionem pauló mutatis terminis appellando opinioné physicè probabilem, & moralitèr probabilem, tradit Granados *tract.* 12. *disp.* 4. *sect.* 1. *num.* 2. quam approbat Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3 *num.* 2.

Secundo

Secundò probatur ratione. Nam apertum est quod in multis rebus certitudo speculatiua, non potest omnibus, & semper inesse, & tamen in illis ipsis rebus homines non manent suspensi, sed de facto rectè operantur, ergò tunc manente dubio iudicio speculatiuo, habent probabile iudicium practicum. Consequentia est bona, nam est impossibile, quod Conscientia sit recta, nisi ad minus sequatur iudicium practicum probabile, & minor probatur, quia certitudo speculatiua, non potest omnibus, & semper inesse; multi enim idioti, & simplices nesciunt discernere qualitatem actuum, & ipsi sapientes non in omnibus certitudinem speculatiuam assequuntur. ergò in his manet dubiū verum excludens opinionem circa id, quod in re est, & manet certitudo circa id, quod debent operari,

Cōfi. præcedens Argumentū manifestis exemplis, quæ valdè elucidant diuisionem propositam, & Argumentum corroborant, dantur enim quāplures opiniones, quæ speculatiuè sunt probabiles, imò probabiliores, & tamen iuxta illas non licet operari, eo quod quantum ad praxim, vel vsum conscientiæ probabiles non sunt: & è contrà dantur aliæ opiniones, quæ practicè sunt verè probabiles, & securè possunt sequi, & tamen de illis speculatiuè consideratis non sit probabilis opinio, sed manent omninò dubiæ pro vtraque parte. ergò discrimen maximum est intèr probabilitatem sententiæ, speculatiuè, & practicè consideratæ. Consequentia videtur certa, & Antecedens probatur; in primis de sententijs probabilibus speculatiuè, & non practicè, & sit primum exemplum, quod adducunt Suarez, Aluarez, Martinez *locis citatis*. Nam quod hæc sit legitima forma Baptismi. *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque*, est opinio probabilis, imò probabilior, quia idem est, ac si diceret *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & sic sentit Caietanus 3. *parte, q. 66. art.* 5. eiusque opinionem probabilem, imò probabiliorem reputant communitèr Doctores Theologi, & tamen quia solum est probabilis speculatiuè, idest, sic in abstracto disputando de illa, neque Caietanus, neque aliquis alius Theologus dixit, quod licitum ea vti de facto in Baptismo, proptèr periculum non conficiendi Sacramentum, si illa opinio probabilis, non vera est, atquè adeò dicunt, quod illa non est probabilis practicè, hoc est, itaut liceat conformiter ad illam operari. Secundum Exemplum sit, quod *loco citato* inducit Ioannes de Sancto Thoma dum quis in nemore venatur, dubitat à longe, an res quam videt, sit Homo, vel Fera, & habet valdè probabiles rationes, quod est fera, quibus socij moti valdè probabiliter affirmant, feram esse, nec propriùs accedere valet, præcipitio, vel fulmine impediente: tunc non obstante illa probabilitate nō potest licitè iaculare, nè fortè Hominem occidat, nec potest conformare conscientiam illi opinioni, quia speculatiua est, & prudentia particè dictat, non esse vtendum illa cum periculo Homicidij, atquè adeò non est probabile quantum ad proxim.

Tertium exemplum est, sit probabilis, vel probabilior opinio, quod alicui infirmitati medicamētum aliquod est proficuum, licèt alia opinio teneat, quod est nociuum, in eo casu dum non est extrema necessitas, medicus non potest vti tali sententia probabili, quia illa sententia est speculatiua, & sic dicit medicamentum esse vtile probabiliter, sed non dicit medicum probabiliter posse illo vti, sic enim, iam esset practica. Quartum exemplum sit, quod adducit Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio. disp. 32. num.* 17. vbi postquam multis rationibus probabilibus ostendit fæminas quinquagenarias eximi ab obligatione Ieiunij propter sexus fragilitatem, cui citiùs senectus aduenit; concludit, quod quamuis hæc opinio sit speculatiuè probabilis, in praxi tamèn non esse tutam. Deinde probatur Antecedens de sētentijs probabilibus practicè, & non speculatiuè; nam, vt Medina *loco citato* adducit, in omnibus his casibus est iudicium probabile practicum, quod rectè sequitur conscientia, manente iudicio speculatiuo omninò dubio. Miles dubitans verè de iustitia Belli, præcipiente Duce, vt pugnet, habet hoc iudicium probabile, licitum est mihi sub his circumstantijs pugnare, & conformando illis cōscientiam, rectè operatur. Similitèr mulier dubitans de valore matrimonij, reddens debitum similiter dubitans, an res, quam possidet, sit sua, rectè iudicat, non teneor restituere, & iuxta illud rectè operatur,

3. Probatur. Latum discrimen est inter actionem, seù rem aliquam consideratam secundùm se, & eandem consideratam cum omnibus circūstantijs, itaùt secundum se possit iudicari bona certò, aùt probabilitèr, vt vestita verò circumstātijs mala, & è contra. Sed considerare actionem secundum se, appellamus speculatiuè, & considerare cum circunstantijs practicè: ergò stat, quod speculatiuè sic vera, vel probabilis, & practicè nō vel è contra. Maior debet esse certa apud omnes. Eleęmosina enim secundum se est bona, & tamèn facta ex inani gloria, vel ex alieno, est mala. & è contra alienum tollere inuito Domino, est malū, & in Casu necessitatis extremæ licet. Minor verò ex ipsa expositione nostræ sententiæ constat, quod si contrarij sinistrè illam intelligunt, fingētes hostem quem feriant, illis imputetur, quod magis ex solutione Arg in contrarium elucescet. consequentiam verò perspicua est.

4. Probatur. nā sensus, & intentum nostræ distinctionis est, quod ex iudicio rei secundum se consideratę, abstrahendo ab omnibus circunstantijs, quę sunt in praxi (quod iudicium speculatiuum nominamus) non licèt tuta conscientia operari, quia in executione possunt se offerre circunstantiæ, quæ reddant actum malum; quod apud omnes conceptum esse debet. Deindè, quod ad operandum sufficit iudicium de opere hic, & nunc cum omnibus circumstantijs licito (quod practicum appellamus.) etiam si de re secundum se, dubitemus. nam Vxor, quę iudicat, rectè hic, & nunc reddo debitum, etiam si dubitet, an reuera in re iste sit maritus meus, rectè operatur: de qua re nemo debet dubitare. ergò neque de nostra diuisione rectè intellecta.

Confir. omnia prędicta. nam hæc Argumento, *conscientia rectè operatur iuxtà opinionem probabilem. est opinio probabilis, quod Baptismus datus sub hac forma in nomine Genitoris, & Geniti &c. est validus, & rectus; & quod latens in nemore est fera, sunt sententiæ probabiles. ergò licitè conscientia operatur iuxta illas*: nullo modo meliori, & breuiori satisfit, quam dicendo, quod sunt probabiles speculatiuè, & non practicè ad opus; ergò conueniens est distinctio ad huiusmodi

Quintò probatur. Nam aliquandò licet agere

non

non solùm contrà opinionem speculatiuam, sed etiam contrà euidentiam. Nam iudex tenetur condemnare, quem scit innocentem, si nocens probatur, de quo S. Thom. 2. 2. *q. 67.* art. 2.

Sed contra prædictam distinctionem, insurgunt aliqui asserentes, nullum esse discrimen intèr opinionem speculatiuè probabilem, & practicè probabilem; sed si vna est probabilis, necessariò altera est probabilis; atquè adeo conscientia licitè potest ad praxim reducere omnem opinionem speculatiuè probabilem, quia etiam practicè est probabilis. Sententiam hanc tenent Corduba *lib. 3. q. 5.* Lorca *hic disp. 38. membro primo.* Ioann. Sanchez *in selectis, disp. 4. num. 63.* vbi reprehendit plures Iurisperitos, eo quòd in praxi non sunt ausi sectari opiniones Duareni, Curiacij, Donellij, Antonij, Fabri, & aliorum, eo quod solùm (inquiunt) sunt theoricæ, non practicæ. In quo, ait, decipiuntur; nam imperceptibile est, quod aliqua opinio sit probabilis, & in praxi tuta conscientia amplexari non possit, de qua re etiam agit *disp. 58. num. 11.* Diana *tomo 2. tractatu 13. resolut. 5.* gratè refert hanc Sanctij sententiã, sed *resolut. 12.* vbi rem ex professo disputat, relata hac sententia non audet subscribere, sed alijs resolutionem reseruat, vt cautè aliàs solet facere. Sed eam sequuntur Franciscus de Lugo *in tract. de conscientia cap. 3. num. 42.* Ouiedo *hic tract. 5. contrau. 3. nu. 9. & 10.* Sed hi duo non persistunt, nam agentes de dubio, prædictam distinctionem admittunt, cum tamèn sit eadem ratio, & ideò citati sunt pro nostra sententia.

Arg. 1. pro hac sentia. Nam ineptè vocatur dubium speculatiuum id, quo hæsitatur, vtrum actus secundum se, & absolutè sit licitus; practicè verò, quo incerta est conditio actionis singularis, & prout occurrit exercenda. Non enim est maior ratio, quare vnum, quam alterum practicum, vel speculatiuum appelletur; vnum enim est dubium de conditione actus vniuersaliter, alterum, de conditione eius particulariter. Iudicium verò vniuersale, & particulare eiusdem enunciationis, eiusdem rationis sunt, quoad speculatiuum, & practicum, vt patet in his: omnis acceptio rei alienę inuito Domino est illicita: & hæc acceptio rei alienæ inuito Domino est illicita, vtraquè enim est practica, cum ad directionem voluntatis conducit. Licet prima procedat modo speculatiuo, enuntiando quantitatem actus.

Resp. dicendo, nos quidem opinionem, vel dubium speculatiuum, vel practicum nominare, nonquę solum differunt penès vniuersale, & particulare, sed iudicium speculatiuum, quod ita versatur circa rem secundum se, & in abstracto, quod non attingit omnes circumstantias, vel inconuenientia, quæ in exercitio se possent offerre. Illud verò appellamus practicum, quod respicit opus vestitum omnibus prædictis circumstantijs, & inconuenientibus, quo fit, vt non se habeant; sicut illa duo iudicia, quæ Argumentum proponit. *Omnis acceptio rei alienæ inuito Domino est illicita: & hæc acceptio rei alienæ, inuito Domino est illicita.* Nam vtrumquè in nostra sentia est speculatiuum. Erit autem practicum si dicas. Hæc acceptio rei alienæ inuito Domino attentis omnibus circumstantijs est illicita. Et talis circumstantia potest addi, quod reddat eam licitam, vt si accipiens extremè indigeat. Vt verò satisfaciamus modo loquendi, cur vnum appelletur iudiciũ speculatiuum, alterum practicum; dicimus in primis, non id euenire ex eo præcisè, quod vna propositio sit vniuersalis, alia particularis, vt Argumentum indicat. Vt ergò rem radicitus explicemus, aduerte, quod in materia morali omnis propositio est practica, quia materia circa quam, nempè moralis, practica, est; & sic tam opinio quam appellamus speculatiuam, quam eam, quam dicimus practicam, in hoc sensu practicæ sunt. Sed iuxtà communem sententiam istæ res practicæ quantum ad modum tractandi eas, possunt primò accipi modo speculatiuo, qua ratione Philosophia moralis disputat modo Scholastico, & speculatiuo de re morali, & similitèr tota Theologia *huius* 1. 2. dum disserit de virtutibus, de vitijs, & peccatis, & similibus, eodem modo, quo Philosophia de rebus naturalibus definiendo, diuidendo, rationes, & naturas indagando, & eodẽ modo, quo procedit Theologia in prima parte. Secundò istæ res morales possunt considerari, & tractari modo practico, hoc est sub omnibus circumstantijs, & cõditionibus, quibus de facto debent poni in executione, & vt dictantur à Prudentia, quę potissimè huiusmodi attendit rationes. Vt ergò, sicut reuera est, discrimen hoc inter hos duos modos verbis explicetur, primus modus, eo quòd licèt sit rei practicæ, accedit ad modum rerum speculatiuarum, speculatiuum; secundum, quia etiam in modo ad praxim accommodatur, practicũ appellamus, & eodem modo, qui disputaret de regulis artis ædificatoriæ ad modum rei Scholasticæ, diceretur speculatiuè agere de ædificatiua: practicè verò, qui disseret, qua ratione eedem regulæ deberent exequi de facto, & sic in alijs artibus.

Arg. 2. Impossibile est, esse certitudinem practicam, cum dubio speculatiuo, sicut nequit esse dubium, vtrùm omnis homo sit risibilis, & certũ hunc hominem esse risibilem, præsertim cum hoc iudicium hic, & nunc licet agere, pendeat ex duplici præmissa, vna, hoc genus contractus est licitum, altera, hic est talis contractus, vel alijs similibus. Est autem impossibile, existente dubia maiori vel minori, esse certam conclusionem.

Resp. distinguendo illam propositionem: *impossibile est, esse certitudinem practicam, cum dubio speculatiuo:* si intelligas respectu eiusdem propositionis eodem modo sumptę concedo: si verò intelligas de diuersis propositionibus, vel de eadẽ diuerso modo sumpta, nempè secundum se, vel, vt vestita omnibus circumstantijs nego, nam plurima adduximus exempla probando nostram distinctionem, in quibus cum dubio speculatiuo, esse certitudo practica, immò *Genesis 29.* in Iacob fuit falsum iudicium speculatium, nempè hęc est vxor mea, & practicum verum, nempè licet mihi ad hanc accedere hic, & nunc. Atquè adeò propositio dubia speculatiuè, & certa practicè non se habent, sicut; *Omnis homo est risibilis, & hic non est risibilis.* Deinde concedimus, quod altera præmissa existente falsa, vel dubia, conclusio non est certa, quia vt logici dicunt, conclusio sequitur debiliorem partem. negamus tamèn, quod iudicium speculatiuum dubium, vel falsum: sit præmissa ad iudicium certum practicum: immò pronimus, quod dicimus speculatiuum, est conclusio syllogismi ex propositionibus speculatiuis: & quod iudicium practicum, est conclusio syllogismi, in quo præmissę sumuntur modo practico, vt si dicas: *facta sufficienti diligentia humano modo, & non intento, quod aliquod sit malum, omnibus attentis*

tentis licet illud facere ; sed facta tali diligentia circa redditionem debiti in muliere dubitante de valore matrimonij , vel in possidente dubitante de iustitia possessionis, vel in similibus, non inuenitur aliquid malum ; ergò mulier debet de facto reddere debitum, vel possidens non tenetur restituere . Similiter, e contrario, facta competenti diligentia circa Baptismum exercendum, hac forma ; *Baptizo te in nomine Genitoris , & Geniti &c.* inuenio hoc in conueniens, quod si forte illa sententiam, quæ speculatiuè admisit talem formã, non est vera, non efficio communi forma . Ergò non possum practicè, & in vsu Baptizare sub illa forma . Ecce quantum distat inter considerare probabilitatem speculatiuè, vel practicè.

Arg. 3. ex Ioanne Sanchez ,& Ouiedo *locis cit.* speculatiuo in re morali habet pro obiecto praxim, ergò qui habet assensum probabilem circa licentiam talis actionis , iudicat talem actionem esse licitam . ergò tutè poterit illam exercere, quia iudicium illud cum probabile sit , habet fundamentum alicuius momenti, alias probabile non esset.

Resp. concesso Antec. distinguo illud consequens. Qui habet Assensum probabilem circa licentiam illius actionis, iudicat talem actionem esse licitam. Si vtrumque sumas speculatiuè , vel vtrumque practicè, verum est ; si autem Antecedens sumas speculatiuè , & consequens practicè , non infertur. Id Charitatis gratia in his tribus statibus explicemus . Sumamus speculatiuè , hoc est considerando rem secundum se. Qui habet assensum prabahilem circa licentiam dandi Elæmosinam, iudicabit secundùm se , seù speculatiuè, talem Eleæmosynam esse licitam . Et practicè , qui habet assensum probabilem, hoc est, omnibus incidentibus consideratis, quod licet facere Eleemosynam , iudicabit hic , & nunc practicè licitè dari. Si tamèn sumat Antecedens speculatiue, hoc est , licet eleemosyna secundum se, & iudicet practice, licitum est illam dare, non rectè infert, quia potest esse in tali statu, vt omnia que habet necessaria sint familiæ sustentationi , atquè adeò illicitum Eleæmosynam facere. est ergò iudicium speculatiuum siue rei vniuersalis , siue particularis , probabile ad disputandum , non ad operandum .

Arg. 4. cum eisdem , probabilitas practica nascitur ex speculatiua , tanquam effectus ex causa , Ideò enim quis iustè, vel iniustè operatur quia operatur id, quod speculatiuè licere , aùt non licere iudicauit. Etenim eo ipso quod quis iudicet speculatiue assensu proba bili, licitum hoc esse , potest iudicare prudenter hic, & nunc sibi licere, hic enim discursus legittimus est : quidquid probabile est , potest licitè exequi , hoc est probabile . ergò hoc potest a me , hic & nunc licitè exequi .

Resp. neg. Antecedens, & ad omnes propositiones pro illo inductas ; per se enim loquendo probabilitas practica non nascitur ex speculatiua, cum vna existente probabili, alia remaneat omnino dubia , aut improbabilis , vt patet ex exemplis adductis probando nostrã diuisionem. Nec verum est , quod eoipso , quod quis speculatiue iudicat aliquid licere , inferre potest practice , hic & nunc licere operari , nam speculatiue licet eleæmosynã facere, sed si in effectione concurrant aliquę circumstantiæ , quas non considerat actus speculatiuus , vt quod facienda est Eleæmosyna ex necessarijs familię, aut ex alienis, quę reddũt actũ malũ,

Dices : consideret actus speculatiuus om- nes circumstantias has : sed tunc iam non precise speculatiuus , sed omninò practicus est appellandus , Ad hunc verò discursum, neque Neoterici magni faciunt , *Quid quid probabile est, licitè potest exequi . Hoc, quod dictat , iudicium speculatiuum est probabile, ergò licitè potest exequi .* Ex dicta distintione . Resp. distinguendo illud; *quidquid probabile est, licitè potest exequi.* Si sit probabile practice, concedo & nego si solum sit probabile speculatiue . Dices , responderi poterat, quod si est probabile posse fieri, poterit licite fieri, atqui quod non dicitur probabile , vt fiat , sed in se, non potest fieri, & sic est probabile Baptizare in nomine Genitoris, est esse formam Baptismi . & latens in nemore esse Brutum; sed non est probabile , quod possumus sub illa forma Baptizare, vel iaculare sub illa opinione , sed hoc in primis est dicere idem per idem , nam si probabile dixeris Baptizare sub illa forma probabiliter Baptizas , sed tunc vtraque propositio est practica , & cedit in idem, formaliùs nos dicimus, *si est opinio speculatiua, abstrahit à circunstantijs facti* , & sic nõ rectè dirigit conscientiam ; *& si est practica, loquens de ipso exercitio* , sufficiens est conscientiã dirigere ,

DVBIVM IX.

De alijs Opinionis probabilis Diuisionibus.

TErtiò opinio probabilis , vel probabilior , vna est talis secundùm se , seù in re; que scilicet à parte rei habet probabilia, seù probabiliora fundamenta . Alia est talis respectu subiecti, quæ scilicet habenti illam videtur habere fundamenta probabilia , vel probabiliora , siuè de facto , & in re talia fundamenta habeat ; sicut cùm coincidit cum opinione in re probabili seù probabiliori; siuè in re talia fundamenta non habeat, sed per errorẽ decipitur Homo persuadens sibi, talia fundamẽta habere , quod aliquando contingit inuincibiliter, & inculpabiliter ; aliquandò vincibiliter, & culpabiliter , de quo statim . Ad efformandam ergo conscientiam ea precipue opinio concurrit , quæ apud habentem probabilis censetur , siue propria sit, siuè aliena, eo quod nullus vtitur ad efformãdum conscientiam opinione , quam improbabilem censet ; de qua re videatur Corneio *tract. 8. disp. 3. de conscientia probabili , dub. 5. §. Nota 2.* & Palao *disp. 2. punt. 1. n. 9.*

Quartò opinio probabilis solùm ex parte subiecti , diuiditur in culpabilem , & inculpabilem , Opinio culpabilis ex parte subiecti , est cum hoc quod hunc non facit diligentiam debitam, accipit pro opinione probabili, vel probabiliori eam, que reuera non est talis, vel fundamenta , quę sufficientia videbantur ad opinionem probabilem, vel probabiliorem, non sunt talia. & hęc opinio causat conscientiam erroneam , & vincibilem , & culpabilem . Opinio probabilis solum ex parte subiecti, inculpabilis est, cum facta debita diligentia apparet aliquid opinio probabilis, vel probabilior, quæ in re talis non est ; vel fundamenta sufficientia ad opinionem probabilem, vel probabiliorem, cum in re talia non sint : & hęc opinio regulat conscientiam erroneam inuincibilem , & inculpabilem ,

Quintò , Opinio vna est probabilis , alia tuta, seù tutior , Opiniò probabilis, vt manet dictum , *est assensus ad vnam partem ex probabili fundamento*

mento cum formidine alterius, opinio verò probabilior, *est assensus ad vnam partem ex pluribus, vel probabilioribus fundamentis cum formidine alterius*. Sed opinio tuta, *est illa quæ excludit periculum peccandi saltèm formalitèr, & imputatiuè licèt fortasse admittat materialitèr peccatū*. Vt cum opinio probabilis inuincibilitèr, quæ tamen talis non est in re, excusat quidem, vt non imputetur peccatum, licèt reuera peccatum ex se sit, sicque *omnis opinio probabilis practicè est tuta*. *Opinio verò tutior est, quæ excludit omninò periculum peccandi, non solum formalitèr, & imputatiuè, sed etiam materialitèr*. Vt cum positis duabus opinionibus, quod licet, & non licet aliquis contractus, tutior est, quæ dicit, quod non licèt, sic enim eam sequendo omninò euadis periculum faciendi illicitum etiam materialiter, & non imputatiuè, ex quo contingere potest, quod vna opinio sit probabilior, & minùs tuta, alia tutior, & minùs probabilis, vt si ponas probabiliorē sententiam esse, licitum esse practice contractū, tamen tutior erit contraria, quę dicit non esse licitum, licet sit minùs probabilis, & si probabiliter sentētia est contractum non esse licitum, hæc sententia negatiua simul erit probabilior, & tutior. Videatur Salas *tract. 8. disp. vnica, sect. 5. in principio*, Montesinos *hic disp. 29. q. 5. versu quintò denique*. Martinez *hic q. 19. art. 6. dub. 6. §. 3. est notandum*. Corneio *disp. 3. de conscientia probabili dub. 4. in principio* Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 9. num. 5.*

Vltimò est ad aduertendum, quod aliqui ponunt opinionem aliquam posse esse probabilem practice, & recte ad vsum reduci durante vita, quæ tamen in articulo mortis non licitè potest sequi; dicunt enim, quod licèt durante vita possit quis operari licitè iuxtà opinionem probabilem quidem, sed minùs probabilem, & minus tutam; attamen constitutum in articulo mortis, in quo agitur Animæ salus, teneri partem amplecti, quā reputat tutiorem, & probabiliorem, ex quo principio colligit, infidelem, cui sua secta probabilis apparet, sed religio Catholica probabilius credibilis, non teneri, dum viuit recipere fidem nostram, sed teneri in articulo mortis.

Sed dicendum est, quod ea sententia, quæ sufficienter est probabilis, & tuta, vt licitè operemur, circa illam dum viuimus, similiter erit sufficiens pro hora mortis, vt iuxtà illam recte moribundus operetur, nec in hac re, est nullum discrimen obligans potius in vno tempore, quā in alio. *Sic* Ioann. *Sanchez disp. 19. num. 8.* & Franciscus de Lugo *in tract. de conscientia cap. 3. num. 41.* Probatur primò, nam Cōscientia æqualiter ligat in vita, ac in morte. Si ergo in vita conscientia non astringit hominem nisi ad hoc; quod iuxtà opinionem probabilem practice operetur, vnde consurgit nouum ligamen in hora mortis, nam mortis articulus non inducit nouam regulam operationum moralium præter eam, quam habemus in vita, etsi inducat obligationem aliquorū præceptorū, vt confitendi, & communicandi. Secundò, quia in articulo mortis solùm tenetur Homo sic operari, vt non peccet, sed ad idem tenebatur viuens, & sequens veram opinionem probabilem, practice non peccat viuens, ergò neque moriens. Et ad id, quod dicit de Infideli, Respondet Ioann. Sanctius, quod sicut non tenetur ille Infidelis ad admittendam nostram fidem dum viuit, sic nec in articulo mortis. Sed veriùs dices, talem infidelem tam in morte, quam in vita teneri admittere nostram fidem, quia in re tanti momenti probabilius, & tutius est sequendam. In qua re habes Ducē Dominicum Banetum *2. 2. q. 10. ar. 1. dub. 3.* & Petrum de Ledesmā *tomo 2. summæ, tractatu 1. cap. 5. conclus. 5. & 6.*

DVBIVM X.

An vt Conscientia Opinatiua, seu probabilis possit tutò sequi, debeat carere formidine alterius partis respectu Primi remoti, & speculatiui Iudicij.

Dvbium hoc vnum supponit, & aliud inuestigat. Supponit enim licitum esse aliquando sequi Conscientiam opinatiuam, seù probabilem, & Inquirit, an ad hoc, quod tutò sequatur, necessarium sit deponere formidinem alterius partis. Circa primum; aliqua certa sunt supponenda, de quibus in discursu materię apertissimè constabit. Primò ergò supponamus, non licere sequi opinionem, de cuius probabilitate dubitatur. Ratio est aperta, quia operari in dubio, an talis operatio sit peccatum, nec ne? est exponere se periculo peccandi, & ex consequenti peccatū, vt ostend. *disp. sequenti* videatur Medina *q. 16. art. 6. in q. 5.* quam mouet circa illum articulum *conclus. 1. &* Salas *tract. 8. disput. vnica, sect. 5. num. 44. &* Suarez *disp. 11. sect. 6. nu. 2. & 3.*

Secundò supponimus, multò minùs licere, sequi opinionem improbabilem in materia conscientiæ, quia illud est aperte velle peccare. Ideò enim improbabilis est practice, vt modò loquimur, quia non iudicatur licitum in conscientia illam sequi, aliàs probabilis esset. Videatur Salas *tract. 8. disp. vnica, sect. 5. num. 44.* Suarez *disput. 12. sect. 3. num. 3.*

Tertiò supponendum est etiam, non licere sequi opinionem, quam operans iudicat probabilē, vel probabiliorem. Sed leuiter, & non facta cōpetenti diligentia, quia eo ipso, quod non apponit diligentiam debitam, exponit se periculo ignorandi culpabiliter, & ex consequenti peccandi. Videatur Salas *sect. 5. citata Conclus. 2.* Corneio *disp. 2. dub. 2. §. Quo posito.*

Quartò est supponendum, quod aliqandò est licitum, imò, & necessarium sequi opinionem probabilem, seù probabiliorem, eo quod se potest offerre occasio, seù materia ineuidens, seù quę pro vtraque parte sit solùm probabilis, vt quando concurrunt duo præcepta incompatibilia pro eodem tempore, vt audire missam, & assistere Infirmo, & probabiliter pro vtraque parte sunt opiniones, & similiter si detentus aliqua Infirmitate in die veneris ambigat, an teneatur carnes manducare propter infirmitatem, vel ab illis obstinere propter præceptum obseruantiæ; & pro vtraque parte se offerunt rationes, probabilem vtrāque reddentes; tunc enim necessarium est, ad vnā ex opinionibus declinare, conformando illi conscientiam, de quo postea.

Circa 2. videndum est *An conscientia opinatiua, vt rectam operationem regulet, debeat deponere formidinem, & certò indicare, talem operationem, opinioni conformem, esse omninò rectam.* Pro cuius explicatione.

Notandum est primò, ad operationem rectam aliquod

aliquod iudicium rectum rationis, quod conscientia importat, requiri: nam vt vidimus cum S. Thoma *art. 3. huius. 9 q. 19.* bona Voluntas, seù bona eius operatio necessario dependet ex certa ratione, & fundamentum huius est quia Voluntas pendet ex ratione, vt ostendente obiectum, & ideò necessario est ratio, quæ ostendat obiectum honestum, vt voluntas sit honesta. Voluntas item Potentia est Cęca, indiget ergò dirige nte, vt rectè tendat: hoc autem dirigens proximè non est aliud nisi recta ratio, quæ hoc præstat per Iudicium cōscientiæ, quod si hoc Iudicium est rectum, & operatio conferturilli, nulli dubium esse potest, quin operatio sit recta; cum enim obiectum propositū cōueniens sit, vt nunc supponimus, si accedit, quod iudicium rationis respectu actus attentis omnibus circumstantijs sit rectum, nil aliud est ad rectitudinem actus conformis illi desiderandum videtur. Quod ergò inquirimus est, an sufficiat, quod sit de rectitudine actus iudicium probabile secus admittens formidinem, ne fortè actus sit malus: & peccaminosus, vt actus elicitus iuxtà tale iudiciū conscientiæ sit rectus.

Notandū 2. quod actus moralis supponit duplex iudicium, vnum remotum, & præsuppositum ad ipsū iudicium, inquo conscientia consistit, & est notitia bonitatis, vel malitiæ tam obiecti, quam Circumstantiarum eius, est enim notitia, seù scientia illa, quam cōscientia applicat ad opus & si talis notitia est vera, & certa, causat conscientiā veram, & certam, si est erronea, erroneā, si probabilis probabilem, si dubia dubiam. Aliud est Iudicium, quod præsupponit actus moralis proximè, & est applicatio prioris ad opus, iudicans illum, vt hic, & nunc exercendum, cum omnibus circūstantijs esse honestu, vel inhonestum, & in hoc Iudicio consistit essentialiter conscientia. sit Exemplum, dubitatur apud Theologos, vtrū mutuans vltrà quantitatem mutui possit licitè exigere lucrū cessans. licèt aliqui negent, probabilior tamē sententia tenet, licitū esse. Petrus verò non tenet sententiā hanc, quod licet; cum ergo se offert occasio, in qua aliquis petit ab ipso mutuū, ipse reducens ad memoria illā opinionē ex illa deducit hoc iudicium, in quo consistit conscientia, licitum est mihi nunc, dando hoc muttuum, extrà sortem principalem, exigere lucrum cessans, eo quod tale pecunia amoueo à contractatione, & sic det mutuum sub illa conditione: hanc tunc actionem mutuādi pręcedit duplex iudicium, vnū opinatiuum, seù talis opinionis, remotè præsuppositum ad actum mutuandi, aliud iudicandi hic, & nunc licere, & istud iudicium, in quo consciētia consistit, est proximum operi.

Not. 3. quod Caietanus *tom. 3. opuscul.*; *opusculo* 10. *ex septem Responsiobus*, Responsione 13. ex duobus inmediate antepositis iudicijs, secundum appellat practicum, eo quod est actionis hic, & nunc exercendæ, sed primum nominat speculatiuum; in quo reprehenditur tacitè à *Salas sect. 4. n. dec. in medio*, ex eo quòd primum iudicium vocat speculatiuum, sed absquè fundamēto, quia opiniones ad speculationem theologicam, vel Philosophiæ moralis pertinent, si enim aliquis contractus est licitus, si matrimonium fuit ratum, nec ne, speculationes sunt, quarum notitias, siuè certas, sinè opinatiuas ad praxim, & exercitium actus reducit iudicium practicum, quod est conscientia, decernens honestatem, vel turpitudinē actus operabilis hic, & nunc, iuxtà, vel contra regulationem Prudentię.

Not. 4. quod assensus opinatiuus pertinens ad prius iudiciū, & iudiciū speculatiuū prę suppositū conscientiæ; quamuis sit determinatus ad alterā partem, itaùt excludat suspensionem iudicij, quā includit rigorosa dubitatio negatiua, tamèn aliquando potest esse cum formidine contrarię partis, aliquando sine illa. Nam licèt formido proueniat radicaliter, & obiectiuè ex eo quod iudicium opinatiuum est fallibile, cui potest sub esse falsum; eò quod non attingit euidentiam, qua ratione formido radicaliter sumpta pertinet ad essentiam opinionis; proximè verò, & formaliter prouenit ab actu reflexo, quo intellectus iudicat rationes, & fundamenta, quibus iudicium probabile innititur non esse euidens, sed fallibiles, ex quo elicit ratio, quod fortassis non concludunt partem veram; sed fortè contraria est vera, & ex hoc iudicio noscitur formido, vel timor aliquis in Voluntate. Sed cum hoc iudiciū reflexum sit liberum contingere potest, quod aliquando de facto non detur, & ex consequenti nō si actualis formido, sed solum illa radicalis, & tunc certum debet esse, quod non sit actualis formido etiam in voluntate, eo quod cessante illo actu reflexo rationis, non potest voluntas operari circa eius obiecta, eo quod tenderet in incognitum. ex duplici autem causa solet regulariter deesse tale iudicium reflexum formidinis. Prima est, quod res est Communissima, vel apud omnes, vel apud operantē, qui sępe ante excludit formidinem, & ideò iam non curat de ipsa. Secunda est maximus affectus voluntatis ad eam partem, circa quam est opinio, ratione cuius formido excluditur. Ait enim Aristoteles *lib. 7. Ethicorum cap. 3. sepè euenire, vt homines tenatius, & firmius adhæreant falsis rumoribus, quæ viri sapientes scientijs, & certissimis veritatibus.* sed ista secunda causa non generat certitudinē prudentialē, sed sæpè conscientiā erroneam culpabilem. Et de hac formidine tam radicali, qua formali non procedit questio. nam vt videbimus inf. in omni operatione ex conscientia probabili interuenit prima, & interuenire potest secunda.

Not. 5. quod secundum iudicium, quod est proximum operationi, & praticum, & ipsa conscientia opinatiua consistens in hoc, quod operando iuxta conscientiam probabilem, vel probabiliorem, recte, & tutò operatur, potest esse certū certitudine saltem morali: vt cum quis præsupposito, quod est sententia probabiliter, quod mutuans potest exigere lucrum cessans, & quod in re hac ineuidenti satisfacit, sequendo quod probabile, vel probabilius est, efformat hanc conscientiā; licet mihi mutuare hic, & nunc cum lucro cessante, vel potest esse dubium, & hoc dupliciter, vno modo ex parte appetitus absque fundamento per scrupulum metuentis, alio modo ex parte rationis, qua non quietat ex opinione, cui intellectus cū formidine contrariæ præbuit assensum, adhuc formidat, an licite operetur iuxtà illa, vel potiùs peccet. Dubium ergò præsens supponit, vt certum apud omnes, quod si hoc conscientię iudicium est certum certitudine morali, operatio iuxtà hanc conscientiā, etiam si supponat formidinem radicalē, vel formalē remoti iudicij, de quo diximus notabili pręcedenti est omninò recta: si autem sit dubius, vel formi dolosus solū ex parte scrupuli, adhuc est recta operatio, deposita cōscientia: sed de hac re dicemus disput. de conscientia scrupulosa, consistit autem pręsens dubi-

H um

um in hoc, an semper necessario, ad hoc, quod rectè operamur, debeat hoc iudicium proximum, in quo conscientia probabilis consistit; esse certũ moraliter de rectitudine actus facti circa opinionẽ, vel sufficit, quod habeat assensum ad hoc, quod rectè operatur, cum formidine autem ex parte rationis, quod forte sic operando peccat.

Conclusio prima, remotum, & speculatiuum iudicium, quod conscientia probabilis supponit, & à quo denominatur, non requiritur, quod sit certum ad hoc quod operatio consequens sit recta, immò necessarium est quod sit probabile admittens formidinem formalem, vel saltem radicalem, ad hoc, quod conscientia sit probabilis, aliàs esset conscientia certa. Vndè sequens opinionem probabilem, vel probabiliorem, & circa illã habens in remoto iudicio formidinẽ, non solũ radicalem, sed etiam formalem, iuxta dicta sup. ex hoc capite rectè procedit, conclusio. & est communis apud Theologos.

Probatur primò, quia aliàs numquam liceret operari iuxta sententiã probabilẽ, vel probabiliorem, sed hoc est absurdum; ergò etiam negare, quod conscientia denominata, informata ex iudicio, verè opinatiuo possit operar. sequela probatur quia cũ quęcunq; opinio etiã probabilissima non excludat, imò secum adferat formidinẽ si eius formidinẽ excludimus, non manet conscientia opinatiua, seù probabilis. falsitas verò consequẽtis, & absurditas probatur, quia cum in multis rebus habeamus euidentiam, sed pro vtraquè parte sint probabiles, si probabile iudicium non posset sequi, conscientia ad nullam partem posset operari.

Probatur 2. Iudicium, de quo loquimur in hac conclusione, nihil includit, vel determinat de operando, vel non operando; ergò formido illius tã radicalis, quam formalis non potest quicquam nocere operanti: neque propter formidinem eius dicetur aliquis sequi regulam incertam, & fallibilem. Patet consequentia, quia speculatiua ratio non est proxima regula operationis.

3. Probatur; cum dicimus non licere operari cum scrupulo, formidine, aut dubio conscientię, intelligi debet de dubio, & scrupulo, seu formidine oppositis rectitudini conscientiæ. sed scrupulus, formido, & dubium illius prioris, speculatiui Iudicij non opponitur certitudini conscientiæ: ergò illi non obest. minor probatur. nam cũ conscientia non sit rationis speculatiuæ, sed practicę, de re hic, & nunc, consequens est, dubium, & scrupulum debere esse de re non speculatiuè considerata, sed de re hic, & nunc practicè sumpta. Nam cum illo Iudicio formidante potest esse conscientia certa, vt videbimus.

DVBIVM XI.

An vt operatio sit recta, semper Iudicium proximum practicum applicans notitiam Opinatiuam ad opus, debet esse Certum de Bonitate Morali Actus.

Conclusio, vt operatio sit recta, semper Iudicium practicũ proximum applicans notitiã opinatiuam ad opus, quod Iudicium est conscientia opinatiua debet esse certum de bonitate morali actus, non certitudine Mathematica, vel Logica, sed morali; aliàs si admittit formidinem, de hoc, quod talis actus fortè est peccatum, actus redditur malus moraliter eo quod ex modo operandi se exponit periculo peccandi tale peccatum, quale formidat peccare venialiter, magis, vel minùs grauiter, quarè ad certitudinẽ saltẽ ex parte intellectus; nam de formidine ex parte Appetitus, & scrupulosi, dicemus *disputat. sequenti*. conclusio quantum ad omnes suas partes satis intellecta manet ex doctrina prælibata sup.

Probatur primò hęc conclusio Auctoritate. nã S. Thom. *quodlibeto* 8. *art.* 13. proponit casum, quod quis adhęret sentẽtię affirmãti licere habere plures præbendas, & addit. ***Sed tamèn in quãdã dubitationẽ inducitur ex cõtrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione, plures prabendas habet, periculo se committit & sic proculdubio peccat***. In quibus verbis in primis loquitur de secundo iudicio, in quo consistit conscientia, vt patet ex illis verbis. ***Inquandam dubitationem inducitur***: hoc est in dubitationẽ iudicij conscientiæ, ex iudicio speculatiuo opinionis. & ex illis verbis, ***ex contrarietate opinionum*** quas talis dubitatio supponit, nempè vnam cui adhęret, & aliã, de qua formidat. Loquitur ergò de iudicio practico conscientiæ supponente prædictas opiniones. Quod verò loquatur de dubitatione opinatiua, quę est formido alterius partis, non de dubitatione rigorosa, & negatiua, patet ex illis verbis, ***& sic manente tali dubitatione &c.*** non dicit manente dubitatione, ***sed manente tali dubitatione***, hoc est ea dubitatione de qua paulo antè dixit, ***in quandam dubitationẽ inducitur ex contrarietate opinionum***.

Hæcaute dubitatio est illa formidolosa, quam sequens vnã opinionẽ, (de eo enim loquebatur) concipit ex opinione contraria, quã non sequitur. Et hic sensus patet ex eo, quod addit: Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat. Vbi aperte loquitur de secundo iudicio certò, in quo conscientia consistit, quod si excludit omnẽ dubitationẽ, etiam opinatiuam, rectè procedit conscientia. Vbi vides primò. quod ex opinionibus potest elici iudicium conscientiæ certum. Secundò; quod hoc requiritur, vt conscientia ex opinione procedens, quæ est opinatiua, rectè operetur.

Eandẽ conclusionẽ tenent antiqui omnes, & ex neotericis non pauci, in primis Caiet. in summa, verbo *opinionis vsus, & tomo primo opusculorũ, opusculo* 17. *Responsionum*, *Responsione* 13. Sũmistę *verbo opinio.* Ibi Armilla ***num.*** 2. Syluester ***q.*** 1. Adrianus ***quolibet*** 2. ***art.*** 1. ***puncto*** 3. Corduba ***lib.*** 1. ***q.*** 3. ***& lib.*** 3. ***q.*** 5. Nauarrus ***in capite, si quis de pænitentia, dist.*** 7. ***num.*** 58. 61. & deinceps, cum eo communiter canonistę ***quæst.*** 19. ***super art. 6. difficultate*** 5. ***§. Ad Argumenta in contrarium***. Suarez 3. ***parte***, ***tomo*** 5. ***disput.*** 40. ***sect.*** 15. ***num.*** 14. ***& sect. 6. n. 6.*** 1. 2. ***tract.*** 3. ***disp.*** 12. ***sect.*** 3. vbi dicit, ***sententiã banę esse communem, & sect. 6. num.*** 2. Lessius ***lib.*** 1. ***cap.*** 1. ***dub.*** 1. Montesinos ***disp.*** 29. ***q.*** 5. §. 3. ***versu dico*** 3. ***in solutione ad primum***.

Secundò probatur Conclusio. Operari dubitando, an id, quod facimus, sit peccatum, nec ne est peccatum; sed qui sequens opinionem probabilem, vel probabiliorem format iudicium proximum circa honestatem actus cum formidine, an sit peccatum, operatur dubitando, an id, quod facit, sit peccatum, nec ne; ergò peccat. Requiritur ergò, quod hoc iudicium proximum, in quo con-

conscientia consistit, sit certum moralitèr excludens omnem dubitationem. Vtraque consequẽtiam est bona, & maior ostendetur circa disput. sequenti. Minor verò probatur. Nam iudicare operationem iuxtà vnam sententiam probabilem, vel probabiliorem, esse honestam assentiendi huic parti, sed cum formidine alterius, an fortè hic, & nunc sit peccatum sic operari, est operari dubitando aliquo modo, an id, quod operatur sit honestum, vel turpe, seù peccatum. ergò, qui sequens opinionem probabilem, seù probabiliorem, format iudicium practicum proximum circà honestatem actus cum formidine, an sit peccatum, operatur dubitando, an id, quod facit, sit peccatum, nec ne. Explicatur hoc, in curijs proximè celebratis in nostro Regno Sicilię vt audiui, statutũ fuit, posse mercatorũ mutuo dantẽ exigere septẽ, vel in suo casu nouem pro centũ. Circa quam legem sunt opiniones contrariæ, affirmant aliqui rationẽ talis legis cum securitate conscientiæ posse absque labe vsuræ exigi illud pretium; sed alij contrariò id negant, dicentes, legem solum esse permissiuam. Demus ergò, quod mercator sequens primam sentiam suo, & aliorum iudicio probabilem, dat mutuo cum illo lucro sub hac conscientia; *Iuxtà meam sententiam, cui assentior, possũ licitè hoc lucrum, hic, & nunc exigere*, sed formidat hoc esse illicitum, & peccatum: hoc perindè se habet, ac si dicamus, homo hic licèt inclinet cũ Assensu ad vnam partem, quod scilicet licet, sed dubitat, an hoc ita sit, quia formidat, an sit peccatum. Operatur ergò cum dubio, an peccet, & sic peccat se ingerens periculo peccandi, iuxtà illud Eccles. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*.

Respondet Vasquez *disput. 62. cap. 5. §. Huius autem rei*, negando, quod formido, quam secum compatitur opinio, sit aliquo modo dubium, & reprehendit Caietanum, & Nauarum, eo quod confundunt formidinem cum dubio. Nam dubitare, (inquit) & hæsitare, est pendere intellectũ in vtramque partem contradictionis, & nulli illarum determinate assensum præbere, formido verò vnius partis non excludit assensum determinatum alterius. Sed hoc procedit ex mala intelligentia nostræ sententiæ, & insuper est falsum, nam vt dixi supra dupplex iudicium cõuenit ad consciam probabilem, vnum remotum, & pręsuppositum, aliud proximum in quo conscientia probabilis cõsistit; & nos in hoc dubio loquimur de hoc secundo.

Sed Argumentum Vasquez procedit de primo; vndè non est ad propositum, & adhuc loquẽdo de primo, eius sententiam, & argumentum falsam assumit. Nam cum assensu ad vnam partem veritatis opinatiuæ prudenter opinans formidat, nè fortè contraria sit vera, quis ergò negare audeat in hoc homine esse aliquod genus dubitationis circa veritatem sententię, cui adhęret, & contrarię.

Pro quo aduerte, quod dubium habet magnam latitudinem supræmum locum obtinet illud dubium, in quo intellectus fluctuat in vtramque partem, ita vt nulli assensum prębeat, sed suspensus hæreat, & hoc dubium dicitur priuatiuum, vel negatiuum, eo quod negat assensum ad aliquam partem, & hoc dubium constituit conscientiam dubiam, de qua disp. sequenti. Secundus gradus dubij, in quo minùs dè illo reperitur, est, cum intellectus ex debito fundamento fertur in vnam partem, sed cùm formidine alterius, eo quod pro illa sunt fundamenta, & aliquando maiora, vt cum persona grauis refert aliquid, sed alia etiam grauis contrarium dicit, tunc si fidem adhibemus vni parti, adhuc manet formido, & dubitatio, an fortè sit falsum, & verum, quod alter ęqualis, vel maioris Auctoritatis dicit. Similitèr cum inter duas sententias probabiles eligimus vnam, cui assentimur, manet formido, & reuera aliquod genus dubij, an contraria sit vera. Quia cum fides humana, & opinio non inducant euidentiam, cõpatiuntur tale genus dubitationis intèr vtramque partem, sed hæc dubitatio non tollit assensum ad vnam partem. Quod verò hæc formido, quæ compatitur secum assensum ineuidentem, sit dubitatio, ex eo patet, quod nullus negare audebit credenti vni, repugnantibus multis non minoris Auctoritatis, reuera dubitare, an fortè ipse deceptus sit ab eo, & illi verum dicant, nec ne? Tertius, & vltimus gradus dubitationis est, qui reperitur in scrupulosis, qui licet adhæreant parti, sed dubitant, ne fortè non sit tuta, non quia ex parte intellectus habeant rationabile fundamentum, sed ex nimio timore appetitus, de quo inf. Ex prędicta doctrina conuincitur, cum assensu ad vnã partem, vt in opinante dubium verum, licèt non summum, & negatiuum, reperiri posse. Vnde aliqui, inter quos est Ioannes Sanchez *disp. 45. num. 48.* distinguit dubium ab opinione: quoniã omnis opinio dubium speculatiuum includit, non tameo omne dubium includit opinionem. Manet ergò quod etiam iudicans opinatiuè admittit aliquandò dubium.

Sed quidquid sit de dubio opinantis, quod ad resolutionem nostrę sententię impertinenter se habet, loquendo de secundo iudicio, in quo consistit ipsa Conscientia opinatiua, illud non solùm potest esse verè dubium, sed insuper potest esse omninò certum, licèt præsupponat iudicium remotum verè opinatiuum, a quo nomen recipit hec conscientia verbi gratia, vt propositum exemplũ repetamus, est opinio probabilis, quod dans mutuo potest exigere lucrum cessans, vel non potest. Petrus ergò, qui dat mutuo centum remouens illa à negotiatione, in qua lucraretur viginti absquè labore, & expensis, sequens probabiliter partem affirmatiuam, ex illa opinione sic efformat iudicium huius conscientiæ certum. *Qui sequitur opiniorem in proxi probabiliorem, absquè dubio operatur rectè, seù absque peccato: Sed ego exigens vltrà centum principalis viginti lucri cessantis, sequor opinionem probabiliorem in praxi. Ergò certe, & absquè dubio rectè operor, seù non pecco*. Ecce vbi iudicium conscientiæ opinatiuæ est certum, & absque dubio, licèt fundetur in iudicio remoto probabili, eo quod qui sequitur opinionem probabilem vel probabiliorem, absque dubio operatur rectè, & non peccat.

Dices: ergò licet conscientia vera, ac recta, à conscientia opinatiua distinguantur ex parte causę, & Iudicij præsuppositi, eò quod conscientia certa supponit certam notitiam, conscientia verò opinatiua solùm notitiam opinatiuam; tamen loquendo de iudicio proximo, in quo consistit cõscientia, nulla erit distinctio, eo quod vtrumque iudicium debet esse rectum, vt rectè operemur & sic intrinsecè non distinguuntur, sed extrinsecè. Ad hoc negamus consequentiam, adhuc enim ex parte iudicij proximi, in quo conscientia consistit, est latum discrimen, quod iudicium, in quo con-

 sistit

sistit conscientia certa, semper, & infallibiliter est certum practicè, & speculatiuè. Iudicium verò, in quo consistit conscientia opinatiua, & si sit certum, & verum practicè, inquantum hic homo hic, nunc non peccat, sed speculatiuè, & materialiter potest non esse verum, non quia hic peccat, sed quia in re vera est peccatum, licèt non respectu huius hominis.

Vel 2. responde concedendo, quod omnis conscientia recta siuè sit certa, siuè opinatiua includit iudicium certum, de eo, quod eius actus non est peccatum, aliàs peccaret operans cum illa conscientia, nec tamen confunduntur conscientię, quia intrinsece distinguuntur per ordinem ad diuersum iudicium remotum, certum, opinatiuum, vel erroneum, a quo etiam denominatur conscientia certa, opinatiua, & erronea.

Tertiò probatur conclusio, & confirmatur precedens Argumentum. Iudicium, quod est conscientia, est regula proxima nostrarum operationum. Sed iudicium formidolosum seù cum formidine partis contrariæ, non potest esse regula proxima rectę operationis, ergò iudicium cum formidine non est conscientia rectæ operationis, qualis est operatio conscientiæ probabilis, & à contrariò, si hoc iudicium formidolosum non potest esse conscientia probabilis, necessarium erit, quod debeat esse iudicium certum, ad minùs moraliter. Maior est certa, & Minor probatur, nam qui facta debita diligentia operatur iuxtà opinionem probabilem, vel probabiliorem, rectè operatur iuxtà omnium opinionem, de qua posteà dicemus. Talis ergò conscientia est regula rectæ operationis: regula autèm non potest esse fallibilis, sed necessariò recta. Conscientia ergò, quæ est regula proxima talis operationis, certa esse debet.

Confi. iudicium, quod ex parte intellectus practici regulat actionem bonam conscientię opinatiuę, debet esse actus prudentialis, seù Prudentiæ; sed non potest esse actus Prudentiæ, nisi sit certus, saltèm moralitèr, excludens omnem dubitationem, & formidinem. ergò tale iudicium debet esse certum, saltem certitudine morali. Maior est certa, nam cum bonitas actus moralis dependeat à ratione proponente obiectum, vt cū S. Th. vidimus *supra* Necessarium est, vt sit recta operatio, quod tale Iudicium sit prudentiæ, quià aliàs si proponit, quod non debet, vel quomodo, vel vbi non debet, vitiatur actus: proponere autem, quod debet vbi; & quomodo debet ad prudentiam spectat, præcipuè cum regulet omnes actus bonos. Minor verò probatur, quia iudicium cum formidine non est certum, sed incertū, ergò non est actus *Prudentiæ*. Antecedens supponitur, & consequentia probatur, quia Prudētia, sicut & cæteræ virtutes intellectuales semper determinatè, & certò inclinant ad verum; & ad falsum, vel dubium inclinare non possunt vt docent Aristoteles *lib. 6. ethicorum cap. tertio.* & S Thomas *in hac prima secunda q.* 57. & ratione conuincitur. Ideò enim opinio, & fides humanā excluduntur à ratione virtutis intellectualis; quià virtus intellectualis certò inclinat ad verum, & eius actus non potest falsum continere; opinio verò, & fides humana quandoque inclinant ad falsum, & ex hoc admittunt formidinem, ne fallantur. Actus ergò formidolosus, & cui potest subesse falsum, non potest esse actus prudentiæ, vel alterius virtutis intellectualis.

Dices: non semper iudicium Prudentię esse certum, sed aliquandò falsum: ergò argumentum nō conuincit. Antecedens probatur. Prudentia dictat credere puerum à Ministro Ecclesię Baptizatum, in foro exteriori reuera esse Baptizatū; & Hostiam eleuatam à Sacerdote in Missa, esse Consecratam. Et tamen hæc iudicia possunt esse falsa, si Minister ex malitia noluit conficere Sacramentum. Sed hoc minus momenti est, distinguo illud Antecedens. *Non semper iudicium esse certum, sed aliquandò falli*, Si loquaris speculatiue, verum est, nequè enim veritas speculatiua est de intrinseca ratione virtutis practicæ, sed falsum est loquendo de veritate practica. Iuxtà quam dicta iudicia sunt certa certitudine morali, cui falsitas moralis non subest, sicut etiam illud iudicium, quod habuit Iacob *Genesis* 29. 23. Hec est mea vxor, & licet mihi ad illam accedere, In quo vero distinguatur veritas speculatiua, & practica, dix. sup.

Quartò probatur Conclusio ratione Caietani, *tom.* 1. *opus.* 10. & septem Responsionum, respons. 13. Possibile, imò facile est, & sæpè contingens, quod stante iudicio communi, seù speculatiuo dubio, stet iudicium practicum de re in particulari, hic, & nunc facienda certum, vel è contrà. ergò possibile, imò facile est, quod operans cum formidine habeat iudicium practicum de re opinata hic, & nunc rectè facienda certum rectitudine saltem morali. Consequentia est bona, quia vnum iudicium est commune, & speculatiuum, alterum speciale, & practicum, ergò si habere hęc non repugnat, nequè est difficile, nequè repugnauit, vel difficile erit, quod opinans speculatiuè de re in communi, habeat circa eandem rem iud ciū particulare rectum. Maiorem verò probat Caietanus; nam innumera sunt dubia, quorum alteram partem sic amplectuntur tam viles, quam docti, vt practicè certi, & absque scrupulo conscientiæ operentur, & tamen an veritatem euidentem habeant speculatiuam, non asseruut, immò confitentur solum esse probabilem. Verbi gratia, etiam sapiens certus est, quod dans mutuo vltrà sortem principalem potest absquè peccato exigere lucrum cessans, & tamen non est certus, quod opinio id docens est vera, aliàs non esset opinio, sed scientia. Habent ergò iudicium practicum conscientiæ certum, & iudicium commune, & speculatiuum incertum. Et id elucidat Caietanus Exemplo, dicens: Nam, si quis dubitaret, an pulsare in die festo sit licitum, vel illicitum, & tamèn non dubitaret sibi tunc esse licitum pulsare, iste non peccaret pulsando, quantumcunque esset magna dubitatio apud eundem de actu pulsandi secundùm se, an sit licitus, vel illicitus; & similiter quantumcunque esset maximus timor de eodem. Et per oppositum, si quis esset certissimus de actu pulsandi secundùm se, quod est licitus in die festo, & tamen fluctuaret de exercenda nunc à se pulsatione, ita quod ratio applicandi se ad pulsandum, cum ambiguitate applicat, illicitè quis pulsaret, intellectus siquidem speculatiuus nihil dicit de operando.

Contrà doctrinam huius Argumenti, & exempla adducta in eo insurgit Vasquez *disp.* 62. *cap.* 5. *§. ego tamen.* quem ex parte sequuntur Lorca *disp.* 38. *memb.* 1. & Montesinos *disp.* 29. *q.* 5. *§.* 3. *versu, sed hæc limitatio.* & ait Vasq. *ego tamen tam doctrinam Caietani, quam Nauarri existimo esse absquè fund. & exempla, quibus vtantur, nihil habere momenti.* Sed certè eius

Impu-

Impugnatio multò magis est absque fundamento, & procedit ex malo intellectu mentis Caietani, & Nauarri, vt ex dicendis patebit.

Eius Argumentum contra doctrinam est. Vix intelligi potest, quo pactò Intellectus dubius sit, aut formidinem habeat de aliqua propositione vniuersali, & de singulari contenta sub illa directè, certus omninò sit absque dubio, & formidine, cũ eadem omnino sit ratio assentiendi, & dubitandi de vniuersali propositione, & de singulari expressè contenta sub illa. Nam quæ ratione potest quis formidinem habere, & dubitare, an aliquid liceat in vniuersũ, & certus esse absquè formidine illud sibi licere, non subsistente peculiari aliquã ratione potiùs pro se, quam pro alijs? contra etiam, si quis dubitat, aut formidinem habet de aliquo singulari, an sibi liceat, cum etiam non dubitabit, aut formidabit, an illud liceat in vniuersum ceteris omnibus, cũ nulla pro alijs peculiaris causa sit?

Resp. Caietanus: Iudicium singulare esse rationis practicæ: vniuersale autem esse rationis speculatiuæ, & ideò posse esse formidinem in opposita parte cum iudicio vniuersali, & speculatiuo, non existente formidine cum iudicio particulari, & practico, sed contrà hanc solutionem, & doctrinam sic agit. Vtrumque iudicium, tã vniuersale quam singulare, versatur circa eandem rem, & operationem, vniuersè autem singulariter consideratam, & eadem omninò est ratio vtriusq; Ergò non potest cum vno Iudicio esse formido alterius partis, & cum altero non esse, siue iudiciũ sit per modum speculationis, siuè per modum practicæ considerationis, cum idem sit subiectũ, & prædicatum, solùm differens tamquam vniuersale, & singulare.

Sed reuera Vasq. (sicut qui illam sequuntur) non est assequutus mentem Caietani, nec eius sensum impugnat, sed quem ipse sibi confingit, nusquam enim Caietanus, vel alij, qui sequuntur Cõclusionem nostram dixerunt, contingere posse, quod quis assentiatur vniuersali propositioni, & dissentiat à particulari, vt sub illa contenta, nam in hoc est manifesta repugnatia. Sed in primis certum debet esse cuilibet, quod si propositio vniuersalis, & particularis, quæ reuera sub illa continetur, consideretur seorsum, & absquè ordine inter se; hoc est non secundum quod vna continet aliam, potest certus esse de vna, & dubitare de alia, præcipuè si non sunt in materia necessaria. Nam in primis certus aliquis est, quod aliquis Homo est albus, bipes, & duos oculos habens: dubitat autem congruè, an omnis homo sit albus, & bipes, & habens duos oculos. Immò etiam in necessarijs scit aliquis, Iacobum esse risibilem, & dubitare potest, an omnis homo sit risibilis, & similiter potest esse certus de propositione vniuersali, & dubitare de particulari sub illa contenta, non inquantum contenta sub illa, sed id non aduertens, vel nesciens. Exemplum ponit Nauarrus. Nam quilibet Christianus certissimus est, quod omnia contenta in sacra scriptura, sunt vera, dubitat tamèn an Tobias habuerit Canem. Sed dicit Vasquez, hoc est, quia ignorat, quod continetur in sacra scriptura. Sed hoc est considerari non vt contentum sub vniuersali, & audiens ab erudito, quod omnes in vniuersum stellę excedunt in quantitate magnitudinem Terræ, potest assentiri illi propositioni, & postea non alludendam illam, dubitare, an aliqua stella sit minor tota Terra. Et hoc sufficiet ad saluanda exempla.

Insuper res est absque omni dubio, quod potest quis dubitare de vniuersali propositione, & esse certissimus de singulari, adhuc directè sub illa contenta, potest enim meritò, dubitare, an omnis homo sit albus, & certò cognoscere experientia, quod aliquis Homo est albus, & hoc sufficeret ad saluandam doctrinam Conclusionis, quod aliquis dubius est, & opinans de re in vniuersali, & certus de ea in singulari. Sed omnia hęc sunt extra intentũ; quomodocunq; enim hæc se habeant, parum interest ad rem, de qua disputamus, vera enim solutio est, quam ex Caietano loco immediatè citato assignauimus, nempè quod Iudicium vniuersale, est speculatiuum, particulare practicum, & ideò ixistente dubitatione in illo, potest esse certitudo in isto.

Ad replicantiam contrà hoc positam supra in primis negamus Consequentiam, quia non solùm contingit, quod Iudicium speculatiuum sit dubiũ, & practicum certum, sed quod iudicium speculatiuum sit probabilissimum, & practicum contentum sub illo non sit probabile. Nam probabilissimum est, quod Baptizans sub hac forma. *In nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque*, Baptismum conficit; & non est probabile, quod possit aliquis sub illa forma baptizare. Adde, quod eadem propositio, verbi gratia, Hostia est consecrata, Petrus est baptizatus, iste est Episcopus, est moraliter certa, & priuatiuè; Metaphysicè, autem, & speculatiuè, non est certa.

Deinde negamus, quod propositio communis, & speculatiua, & particularis, & practica, sint omninò subordinatę, nec omninò eiusdem prędicati & subiecti; sed semper practica addit aliquid, ratione cuius licèt aliquam formam habeant superioris, & inferioris, non tamen rigorosè sequũtur earum naturam. Sit exemplum. Hæc propositio, *licet mutuanti exigere lucrum cessans*, est probabilis, vel probabilior. Et hæc inferior, *licitè exigo lucrum cessans hic, & nunc*, quæ est certa moralitèr, non omninò sunt eiusdem rationis, quia hæc secunda sequitur ex illa addita alia extranea præmissa, in hac forma. *In re, in qua non possum habere euidentiam, absque omni peccato sequi possum in practicam sententiam probabiliorem*. Hæc est euidens, & certa propositio. *Ergò licitè exigo*; est consequentia certa moralitèr ex duabus propositionibus moraliter certis deducta. Ex his patet, ad omnia obiecta, quod non concludunt contrà sensum intentum ab Auctoribus huius opinionis, qui comparant propositionem speculatiuam ad practicam, quasi, vniuersalem ad singularem, licèt rigorose non sic se habeant, sed similitudinarie, & in esse moris, sicut S. Thom. *sup. quæst.* 18. *art.* 7. inquirit, *Vtrum species, quæ est ex fine, contineatur sub specie, quæ est ex obiecto, sicùt sub genere vel conuerso*, & tamèn, vt ibi ostendimus id non Intelligitur de genere, & speciè logica, sed morali. Manet ergò luce clarius, quod licèt notitia speculatiua, quę supponitur ad conscientiam probabilem, & à qua solet moueri; sit solùm probabilis, aliàs non esset conscientia opinatiua, tamèn iudicium, quod est conscientia, nempe, *operando iuxtà opinionem probabilem, non pecco*, non est probabile, aùt aliquo modo dubitabile, sed certum. Quod si maneat dubium, an fortè sit peccatum, & non deposito dubio operetur, peccatum, est in quacumque conscientia contingat.

Quintò probatur, conclusio, conscientia opina-

tiua

tiua non exigit minorem conscientiã de rectitudine operationis, quã conscientia scrupulosa exigit iudicium practicum certum moraliter absque dubitatione, vel hęsitatione contrarij, vt rectè operetur: ergò id expostulat conscientia opinatiua. maior ex eo patet, quod conscientia opinatiua post euidentem, & certã obtinet in tertitudine proximum gradum, & excedit conscientiã scrupulosã; ergò adminùs exposcit æqualem, vel maiorem certitudinem, quã conscientia scrupulosa; minor verò probatur, nam vt conscientia scrupulosa rectè operetur, debet deponere scrupulum: de posito autèm scrupulo manet consciẽtia certa quantum ad iudicium de bonitate actus operabilis, de qua re latè dicemus infra in sequentibus disput.

Petes. *An certitudo, quæ requiritur in iudicio conscientiæ opinatiuæ, sit certitudo ex parte subiecti; An verò ex parte medij.*

Resp. certitudo, quæ requiritur in iudicio cõscientiæ opinatiuę, non est certitudo ex parte subiecti, sed ex parte medij. Pro cuius explicatione Notandũ est, quod certitudo, qua potest habere iudicium practicum, de quo loquimur, est duplex, vna ex medio, & proportionato motiuo indicandi, vtrum ex rationibus, & auctoritate, conuincitur intellectus ad certum iudicium; alia ex parte subiecti, seù dispositione Appetitus, ratione cuius quandoque Homines parũ morigerati tenaciùs adhærent quibusdã falsis absq; cõpetenti motiuo, quã sapientes aliquibus scitis, & demonstratis, vt animaduertit Aristot. *lib. 7. ethicorum cap. 3.* & hęc potiùs temeritas, & pertinacia est, quàm certitudo, quia excedit proportionem medij ex voluntaria adhæsione. Responsio ergò nostra dicit, quod hæc secunda certitudo nõ est, qua requirit conscientia opinatiua, nequè sufficiens ad hoc, quod eius actus sit rectus, sed debet esse certitudo medij de qua Responsione videatur Suarez *disp. 12. sect. 3. n. 4.*

Probatur primò. Certitudo, quã hic exposcimus, debet habere coniunta infallibilem veritatẽ, saltem practicã; sed certitudo ex parte subiecti non habet infallibilem veritatem etiam practicã, imò valdè fallibilem; ergò certitudo requisita in actu iudicij opinatiui, vt actus sit rectus, non est certitudo ex parte subiecti, sed certitudo ex parte medij. consequentia est bona, & minor certa maior vero probatur, nam actus, qui sequitur ex bona conscientia probabili, de qua loquimur, est infallibiliter honestus: ergò regula, ex qua sequitur, debet esse infallibiliter vera, & certa, saltèm practicè iuxta dicta.

Secundò probatur, nam certitudo, quam exposcimus in iudicio conscientiæ probabilis, debet esse certitudo prudentiæ: nam hęc conscieutia est actus prudentiæ, sed certitudo prudentiæ necessariò desumitur ex medio proportionato, non ex passione absque debito fundamento. ergò hæc certitudo debet esse medij, non subiecti, & passionis. Minor probatur, quia Prudentia est Virtus intellectualis: Virtus autèm intellectualis operatur certo ex medijs proportionatis, & certis practicè.

DVBIVM XII.

Proponuntur Argumenta & solutiones contra Conclusionem præcedentis Dubij.

Contrariam sententiã sentiunt Neoterici aliqui, non solùm hominem tutò operari supponens primum iudicium, seù remotum, quod conscientia opinatiua supponit determinatum ad vnam partem, cum formidine radicali, vel etiam cum formidine formali, sed etiam cum iudicium proximum practicum, in quo ipsa conscientia probabilis consistit, non est certum, sed admittit formalem formidinem contrariæ partis v. g., in exemplo posito, sequitur aliquis probabiliorem opinionem, quod mutuans potest exigere lucrum cessans cum formidine contrariæ partis, & in praxi, cum de facto mutuat, habet hanc conscientiã: ex prædicta opinione iudico mihi licere dare mutuum cum tali lucro, sed nihilominùs formido, an peccem dando cum tali conditione. In hoc casu dicit hæc sententia, quod non peccat dando, & exigendo lucrum cessans, non obstante illa formidine, an peccet, nec requirit, quod deponat formidinem, & certò moraliter iudicet, sibi lecere hoc, sententiã hanc primus ex his, quos mihi videre licuit, sequutus est Vasquez *disp. 62. cap. 5.* præcipuè §. *Quare ergò*, & postca Salas *tract. 8. disp. 2. sect. 5.* sed hęc doctrina. Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 9. num 18.* & Corneio *disp. 3. dub. 2. §. Quo posito*, vbi ait, *sententiã hanc esse communem Recentionibus*, sed non est ita, vt videbimus. Pro hac tamèn sententia oposita fit.

Arg. 1. Ad rectè operandum, non est necessarius assensus, seù iudicium euidens, sed sufficit probabile; sed Assensus, seù iudicium probabile secùm adfert formidinem partis contrariæ: ergo ad rectè operandum sufficit iudicium opinatiuum cum formidine aduersæ partis, & sic incertum. Maior videtur certa, primò quia aliàs nunquam posset homo operari iuxtà conscientia probabile, probabiliorem, & probabilissimam, quia nulla ex his attingit euidentiam, sed manet intrà limites probabilitatis. secundo, quia aliàs sæpè homo nõ posset in aliquam partem operari; immò operando, & non operando absque culpa sua peccaret, quia plura negotia sunt sub opinionibus pro vtraque parte, & omninò absque euidentia. Minor verò probatur, quia in hoc distinguitur assensus probabilis ab euidenti, quod euidens excludit omnem formidinem partis contrarię, nequè enim sciens formidat, an res sic se habeat, vel potiùs contrarium sit verum: sed opinans ita adheret suę sententiæ, quod contrarium etiam reputat probabilem, & sic relinquit locum formidandi, an fortè illa sit vera.

Respondetur ad Argumentum, distinguendo illam maiorem, *ad rectè operandum non est necessarius assensus, seù iudicium euidens, sed sufficit probabile.* Si loquaris de assensu, seù iudicio speculatiuo, remoto, & præsupposito ad ipsam conscientia, ex cuius sententia conscientia applicat ad opus, verum est, & ab hoc iudicio conscientia appellatur opinatiua, quia est applicatio opinionis ad vsum concedo maiorem; Si autèm loquaris de iudicio proximo, & practico, in quo conscientia consistit, & quod est regula proxima operis nego maiorem. Ad probationem prima dico, quod si nos poneremus, iudicium remotum debere esse euidens, excluderemus operationem iuxtà conscientiã opinatiuã; sed concedentes iudicium remotum, à quo desumitur proxima, quod est conscientia, sufficere, quod sit probabile, vel probabilius, iam admisimus posse Hominem operari iuxtà conscientiam probabilem, vel probabiliorẽ, quia conscientia est applicatio sciẽtię iudicij præsuppositi ad opus, & ab illa scientia

tia iudicij præsuppositi denominatur conscientia certa, probabilis, vel dubia. Ad secundam probationem nego sequelam, nam cum homo iuxtà sententiam nostram possit sequi iudicium probabile, vel probabilius, ex illo efformando iudiciū conscientię certum, de hoc, quod iuxtà talem opinionem operatur rectè, absque peccato, nunquam potest, manere suspensus, sed operabitur iuxta vnam opinionem, quam elegerit. vno ergo verbo dico, nō sufficere ex parte sciētię præsuppositæ, ad conscientiam probabilem, probabile iudicium, sed requiri iudicium proximum ex illo deductum, in quo conscientia consistit, certum, nam si dubium est, peccat operando.

Sed contra hanc solutionem est argumentum. Ad hoc, quod conscientia opinatiua, seù probabilis sit recta, & opus eius rectum, sufficit ex parte scientiæ præsuppositę seù Iudicij remoti, quod talis scientia, & tale Iudicium sit probabile, nec ex hoc capite requiritur euidentia. Ergò ad hoc quòd cōscientia opinatiua sit recta, & opus eius rectum, non requiritur, quod iudicium proximum, in quo talis conscientia consistit, sit certum, sed sufficiet, quod sit probabile. Antecedens patet; Consequentia verò probatur. Iudicium proximū deducitur ex scientia præsupposita, seu iudicio remoto; ergò si scientia præsupposita, & iudicium pręsuppositum solum est probabile, non euidens, etiam iudicium proximum ab illo deductum, est probabile, non certum. Patet consequentia, quia, vt dicunt dialectici, Conclusio sequitur debiliorem partem, vndè si vna præmissa solùm est probabilis, conclusio non potest esse necessaria etiam si alia præmissa sit necessaria.

Ad hoc Argumentum nego consequentiā. Ad probationem distinguo illud antecedens, *Iudiciū proximum deducitur ex scientia præsupposita, seù ex iudicio remoto*. Si sumas illa scientiam, & illud iudiciū remotum formaliter, hoc est, inquātum affirmat, vel negat aliquid, nego; sic enim solum habet probabilitatem, ex qua non deducitur iudicium euidens, vt argumentum probat. si autem sumas illam scientiā, vel illud iudicium præsuppositum materialiter, inquantum affirmamus, illud esse probabile, verum est, sed sic iam est propositio necessaria, & ex illa educitur iudicium proximum necessarium, quod est conscientia probabilis. Itaquè differentia est intèr has duas propositiones *licitum est mutuanti exigere lucrū cessans*, & propositio quę affirmat, *licitum esse mutuanti exigere lucrum cessans, est probabilis*. Quod prima, inquā illa propositio sumitur formalitèr, solū est probabilis, non euidens; secunda verò est omninò certa, non enim minus certū est, quod propositio probabilis, est probabilis, quam quod propositio necessaria. In nostro ergò casu conscientia probabilis, sui eius iudicium causatur ex hoc syllogismo formaliter, vel virtualiter habito. *Quando non possumus habere euidentiā alicuius rei, sufficit sequi opinionem probabilem, vel probabiliorem; sed quod mutuans possit exigere lucrum cessans, est opinio probabilior, nec eius rei apparet euidentia. ergò hic, & nunc possum ex mutuo exigere licitum lucrum cessans*. In hoc syllogismo omnes propositiones præmissæ sunt euidentes moraliter, & sic etiam conclusio. Quod enim vbi non est euidentia possibilis, possit sequi sententia probabilis, vel probabilior, res omninò certa est moraliter; alias sępè homo absque culpa sua esset perplexus pro vtraque parte. Item quod exigere lucrum cessans pro mutuo sit probabilis imò probabilior sententia, certa etiam est propositio, ex quibus deducitur certa conclusio moraliter.

Dices; estò apud doctos, qui cognoscunt vim prædicti discursus, possit efformari iudicium certū de hoc, quod operando iuxtà conscientiam probabilem rectè operantur quid dicemus de idiotis, qui à doctis informati, quod talis opinio potest sequi, & exigi lucrum cessans pro mutuo, fide humana id credunt, & ex consequenti iudicio fallibili operantur?

Ad hoc tripliciter Resp. Primò, quod isti rudes, maiori certitudine adhęrent his, quæ à doctis instituuntur, existimantes illa esse omninò certa, & licèt Iudicium de rectitudine operationis in eo casu, in se pręcisè consideratum, sit fallibile speculatiuè, eo quod est fidei humanę, sed subordinatū certitudini practicę, quam habet cōsulens doctos ex prædicto syllogismo, censetur iudicium omninò certum. Nam in eo casu ex cōsulente, & consultante fit vnum morale principium integrum, & sic conscientia, vt ab vno emanans in alium, certitudinem desumptam ab alio habet. Sic etiam militans certò procedit, non examinans causam iustam Belli, sed supponens, in Duce, vel Principe, & obediens non examinans Prelati mandatum, vel si est doctus sequens probabilem contra propriam sententiam. Vel si hæc non satisfaciunt. Resp. 2. quod sępè ex principijs incertis adiunctis alijs circumstantijs deduci potest conclusio, quæ licèt, logicè loquende, non sit certa, tamen moraliter loquendo est certa. Sic ex hoc, quod sacerdos baptizauit aliquem, vel consecrauit Hostiam, indubiè tenemus esse baptizatum, & esse Hostiam consecratam, & illam adoramus absquè conditione aliqua, sic absque hæsitatione prudentèr noscimus, esse Romam, & Indiam. Et hæc solutio potest etiam accommodari præcipuo Argumento. Vel Resp. 3. quod, Dicta consulens doctū efformat conscientiā certissimā ex hoc Argumento saltem virtualitèr ab illo efformato. *Ignorans, requirens dictū viri docti, rectè operatur. Ego sic me gero: ergò rectè operor*. In quo omnes propositiones sunt moralitèr certę.

Arg. 2. Formido non est hæsitatio, & dubitatio. licèt ergò non liceat operari cū hæsitatione, & dubitatione, an sit licita operatio; licebit tamen cū formidine. Antecedens probatur dubitare enim, & hæsitare, est pendere intellectum in vtramque partem, & nulli illarum adhærere, vel assensum præbere, quia in nulla illarū apparent conuenientia Prædicati cum subiecto. Formido verò vnius partis non excludit Assensum determinatum ad alteram partem; sed formido in eo solum posita est, vt aliquis per actū reflexum iudicet, rationes illius partis, cuius habet assensum, non esse euidentes, sed tantùm probabiles, & ideo cogitat posse fieri, quod sententia opposita vera sit. Differunt ergò formido, & dubitatio.

Resp. & in primis relinquo hæsitationem, quam Vasq. miscet cum dubitatione, quia cum hæsitatio sit quasi hærens statio, videtur significare statū fixū rationis in dubio, absquè eo, quod in alterā partē declinet, & sic solū cōprehendit dubium negatiuum, cum tamē dubiū habeat maiorē amplitudinem, vt statim dicemus. Ad Argumētum, loquendo solùm de dubio, nego Antecedens,

Ad

Ad eius probationem dico, quod dubitatio vt vidimus sup. habet diuersos gradus, in primo ponitur ea, in qua pendet intellectus suspensus, non adhærens alicui, & dicitur dubitatio priuatiua vel negatiua, eo quod negat assensũ ad alteram partem. In secundo gradu est Assensus opinatiuus, qui licet vni parti prebeat assensum, non tamen certum, sed dubitando, an fortè contraria pars sit vera. Tertius gradus est in scrupulosis. Argumentum ergò solùm meminit dubitationis negatiuæ, quam fatemur non esse in assensu probabili, sed est cum illo, secundus, vel tertius gradus dubitationis, & saltem secundus sufficit ad hoc quod homo sic operans cum conscientia scilicet sic dubia, peccet, vt vidimus loco citato.

Arg. 3. Conscientia probabilis dictans cum formidine partis contrariæ, aliquid esse preceptum, vel prohibitum, obligat ad faciendum, vel vitandum illud; ergò eodem modo conscientia probabilis cum formidine dictans aliquid esse licitum, quod reuera non est tale, sufficiet ad excusandum à peccato, cum quis bona fide, & præmissa debita diligentia operatur conformiter ad talem conscientiam. Patet ista consequentia, quia non plus requiritur, vt conscientia excuset, quam vt obliget: immò videtur minùs requiri, cum Deus sit pronior ad indulgendum, quàm ad puniendum.

Resp. in primis, transeat Antecedens, & nego consequentia plus enim requiritur ad hoc, quod actus sit bonus, quam malus: quia Bonum ex integra causa, malum autem ex quacunque defectu. Et ideò licèt conscientia opinatiua cum formidine partis contrariẹ obliget, & sufficiens sit ad hoc, quod faciens contra illam peccet, sed non sequitur ex hoc, quod sufficiat, vt opus sit bonum. Plus ergo requiritur, vt conscientia excuset à malo, faciendo actum bonum, quam ad hoc, quod condemnet, nec est ad propositum, quod Deus sit pronior ad misereudum, quã ad puniendum; hoc enim intelligitur rebus compętenter se habentibus, aliàs colligeres ex hoc, quod sicut condemnat pro vno peccato mortali absque alijs, saluaret pro vnico opere bono absque alijs.

Arg. quartò ex Corneio. Recta ratio dictat, vnumquemque sic adhærere debere sue opinioni, vt contrarias probabiles aliorum opiniones non parui pendat nec improbabiles iudicet absque fundamento legitimò. ergò, qui iuxta propriã opinionem operatur, non sic debet procedere, vt suam euidentem iudicet, & omninò certam, & contrarias improbabiles: imò potius ità, vt contrarias opiniones, quæ verè probabiles sunt, probabiles reputando, & ex consequenti formidando, ne fortè illæ sint veræ.

Resp. quod Argumentum procedit ex Ignorantia nostrę sententiæ, nos enim non exposcimus ad rectam operationem iuxtà conscientiam probabilem, quod operans suam sententiam existimat rectam, & contrarias improbabiles, immò ponimus, quod reuera cognoscat suam sententiam solum esse probabilem, vel probabiliorem, & contrarias esse probabiles; totum enim hoc pertinet ad scientiam præsuppositam conscientię, & ad primum iudicium; exposcimus ergò vltrà hoc, quod secundùm iudicium, in quo consistit conscientia, sit certum, non de hoc, quod sua opinio est certa, sed de hoc, quod operando iuxtà suam sententiam solùm probabilem, vel probabiliorem, rectẹ operatur, & absquè peccato.

Arg. 5. Si quælibet opinio, & suspicio de probabilitate contrariæ sententiæ impediret, sequi propriam, qua eius actum redderet vitiosum, sequeretur, quod frequenter in nullam partem posset homo operari, & quod scrupulorum nullus esset finis, nam quantò quis est sanctior, & magis Deũ timet, eo plus formidat, ne se exponat periculo peccãdi, iuxtà illud Iob cap. 9 q. 28. *Verebar omnia opera mea*. Ne igitur cogamur concedere hoc inconueniens, non debemus exigere certitudinem in iudicio conscientiæ.

Resp. primò, quod non quælibet formido, & suspicio de probabilitate contrariæ sententiæ impedit sequi propriam, vel addit actum vitiosum, quia vt dix.? ponimus in primo iudicio requisito ad hanc conscientiam id reperiri; cum ergò petimus iudicium certum, loquimur de secundo iudicio, quo iudicat se operando iuxtà suam opinionem rectè operari. Si autem Argumentum procedit de hoc iudicio secundo, nego sequelam, non enim ex hoc sequitur, quod in nullam partẽ possit operari: immò poterit operari iuxtà quãcumque opinionem, quam vt conuenientiorem elegerit, iuxta illam effermando iudicium, quod rectè, & licitè operetur. Nequè ex hoc multiplicantur scrupuli, immò tolluntur, qui enim operatur cum rectitudine de rectitudine operationis longè està scrupulo, fomentato autem scrupulo operatur cum formidine, ac licitè operatur, quod ponit alia sententia.

Arg. 6. iudicium sufficiens ad prudenter agendum, sufficit etiam ad honeste operandum; sed prudens operatio non requirit omnimodam certitudinem: ergò vt honestè operemur sufficit probabilis certitudo, nec requiritur omnimoda. Maior ex eo patet, quod Prudentia est humanarum actionum regula: ergò si illa diriguntur, sunt rectæ. Minor etiam probatur, nam Prudentia requirit possibilem, & moralem diligentiam, sed ad habendam omnimodam certitudinem vix sufficit humana fragilitas, & probabilis cognitio, & certitudo, quam Prudentia exigit, eò quod non est disciplinati ingenij in omnibus, & præcipuè in moribus quẹrere æqualem certitudinem cum ea, quæ est in Mathematicis.

Confir. & declaratur. Arg. iudicium probabile sufficit ad mouendam voluntatem, & etiam ad prudentèr mouendam. ergò ad rectam, & cõnenientem operationem non requiritur iudicium certum. Consequentia est bona, & Antecedens pro prima parte est certum, & pro secunda probatur. Quoniam ad honestè operandum humano modo sufficit quædam moralis diligentia, nec enim semper tenetur homo pręstare summã, quã potest, habere autem in singulis actionibus certitudinem, vel excedit humanam diligentiam, vel summam requirit. ergò ad honestè, & prudentèr agendum sufficit cognitio probabilis, etiam cum alterius partis formidine, vt prudentèr inmediatè dirigat, operationem honestam, aliàs exigimus ab homine, vel impossibile, vel saltem summum, quod potest facere.

Resp. negando maiorem. Ad probationem nego etiam minorem. Nam prudens modus operandi est, quod homo certò cognoscat, se rectè operari, nam operari cum aliquo dubio, an benè, vel malè operetur, imprudentia maxima est, & peccatum, eo quod se exponit periculo peccandi. Quod verò addit non esse disciplinati ingenij in moralibus quẹrere ẹqualem certitudinem, ac

in mathe-

mathematicis libentèr concedimus. Et ideò solum supponimus Iudicij Conscientię certitudinē moralem, cum aliquandò potest compati falsitas speculatiua, vt quando opinio, quam sequitur non est vera: sicut etiam contingit in Adorante hostiam, si ex malitia Sacerdotis, vel negligentia non est consecrata.

Ad Conf. dico primò, quod si loquitur de primo iudicio præsupposito ad dictamen conscientię concedimus iuxta dicta in alijs sup. Conclusionibus sufficere, quod sit probabile, si autem loquamur de secundo iudicio, seù dictamine conscientiæ circa hoc, quod operatio sit recta, nec ne, nego Antecedens pro ea parte, in qua dicit, quod tale iudicium solum probabile, & non certum sufficit ad prudentèr mouendam voluntatem, immò imprudentissimè se mouet ad operandum, dum non certò constat operationem esse licitam. Ad probationem concedo, quod ad rectè operandum sufficit moralis diligentia, ne malè operetur, nequè summa de necessitate requiri: Sed nego minorem, nempè quod habere certitudinem moralem in singulis actionibus, de eo, quod non peccat, excedat humanam diligentiam, vel summam exposcat, imò mediocris sufficit. Nam cum homo mediocri diligentia operari debet, vel cognoscit esse bonum, quod debet operari, vel dubitat aliquo genere dubij, etiam opinatiui, an sit licitum, vel non aduertit omninò, an opus sit rectum, vel iniquum; si hoc vltimum; operatiò non est hominis vt homo est, & sic nec moralis, sed indeliberata: si secundum, non rectè operatur, quia sub dubio; & eadem facilitate potest se habere primo modo excludendo dubium, eò quòd operando iuxtà sententiā probabilem, rectè operatur.

Arg. septimò. Iudicium certum, quod exposcit contraria sententia, est actus reflexus de bonitate operationis hic, & nunc exercitæ cum omnibus circumstantijs. sed durissimum apparet omnes tam doctos, quam indoctos obligare, vt Iudicium omninò certum eliciant de operationis honestate, priusquam licitè possint operari. Raro siquidem homines præsertim indocti reflexionē faciunt supra suam cognitionē, discernendo eius formidinem, & reuocando ad certitudinem: nec ideò iudicandi sunt, peccare.

Resp. concessa maiori nego minorem, nempè, quod durissimum est omnes tam doctos quam indoctos obligare, vt iudicium certum eliciant de operis Bonitate. Nam si talitèr peteremus hoc iudicium, vt explicarent vires eius, & reducerent ad methodum scientificam, & syllogisticam, hoc esset illiteratis impossibile, & onerosum litteratis. Cæterum quando in praxi id exerceant, res est certissima, etiam si valdè rudes sint, sicut, quod in singulis electionibus sit inquisitio, iudicium, consensus, electio, & vsus, itaut hec omnia formaliter distinguantur, & explicitè cognoscantur, res est vel impossibilis, vel valdè onerosa, & tamèn practicè hæc interueniunt in omni electione secundum communem sententiam. Quod verò facillimo negotio id vnusquisque in se practicè exerceat, probatur discursu paulò antè efformato. Nā qui operatur vnus est, vel omninò attendit, an tale opus sit bonum, vel malum moraliter, & sic est operatio hominis, sed non humana, & moralis, bona, vel mala, vt docet S. Thomas in hac parte *quest.* 1. *art.* 1. vel attendit, & tunc vel omninò dubitat, vel dubitat cum assensu opinatiuo ad vnam partem, vel certò iudicat esse bonū, vel malum; tunc autem formalitèr, vel virtualitèr habet actum reflexum semper. Non igitur est res difficilis, vel impossibilis talem actum exposcere; sicut igitur omnimoda dubitatio non sufficit, iuxta omnes vt dispur. seq. videbimus, sic nos ponimus, nec dubitationem cum aliquali assensu sufficere, quia adhuc est dubium de iustitia actus, sed petimus, quod conformando se suę opinioni iudicet, se rectè agere absquè dubio: habere autem hunc actum potiùs quam alium, neque est impossibile, neque durum, sed valdè conueniens.

Arg. vltimò. Hæc conscientia, de qua modò disputamus, est probabilis: ergò non est certa. Patet consequentia, quia conscientia certa, conscientia probabilis, & dubia, sunt conscientiæ: nō ergo debent confundi, vt opinatiua censeatur dubia, & exigatur, quod sit certa. Vel ergò conscientia opinatiua vt opinatiua, & probabilis, sufficit ad rectam operationem, & tunc non est certa, vel non sufficit, sed certa requiritur, & ex hoc sequitur non licere in praxi sequi vnquam opinionem, etiam probabilissimam, quod est contrà omnes.

Hoc Argumentum procedit ex æquiuocatione nominis. Concedimus ergò, quod conscientia, de qua nunc loquimur, est opinatiua, seù probabilis, non vero dubia, vel certa. Pro cuius explicatione Aduerte, quod conscientia est applicatio scientię ad opus, vt ex S. Thoma sæpè, diximus. Qualis ergò est scientia, seù notitia ad conscientiā præsupposita quæ consistit in primo iudicio, talis denominatur conscientia: vndè conscientia, quæ sequitur ad notitiam certam, & veram, dicitur certa, & vera, quę ad notitiam dubiam, dubia. cum ergò conscientia, de qua loquimur, sequatur notitiam opinatiuā, & eam applicat ad opus; ideò dicitur opinatiua, & talis sufficit, vt homò rectè operetur, vt dix. in *sup. dubijs*. Cæterum, quod iudicium proximum, quod applicat opinionem ad opus, debeat esse certum: non extrahit conscientiam à ratione probabilis, quia non indè sumitur denominatio probabilis, sed à scientia, seù conceptu præsupposito, & ideò conscientia opinatiua, quæ sequitur opinionem absque omnimoda certitudine, consistit in iudicio certo de bonitate actus operati, iuxta opinionem probabilem, vel probabiliorem.

DVBIVM XIII.

An Conscientia opinatiua, seù probabilis dictans aliquid prohibitum, vel præceptum, obliget.

Dixi in Titulo, *probabilis*, quia conscientia improbabilis, vel de cuius probabilitate dubitatur, saltem, in materia, quæ concernit peccatum, sequi non potest, eo quod temerè tunc homo, & cum periculo peccandi procederet, de quo postea. Dixi etiam *dictans aliquid tamquam præceptum vel prohibitum*, nam aliàs si solum contineat materiam indifferentem, seù liberam, certū debet esse apud omnes non obligare; si enim cōscientia dictet licitū esse deambulare, aut Ecclesiā visitare absq; obligatione aliqua; quis dicet teneri nos tali conscientiè conformari? Procedit ergò dubium, cum conscientia dictat, nos teneri ad aliquid faciendū, vel non faciendū sub Præcepto.

De conscientia insuper opinatiua probabili circa mate-

ca materiâ præceptam, vel prohibitam possumus loqui dupliciter, secundùm se, seù solitariè: secùdò comparatiuè, ad aliam æquè, vel magis probabilem, & indagando quam ex ôis teneamur sequi. Dicimus ergò nunc de opinione probabili, seù probabiliori secundùm se, in sequentibus verò, de eis differemus comparando vnâ cum alijs. Ex quo patet, quod dubium hoc non est idem cū illo, an vnusquisque teneatur sequi propriâ opinionem, vel relicta illa, amplecti aliam, magis, vel minùs probabilem, vel tutam, de qua Paulò post dicemus. Sed dubium est, an dum semel quis inhæret opinioni dictanti aliquid esse præceptum, vel prohibitum, durante, & non deposita hac opinione, & iudicio conscientię illi conformi, licitum sit contrarium operari? verbi gratia, sentit aliquis opinionem asserentem, non licere confiteri peccata illa, vel circumstantias, ex quibus detegitur persona complicis, vt quod rem habuit cum sorore, vel num, vna tantum existente, ne illam apud confessorem infamet. An ille, dum est in illa opinione, & non transit in aliam contrariam probabilem (quod si non datur confessor habens illarū personarum ignorantiam, potest talia peccata confiteri licitè, non obstante illa infamia) possit non conformari tali conscientię licitè, itaùt licitè confiteatur talia peccata confessario cognoscenti complicem, vel confitendo peccet vtique mortalitèr, quia materia est grauis.

Conclusio est Affirmatiua, & communis: itaquè peccat, qui facit aliquid iudicans practicè illud esse illicitum, prout ab ipso fit, hic, & nunc: quamuis tale iudicium non sit omninò certum, & firmum, sed cum aliquali formidine de opposito, ratione cuius suspicatur, fortassè esse licitum id, quod iudicat illicitum. Probatur conclusio, quia qui operatur contrà huiusmodi conscientiam, nō operatur ex fide, qua credat opus suum esse licitum, ergo peccat: consequentia patet, quia vt suprà dixi ex Diuo Paulo; omne quod non est ex fide; hoc est ex conscientia, peccatum est; Antecedens probatur quia qui ita operatur, reuerà cōtradicit conscientię oppositum dictanti, ergò nō operatur ex fide, sed contrà fidem.

Confir. 1. quia opinans licet habeat aliqualem formidinem de opposito, tamē simplicitèr, & absolutè assentitur suę opinioni, & persuadet sibi eam veram esse: ergò si ex tali opinione practica iudicat oppositum esse illicitum simplicitèr format conscientiam de illa; ergò male facit, non cōformando se tali conscientię.

Confir. 2. quia qui facit id, de quo practicè dubitat, an sit illicitum peccat (vt dicemus disput. sequenti) ergò multò magis peccabit, qui non dubitat, quasi negatiuè se habendo ad vtramque partem, nec illi adhærendo sed positiuè credit, & existimat ilicitum esse id, quod facit, pro vt ab ipso hic, & nunc fit,

Sed contrà hanc conclusionem Arguitur simul cum opinione asserente esse illicitum hoc opus quod hic, & nunc occurrit faciendum; potest stare opinio contraria, etiam probabilis, vel probabilior, quę asserat oppositum, scilicet illud esse licitum, imò etiam præceptum; ergo saltèm in hoc casu non obligabit conscientia opinatiua: patet consequentia, quia stantibus duabus opinionibus contrarijs equè probabilibus, nulla apparet ratio ob quam vna earum sit potentior ad obligandum, quam altera ad excusandum, vel ad obligandum ad oppositum.

Resp. Casum esse impossibilem, quia implicat in eodem intellectu dari simul duas opiniones contrarias tàm practicè, quam speculatiuè: Cuius ratio è, quia cum de ratione opinionis sit Assensus, & adhęsio vni parti contradictionis, quamquam non sine aliquali formidine alterius partis: fieri non potest, vt idem intellectus assentiatur simul duabus contradictorijs vt veris, videlicet istis, illicitum mihi est hic, & nunc facere hoc: prȩterquam quod Assensus vnicus opinionis includit dissensum alterius, & sic simul esset assensus, & dissensus eiusdem propositionis, quod est impossibile; quamuis enim possit quis simul assentiri vni parti, & habere formidinem de contraria propter aliquam rationem inclinantem ad illam, & etiam possit propter rationes vtriusque equaliter pugnantes neutri parti determinatè assentiri, sed assensum suspendere, & dubius manere: quod tamen assentiatur determinatè vni parti, & simul etiam determinatè assentiatur parti contrarię, omninò est impossibile, & ex consequenti, quod sint in intellectu simul duo actus opinionum contrariarum, quid quid sit de habitibus, temporibus diuersis acquisitis. Quod magis videatur vrgere de dictaminibus practicis conscientię opinatiuæ, nam quamuis admitteremus posse esse in eodē intellectu simul duas opiniones contrarias speculatiuè, quarum vna iudicet probabiliter aliquid opus in communi esse illicitum, & altera iudicet idem opus esse licitum, impossibile tamen est omninò, quod practicè, & in particulari iudicet, quis determinatè sibi esse licitum hic, & nunc pensatis omnibus circumstantijs, & opinionibus facere hoc opus. & quod simul etiam iudicet omnibus similitèr pensatis, non esse illicitum, quia in hoc clarior est ratio implicationis.

Sed obijcies primò contrà hanc solutionem, potest quis simul iudicare vtramque opinionem esse probabilem propter rationes, & Auctoritates vtriusque, ad quas simul aduertit: ergò potest vtrique assentiri simul assensu opinatiuo.

Resp. nego consequentiam, aliud enim est cognoscere, & iudicare de probabilitate alicuius cōclusionis; aliud verò opinari de veritate illius, seù assentiri illi probabiliter: sicut aliud est veritas conclusionis, & aliud probabilitas veritatis illius, nam qui opinatur determinatè assentitur vni parti tamquam veræ iudicando absolutè illam esse veram, licèt cum formidine alterius partis qui autèm cognoscit probabilitatem conclusionis, non ideo assentitur illi determinatè vt veræ, sed solum assentitur illius probabilitati, iudicans illam esse probabilem: Assensus autem, quo quis iudicat hanc, vel illam conclusionem, aut opinionem esse probabilem, non semper est opinatiuus, aut formidolosus, sed sępissimè est certus, & euidens.

Objicies secundò, ex hoc sequi numquam posse aliquem operari contrà propriam opinionem, sequendo alienam, quantumuis probabilem, quod esse falsum, constat experientia, Resp. ita esse, nisi propriam conscientiam opinatiuam deponat, & contrariam de nouo concipiat, vt explicab. inf.

Obijcies tertiò, conscientia opinatiua, erronea dictans aliquid esse licitum, non excusat à peccato eum, qui iuxtà illam operatur; ergo eadem conscientia non obligat: patet consequentia, quia nō potest obligare ad peccandum. De materia huius obiectonis agemus *dubio sequenti*.

DVB. XIV.

DUBIUM XIV.

An Conscientia opinatiua, seù probabilis excuset à peccato; itaùt conformando Homo se illi, nunquam peccet.

IDem est, ac si inquiramus, an qui sequitur propriam, vel alienam opinionem vt rectè operetur, debeat carere omni formidine, vt in casu, quo adhibuit debitam, & prudentem diligentiā, vt sciret, An contractus v. g., quem vult facere sit licitus, & ea adhibita, persuadet sibi bona fide, cum aliquali tamen formidine, quod omnibus pensatis, est sibi licitum facere talem contractum, an scilicet excusabitur iste à peccato faciendo contractum illum, quamuis reuerà talis contractus esset illicitus; an verò, vt licitè faceret, deberet deponere formidinem.

Pro cuius Resolutione suppono, quod Assensus opinatiuus, quamuis sit determinatus ad alteram partem, itaùt excludat dubitationem, & hæsitationem, seù suspensionem iudicij; tamèn aliquando potest esse cum formidine, & aliquando sine ea, nam licèt formido proueniat radicalitèr ex eo, quod iudicium opinatiuum est fallibile, & cui potest sub esse falsum, qua ratione formido radicalitèr sumpta pertinet ad essentiam opinionis; proximè tamèn prouenit ex eo, quod intellectus actu quodam reflexo iudicet rationes illius partis, cui opinatiuè assentitur, nō esse euidentes, sed solùm probabiles, & ità dicit fortassis, non esse verum, quod iudicaui, ex quo iudicio reflexo sequitur formido: cum autèm hoc iudicium reflexum sit liberum, fieri potest, vt vel ex maximo affectu voluntatis ad eam partem, de qua habetur opinio, vel quia res est communissima, vel alia causa non fiat, & sic detur Assensus opinatiuus sine actuali formidine, imò cum maxima certitudine morali respectu ipsius opinantis; qua ratione dixit Aristoteles 7. ethicorum cap. 3. *sæpè euenire, vt Homines tenacius, & firmius adhæreant falsis rumoribus, & opinionibus, quā viri sapientes scientijs, & certissimis veritatibus.* quo posito; sit.

Conclusio; conscientia opinatiua erronea dictans esse licitum, vel obligatorium, id, quod reuera prohibitum, & illicitum est, excusat à peccato, etiam si tale dictamen sit cum aliquali formidine oppositi. Ita Vasquez 1. 2. *disp. 62. cap. 4. 5.* & communiter Recentiores: quæ intelligēda est, quandò talis conscientia non prouenit ex ignorantia crassa, aùt errore culpabili, nā tunc non excusat (sicut dictum est) de conscienti erronea.

Probatur, quia huiusmodi Conscientia dictans aliquod esse præceptum: vel prohibitum, obligat ad faciendum, vel vitandum illud (vt dictum fuit dubio præcedenti) ergò eadem cōscientia dictans aliquid esse licitum, quod reuera nōn est tale, sufficit ad excusandum à peccato eum, qui bona fide, & premissa debita diligentia operatur conformitèr ad talem conscientiam, & non sit operaturus, si sciret id non sibi licere: patet ista consequentia, quia non plus requiritur, vt conscientia excuset, quam, vt obliget, imò videtur minus requiri, cum Deus sit pronior ad indulgendum, quam ad puniendū. Conf. 1. quia recta ratio dictās vnumquemque sic debere adhærere suę opinioni, vt aliorum opiniones non irrideat, sed vt eas probabiles habeat, ergò qui iuxtà propriam opinionem operatur cum formidine, & suspicione veritatis aliarū, non peccat. Conf. 2. quia si quęlibet formido, & suspicio de militia operis obligaret ad non faciendum illud, sequeretur nullum esse scrupulorum finem; nam quo quis est sanctior, & magis timoratus, & plus formidat de suis operibus Iob. *q. 18. Verebar omnia opera mea.*

Oppositam sententiam docuerunt Caiet. *tomo 1. opuscul. tract. 31.* qui est *decem, & septem Responsionum Respons. 13. quæsito vltimo, & in sūma, verbo, opinio*, Adrianus *quod libito secundo art. 1.* Armilla *verbo, opinio;* Cordua *lib. 3. quæst. 5.* Nauarrus. *cap si quis, de pænitentia, distinct. 7. num 58. 61. 62. 63* & videatur Diuus Thomas, *quodlibeto 8. art. 19.* qui asserit peccare eum, qui facit aliquod opus, quod quamuis opinatur non esse peccatum, formidat tamèn an sit peccatum, nam vt rectè operemur, inquiunt, necessarium est sequamur iudiciū conscientiæ certum, & firmū de honestate actionis sine aliqua formidine.

Huius sententię fundamentū est, quia non credit certò & absque formidine opus suum non esse peccatum, sed tantùm id sibi persuadet opinatiuè, & formidolosè, exponit se periculo peccandi, ergò peccat: patet consequentia ex illo Ecclesiastici *3. qui amat periculum, peribit in illo.* Cum igitur teneatur Homo suis operibus cauere omne periculum peccandi, debet excludere omnes formidines peccati. Confi. quia qui facit aliquod dubitans, an sit peccatum, peccat (vt dicemus disput. sequenti) ex eo solum, quia exponit se periculo peccandi: ergò similitèr peccat, qui facit idem opus, formidans, an sit peccatum: patet consequentia, quia vtrobique exponitur eidē periculo.

Resp. locum Ecclesiastici solùm ostendere peccare eum, qui exponit se speciali, & proximo periculo peccādi; in eo autem qui in casu nostrę conclusionis probabiliter existimat opus suum omnibus pensatis esse licitum, nullum est tale periculum; sed si quod periculum ibi interuenit, est nimis generale, & remotum, quod non potest moraliter loquendo à nobis vitari, dum viuimus, iuxtà illud Psalm. 18. *delicta quis intelligit?*

Ad Confi. nego consequentiam; & Ratio discriminis inter conscientiam dubiam, & opinatiuam formidolosam est, quod qui dubitat, an opus, quod facit, pro vt ab ipso hic, & nunc fit sit peccatum, ex propio modo se habendi, non magis tendit in bonum, quam in malum, quia nō habet iudiciū determinatū de bonitate suę operationis, & sic meritò imputatur illi ad peccatum opus, quod facit, quia manifestè exponit se periculo proximo peccandi; ille verò qui opinatur non esse peccatum speculatiuè, ac certo practicè illud quod facit, quamuis de opposito formidet, determinatè tamèn iudicat opus suum esse licitū, & bonum, ideò ex modo se habendi tendit in bonum; nec est, cur sibi imputetur ad peccandum, quamuis id cum aliquali formidine faciat, quia hec formido non est dubitatio (vt dictum est) nec D. Thom. loco cit. docuit oppositum, quia intelligendus est, quandò opinans proptèr varietatē opinionū manet dubius de probabilitate suæ opinionis: in quo casu certū est, non posse licitè sequi suam opinionem, nisi talem dubitationem deponat, vt exponit Medina 1. 2. *quæst. 19. art. 6. in illo dubio*, cuius titulus est; *An liceat facere contrà propriam opinionem.*

Sed objicies, ex hac doctrina sequi, licere vnicuique pro suo libito sequi quamlibet opinionem, quod videtur absurdum: sequela patet, quia cōscientia opinatiua nihil aliud est, quam applicatio

 opinionis

opinionis ad opus, vt ex D. Thom. dix. sup; ergò si licet in praxi sequi conscientiam opinatiuam licebit etiam eligere quamcunque opinionem: absurditas verò consequentis probatur, quia cũ in rebus moralibus ferè omnia sint in opinione, si licitum est sequi quamcunque voluerit, nulla erit firma, & certa regula de agendis; sed relinquendum est Arbitrio cuiusque, vt pro sua electione operetur nunc secundum vnam, nunc secundum aliam opinionem, ex quo maxima sequeret. morum perturbatio. Materia huius Argumenti multa tangit, quę postulant explicari per sequentia dubia.

DVBIVM. XV.

An semper in praxi teneatur vnusquisque sequi propriam opinionem, an aliquandò possit vel debeat sequi alienam.

PRo explicatione notandum est in duplici sensu possumus pręsentem difficultatem enodare. Prior est, an semper in praxi debeamus sequi propriam opinionem, an aliquandò possimus relicta propria opinione, tàm speculatiuè, quam practicè transire ad alienam, itaut illam propriam faciamus, & sic iuxta illam operemur. Posterior sensus est; an retenta propria opinione, tàm speculatiuè, quam practicè, idest, retenta propria opinione, & conscientia iuxtà illam efformata, simùl possim contrariam opinionem probabilem, vel probabiliorem, quam reuera non facio propriam, licèt reputem probabilem, sequi, efformando conscientiam iuxtà illam verbi gratia, opinatur quis contractum aliquem esse vsurarium, & habet hoc iudicium conscientię, iuxtà meam sẽtentiam peccatum est celebrare contractum hunc: scit nihilominùs, opinionem esse verè probabilem multorum sufficientibus fundamentis fulcitam, esse contractum licitum, an possit simul hac opinione efformare conscientiam dictantem, licet mihi celebrarę contractum hunc iuxtà hanc sententiam aliorum probabilem, quam modò volo sequi, quia licet mihi sicut & alijs sequi sententiam verè probabilem in praxi. dicemus ergò priùs de dubio in priori sensu, & posteà decidemus illud in posteriori.

Conclusio; potest quilibet tuta conscientia, relicta propria opinione sequi aliam verè probabilem, quam iuxtà ea quæ posteà dicemus vnusquisque potest sequi. Itaque propria opinio nõ impedit, quo minùs tàm physicè, quam moralitèr licitè possit illam mutare, & in aliam verè probabilem, & in exercitio sequendam transire. Hęc conclusio si intelligatur de opinione probabiliori, & tutiori omnibus debet esse communis, quia omnes concordant opinionem probabiliorẽ, & tutiorem ab omnibus posse sequi; de hoc tamẽ dicemus dubijs sequentibus. Videantur de nostra conclusione Medina *quæst. 19. art. 6. q. 5.* ex his, quas ipse disputat, præcipuè *conclusione secunda* Vuasquez *disput. 62. cap. 4. §. Veram igitur*. Montesinos *q. 6. art. 6. dub. 6. §. ex dictis sequitur*, & Corneio *disp. 3. dub. 3. §. sed quia difficultas*, Probatur quia, tam in speculatiuis, quam in practicis vnusquisque relicta propria opinione potest, & aliquandò debet incipere sequi alienã, dummodò habeat sufficientem probabilitatem. Ergò absque vllo peccato, vel inconuenienti potest Homo opinionem moralem mutare, & alienã conuenienter fundatam sequi. Antecedens probatur primò ex illo, *sapientis est mutare consiliũ*. secundò probatur à priori, nam opinio non totalitèr conuincit intellectum ad vnam partem; ergò non impedit, quominùs, sicut à principio potuit sequi sententiam speculatiuam, vel practicã, physicam, vel moralem, ex principijs conuenientibus, ità nunc aliam sequi possit ex similibus principijs, nec potest ex cogitari vndè proueniat tale impedimentum.

Opposita sententia asserit non licere habenti vnam opinionem in materia peccati, asserente esse peccatum, relicta illa operari iuxtà opinionem alienam contrariã est sententia aliquorũ, inter quos videntur esse Adrianus *quodlibet 2. in tertio puncto*, & Corduba *lib. 2. quæst. 3.*

Arg. 1. agere cõtra propriam conscieniã opinatiuam in materia peccati, est peccatum. Sed agere contrà propriam opinionem, est agere contra propriam conscientiam: Ergò est peccatum. Maior patet: Minor probatur: nam ex propria opinione oritur propria Conscientia opinatiua; qui ergò agit contrà propriã opinionem in materia peccati, est peccatum, quia facit contrà propriam conscientiam opinatiuam.

Conf. si quis opinatur cibum esse prohibitum, & manducat illum, peccatum committit, vt docet S. Paulus *ad Rom. 14.* à nobis adductus, & explicatus disp. præcedenti ergò idem est, si opinans aliquod esse prohibitum, illud facit, sequens alienam opinionem.

Resp. distinguendo illam minorem: *Sed agere contrà propriam opinionem, est agere contrà propriam conscientiam*. Si retenta propria opinione, & manente conscientia ex illa deducta, contrariam operetur, transeat; non enim est ad intentum? Si verò relicta priori opinione, & deposita conscientia illius, alia, quæ de nouo efformatur, operetur, quo sensu nunc loquimur, nego, quia tunc non manet conscientia illa, contrà quam, debeat esse opus pręsens, nec contrà hoc aliquod probat Argumentum. Hæc Responsio impugnat Argumentum, quatenus militat contrà conclusionem nostram in primo sensu sumptam.

Vt verò Argumentum militat contra illam in secundo sensu, & intendit probare quòd simul cũ iudicio conscientiæ propriæ opinionis, non liceat operari iuxtà secundam. Respondetur illam minorem. *Agere contrà propriam opinionem, est agere contra propriam conscientiam*. Si non habeat aliam conscientiam, iuxtà quam agat, verus est, & tunc est peccatum, sic què intelligi debet. Sed cum simul cum conscientia propriæ opinionis, habet conscientiã opinionis contrariæ, & iuxtà illam operatur, non simplicitèr agit contra propriã conscientiam, quia ista secunda etiam est propria, licèt agat contra eam consientiã, quam ex propria opinione formauerat. Vel dicito, quod cum dicimus esse peccatum agere contra propriã conscientiam, intelligitur dato, quod sit vnica solum conscientia circa illud, & non duplex, vt in præsenti, vel quod ità debet esse contra propriã conscientiam, vt non sit iuxtà aliquam appropriatam. Vel tandem dicendum, quod in nostro casu non agit contra conscienriam, sed iuxtà illã, quia iudicium conscientiæ est, quandò sunt duæ sententiæ verè probabiles, licèt agere iuxtà quãlibet.

Ad Conf. Resp. quod qui opinatur cibum esse prohibitum, & manducat illum, peccat iuxta S. Pau-

Paulum loco in Argumento citato, si non habet scientiam probabilem, vel certam de eo, quod nō peccat, vndè ibidem ostendit, quod cognoscens posse licitè manducare, non peccat. In præsenti ergo ponimus, vel quod deponit illam opinionē, inducentem ad peccatum, vel simul induit aliam, iuxtà quam licitè potest manducare, vel oppositum prioris sententiæ, sit, facere.

Arg. 2. Vt aliquibus videtur, non licèt sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, quos referemus dub. 19. huius disp, sed propria opinio habenti illam semper est probabilior. Ergò in opinione eorum numquam licet relinquere opinionem propriam, & sequi alienā quantocunquè probabilē, vel probabiliorem. Minor probatur, quia regulariter saltem Ingenia rectè disciplinata, amplectuntur, veras essentias, quas probabiliores cæteris iudicant.

Resp. primò quod illa opinio semper, & in omni materia, sequendam esse opinionem probabiliorem, non omnibus placet de quo agemus infra. Secundò Resp. quod ad huc data illa opinione, & concessa maiori distinguo illam minorem. *Proponit opinio habenti illam semper, vel regulariter est probabilior*. Tempore, quo eligitur, transeat tempore, quo comparatur alijs, nego id semper contingere, sed potest tunc ex nouis rationibus opinio aliena apparere, vel æquè probabilis, vel probabilior, & sic poterit, vel simul assentiri vtriq; vel propria relicta assentiri alienę.

Arg. 3. nullus potest rectè operari, quādo iudicare nequit licitū esse, id quod operatur, siquidem recta operatio humana ex recto Iudicio conscientię pendet. Sed nemo cōtrà propriam opinionem, iuxtà quam existimat aliquid esse peccatū, potest iudicare, illud esse licitum, & rectum. ergò cōtrà propriam opinionem nullus potest rectè operari. Minor probatur, nam alias in eodem Intellectu essent assensus contradictorij, quod scilicet eadem actio sit peccatum, & non sit peccatum.

Resp. iuxtà vtrumque sensum, nego minorem ad eius probationem iam constat ex supradictis, quod licet inter has propositiones, *hoc est peccatū, non est hoc peccatum* sit contradictio, vel contrarietas, sed non inter has; *probabile est esse peccatum, & probabile est non esse peccatum; vel iuxtà hanc opinionem probabilem est peccatum, & iuxtà aliam probabilem non est peccatum*, quia vtraque propositio est Affirmatiua, Et iste vltimæ sunt, quę pertinet ad Conscientiam opinatiuam, nam priores pertinent ad conscientiam certam.

Arg. 4. non licet agere contrà conscientiā dubiam sed plus est agere contrà conscientiam probabilem, quam contrà dubiam; Ergò non licet agere contrà propriam conscientiam probabilem, sequendo opinionem probabilem alienam Maior ostendetur à nobis disput. sequēti, & Minor probatur, quia conscientia dubia non habet assensum contrarium, sed conscientia opinatiua probabilis habet assensum ad vnam partem, licèt cumformidine alterius, sentit enim determinatè, quod contrarium agere sit peccatum, quod est plusquam dubitare, an sit peccatum.

Resp, concedendo totum argumentum, & nego, quod sequi opinionem contrariam, sit agere contrà propriam conscientiam. Nam si relinquit propriam opinionem, & transit in contrariam, illa efficitur propria, & operatur iuxtà illam: si verò retenta propria opinione, & conscientia, induit etiam conscientia contrarię probabilis opinionis, tunc ista est etiam propria conscientia, & sic est iuxtà propriam. Vel conscientia est, simul posse licitè sequi vtramque sententiam, nam simul non habemus duos assensus, non est contrà hanc conscientiam, sed iuxtà illam, sequi quamcunquem. Vide dicta solutione ad Primum.

DVBIVM XVI.

An retenta propia opinione tam speculatiuè, quam practicè possit admitti contraria sententia tam speculatiuè, quam practicè.

Difficilior est Resolutio disputādo dub. in sensu posteriori nempè, an retenta propia opinione tam speculatiuè, quam practicè. hoc est tam in speculatiuo, seù disputabili, quam in esse practico, seù in assensu, & iudicio practico efformato ex illa opinione, in quo consistit essentialiter conscientia: *verbi gratia illicitum est mihi hic, & nunc operari hoc opus*; possit admitti cōtraria sententia, tam speculatiuè assentiendo eius probabilitati, quàm practicè efformando iudicium cōscientiæ, quo statuamus hoc idem opus licere.

In hac re est prima sententia, quod retenta propia sententia speculatiuè, vel practicè est impossibile, quod assentiamur sententiæ contrariæ, atquè adeò casus, de quo disputamus, est impossibilis, & sic videtur intelligenda sententia Adriani, & Cordubæ supra relata.

Fundamentum sententiæ huius præter argumenta, Dub. anteced. posita est, vt iste, qui habet vnam sententiam probabilem, operetur iuxtà aliam probabilem, vel probabiliorem, debet ei assentiri tàm speculatiuè, quam practicè: ergò nequè speculatiuè, neque practicè potest retinere iudicium propiæ opinionis, sed illud debet euacuari alijs de alia opinione aduenientibus. Patet cōsequentia, quia aliàs haberet duos assensus contradictorios simul,

Secunda sententia est, quòd cum assensu speculatiuo propriæ opinionis, quo homo assentitur vni opinioni, vt verè probabilitèr, potest esse assensus similitèr speculatiuus, quo assentitur oppositæ sententiæ probabili, etiam probabilitèr: stantibus ergò his duobus assentibus speculatiuis, potest homo suspendere iudicium practicum conscientiæ, quod poterat inferre ex propria opinione, & efformare iudicium practicum conscientiæ, deductum ex assensu speculatiuo alienæ opinionis, quo determinet hic, & nunc licere sibi operari sequendo illam. Sed est impossibile, quod retenta propria opinione, tàm speculatiuè, quam practicè, hoc est perseuerante eodem assensu, quo intellectus adhæret vni parti, videlicèt negatiuæ, & perseuerante eodem iudicio practico, in quo consistit dictamen conscientię eiusdem partis negatiuæ, verbi gratia, quod non licet mihi hic, & nunc facere hoc, simùl possimus habere, non solum assensum speculatiuum contrariæ sententię sed etiam practicum, quo cōscientia iudicat, quod licet hic, & nunc facere illud idem, hoc enim implicat. Sententiam hanc habet Corneio *disp. 3. dub. 2. in prima, & secunda Conclusione*. Et quod non licet contra opinionem propriam operari, docet Antonius Perez *certamine 10. scolastico cap. 9. a num. 54.*

Primam

Primam partem probat, quia illi duo assensus speculatiui duarum contrariarum sententiarum probabilium non sunt contradictorij, ergò non implicat, quod sint simul in eodem intellectu. Antecedens probatur, nam vnus est de veritate partis negatiuæ, & alter non est de Veritate, sed de probabilitate partis affirmatiuę.

Secundam autem probat, quia tunc haberet intellectus duo iudicia conscientiæ cõtradictoria, & implicantia esse in eodem intellectu videlicet: non licet mihi hic, & nunc facere hoc, quod videtur impossibile.

Tertia sententia concedit quidem in eodem intellectu duo iudicia tam speculatiua, quàm practica duarum oppositarum sententiarum propriæ, & alienæ, sed addit non posse deduci hæc duo iudicia ex principijs intrinsecis, sed si iudicium vnius sententię sunt intrinseca principia, iudiciorum alterius non possunt esse intrinseca, sed debent esse extrinseca. Pro quo aduertunt Auctores sententiæ huius, quod principia, ex quibus deducimus sententiam aliquam esse probabilem, sunt induplici differentia, quędam extrinseca, vt est grauitas, authoritas, & literatura, & similia illorum Auctorum qui professi sunt sententiam illam; alia verò sunt intrinseca, videlicet tam rationes à priori, quam à posteriori, à causa, vel effectu, ex quibus deducũtur circumstantię incõuenientia, quæ ex contraria sententia sequuntur, & reliqua excepta auctoritate illorum, qui illã professi sunt. Dicit ergò hęc sententia, quod si quis habet propriam opinionem deductã ex principijs intrinsecis, & iuxtà illam iudicium conscientiæ, quod non potest contrarię assentiri iudicio speculatiuo, & practico, ex eisdem principijs intrincecis, id enim inuoluit contradictionem, benè verò ex principijs extrinsecis, hoc enim tollit contradictionem, quia illa iudicia sunt respectu diuersorum. Et è contra dicit, quod si propria conscientia habetur ex principijs extrinsecis, potest assẽtiri vtroque assensu alienæ ex principijs extrinsecis. sententiam hanc tenet Vasquez *disput. 62. cap. 2. §. tertiò obseruandum*; & Azor *tomo 1. lib. 2. cap. 16. q. 2. & 3. & cap. 17. q. 1.*

Prima conclusio. Probabile est, quod retenta propria sententia saltem speculatiuè ex aliena sẽtentia, quam probabilem in exercitio reputamus, efformemus iudicium conscientiæ, quod licitum est hic, & nunc operari iuxtà aliam, ad minus suspendendo pro tunc iudicium conscientiæ iuxtà propriam sententiam, ne sint duo iudicia practica contrariarum sententiarum simul, videlicet: non licet mihi hic contractus, & licet mihi hic contractus. conclusionem hanc tenent Auctores secundæ, & Tertiæ sententiæ; sed est contra primam.

Probatur primo, nam illi duo Assensus speculatiui duarum sententiarum oppositarum, proprię, scilicet, & alienæ, non sunt contradictorij, vel cõtrarij. ergò possunt de facto esse in eodem intellectu. Consequentia est bona, quia si non sunt contradictorij, vel contrarij, non apparet, vndè possit repugnare, ne sint simul. & Antecedens probatur, non illa ratione, quam ex Corneiò retulimus probando primam partem secundę sentẽtiæ, nempè, quod vnum iudicium est veritatis propriæ sententiæ, alterum probabilitatis alienæ, hoc enim discrimen verum nõ est, Nam iudicium speculatiuũ proprię sententiæ, quo iudicatur vera, non absolutè est veritatis, sed veritatis probabilis cũ formidine alterius partis, aliàs illa non esset opinio. & iudicium, quo assentiamur contrarię sententiæ, etiam est veritatis non absolutę, sed probabilis. iudicamus ergò illã esse verã probabiliter; ergò nullum est discrimen à Corneio constitutum.

Probatur ergò Antecedens primò. nam iudicium, quo assentitur proprię sententiæ probabili, non est iudicium veritatis simpliciter, aliàs non esset opinatiuus, quia omninò excluderet formidinem alterius partis, sed est iudicium veritatis probabilis. Et similiter iudicium speculatiuum, quo assentior contrariæ sententiæ probabili alienæ, non est veritatis simpliciter eadem ratione, sed veritatis probabilis; sed hæc duo iudicia veritatis probabilis harum diuersarum sententiarũ non sunt contradictoria. ergò iudicia speculatiua diuersarum sententiarum probabilium, neque sunt contradictoria, nequè contraria. Minor probatur, nam isti Assensus, seù ista iudicia, non sunt contradictoria, neque contraria. *Hæc mea sentẽtia est vera probabiliter: & hæc contraria, & aliena sententia est vera probabiliter*, cum simul possim iudicare, & assentiri huic propositioni. Omnes duę, vel tres sententiæ, quæ versantur circà hanc rem sunt probabiles, id quæ viri doctissimi sæpè simul concedunt. Habent ergò Assensum, quod omnes illę habent Veritatem probabilem, non certam, sic enim solum in vna potest reperiri, si contrariæ sunt, & vna affirmat, alia negat. Et Confirmatur, nam licet nullus possit assentiri propositioni affirmatiuæ, & negatiuæ circa idem, v. g. his duabus propositionibus. Aqua maris excedit in altitudine omnes partes Terrę, & probabile est, quòd aqua maris non excedit omnes partes terræ inaltitudine quis ergò neget aliquem verè assentiri vtriquè propositioni, dicendo, vtraquæ est probabilis, vel vera probabiliter. Et Ratio euidens à priori est, quod illę duę propositiones neque sunt contrariæ, nequæ contradictoriæ, cum vtraque sit Affirmatiua probabilis, & negatio se teneat, non ex parte totius propositionis, sed vnius extremi.

Secundò probatur Antecedens. In aliquibus casibus tenetur homo sequi contrariam opinionem, sed in his casibus non relinquit propriam, ergò non est repugnantia, quod retenta propria opinione, contrariam iudicet probabilem, & operetur iuxtà illam. Maior probatur, nam in casu, quod Pænitens tenet iuxtà probabilem opinionẽ contractum esse licitum, & intendit illum exercere, confessor tenens contrariam opinionem, tenetur absoluere illum conformando se cum illa sententia probabili. & itèm in Casu, quod Prelatus, pręcipit aliquid, quod iuxtà probabilem illius sententiam est licitum; sed subditus iuxtà propriam opinionem iudicat illicitum, tenetur subditus conformare conscientiam suam opinioni Prælati, & obedire, vt inf. videbimus. ergò aliquãdo renetur sequi contrariam opinionem. Quod verò tunc non teneatur propriam deserere, res est manifesta; Primò quia non apparet vndè oriatur talis obligatio. secundò, nam quis dicet, quod confessor conformans se opinioni Penitentis, relinquere tenetur propriam. Tertiò, quia experientia constat, quod in dicto absoluente manet eadem opinio, quæ antè, etiamsi conformet se opinioni Pænitentis, & similiter in subdito.

Secunda conclusio. Possibile est, quod retenta propria sententia tàm speculatiuè, quam practicè, hoc est: retento iudicio de eo, quod illa sententia est vera probabilitèr, & retento iudicio practico

eius,

eius, nimirum, quod licet hic, & nunc operari iuxtà illam sententiam, quis assentiatur simul alienæ contrariæ sententiæ probabili tàm iudicio speculatiuo, quo iudicet illam esse probabilem, seù veram probabiliter, quam iudicio practico, quo iudicet licitè se posse, hic, & nunc operari iuxtà illam. v. g. tenet aliquis hanc sententiam probabilem, quod aliquis contractus non est licitus, sed Vsurarius, & simul scit esse contrariam sententiã, nempè esse licitum, non minus probabilem hic potest habere hęc duo iudicia speculatiua, vtraque est vera probabiliter, seù est probabilis: & hęc duo iudicia practica, iuxtà vtramque possum hic, & nunc licitè operari, iuxtà propriam non celebrando talem contractũ, quia Vsurarius. & iuxta secundam celebrando, quia non est Vsurarius, & iuxtà quodcunque ex his iudicijs conscientiæ opinatiuæ operetur, licitè operatur, vt infrà videbimus. conclusio hæc est contrà secundam partem secundę sententiæ.

Probatur eisdem Argumentis, quibus pręcedens conclusio, non enim minus probant hanc de iudicijs practicis, quam illam de iudicijs speculatiuis, neque enim est maior repugnantia intèr hæc duo Iudicia practica, quam inter speculatiuã quia etiam hęc duo Iudicia practica non sunt cõtraria, nec contradictoria, licitum est mihi operari iuxtà propriam sententiam, eo quod probabilis: & licitum est mihi operari iuxtà alienã, eo quod est etiam probabilis, cum vtraque ex his propositionibus sit Affirmatiua, & insuper in casibus secundi Argumenti tenemur conformari in praxi, & iudicio practico dirigente illam, cum opinionę Confitentis, vel Prælati, potiusquam cum speculatione, & iudicio practico proprię sententiæ.

Tertia Conclusio. non solùm possunt esse simul in eodem intellectu duo iudicia tàm speculatiua, quam practica duarum sententiarũ oppositarum, propriæ videlicet, & alienę, quandò vnius opinionis Iudicium deducitur ex principijs intrinsecis, & iudicium alterius ex principijs extrinsecis, sed etiam si vtriusque opinionis iudicia deducentur ex principijs intrinsecis, vel extrinsecis. Hæc est contrà sententiam, & positionem Gabrielis Vasq. sed nobiscum contrà illam tenent Thomas Sanchez *lib. 1. decalogi, cap. 9. num 12.* Layman *lib. 1. tract. 1. §. 2. num* 5. & Lugo *in tractatu de conscientia cap. 3. in principio, nu. 3.*

Probatur, quia, quod ex principijs intrinsecis, seu etiam ex extrinsecis deducatur vtraque, non ponit aliquam repugnantiam. ergò sine causa negatur. Antecedens probatur, nam hæc repugnantia non continetur in ipsis iudicijs deductis circa vtramque sententiam, siuè sint Iudicia speculatiua, siuè practica, & probatum est in duabus conclusionibus præcedentibus, neque prouenit ex hoc, quod vtrumque iudicium vtriusque opinionis procedat ex principijs intrinsecis, cum pro vtraque sententia sint varię rationes, quæ sunt principia intrinseca, Vel deducuntur ex extrinsecis, cum vtriusquè sint Patroni, vt experientia videmus. Ergò voluntariè ponitur, quod iudicicium vnius debet deduci ex principijs internis, alterius verò ex externis. Sed ideò Vasquez excogitauit hoc effugium, quia existimauit absque hac differentia principij Assensus illos esse contradictorios, & repugnantes, quod falsum est, vt ostensum manet.

Prima sẽtẽtia relata *in principio dubij*, si intelligatur in posteriori sensu reiecta est à nobis conclusione secunda; Ad eius fundamentum concesso Antecedenti, nego consequentiã. Ad probationem ex dictis satis apparet quod illi duo assensus diuersarũ opinionum, siuè speculatiui siuè practici sint, non opponuntur aliquo genere contradictionis, ratione cuius non possint esse simul in eodem intellectu. Et per hoc idem patet ad fundamentum aliarum opinionum, in quantum nobis aduersantur, omnes enim pro fundamento habent, quod Assensus diuersarum sententiarum, siuè speculatiui sint, siuè practici, ad inuicem repugnant in eodem Intellectu.

DVBIVM XVII.

An semper teneamur sequi opiniones probabiliores vel possimus operari iuxtà æquè, vel minus probabiles.

PRima conclusio: si opiniones sint ęquè probabiles, licet cuilibet eligere, quam voluerit, & iuxtà illam efformare conscientiam, seù iudicium practicum, quod licitum est iuxta illam operari, & licitè operabitur.

Probatur primò Auctoritate, docent enim illã Sanctus Antoninus prima parte *tit. 3. c.* 10. *dub.* 1. Adrianus *quodlibeto 2, art. 3. & in materia de restitutione, longe post medium §. dicendum est* Soto *lib. 3. de iustitia, q. 6. art. 5. circa solutionem ad 4. & in 4. dist. 18. q. 2. art. 5, circa solutionem ad 5.* Medina *1. 2. q. 19. art 6. q. 5.* ex his, quas disputat, pręcipuè in fine. Suarez *1. 2. disp. 12. sect. 6, nu. 6.* Salas *disput. vnica de conscientia, sect. 5. concl. 2. post medium;* Aluarez *disput. 80. § secundò supponendum,* Montesinos *disput. 29. q. 5. §. 2. versu dico secundò* Martinez *q. 1. a. 6. conclus.* 1. Cornejo *disp 3. dub. 4. in principio.* Quod si Caietanus *in summa, verbo opinionis, rursus,* & Syluester *vers. opinio, q. 1. & 2.* Armilla *eodem verbo,* & Nauarus *in summa, cap. 27. n. 286.* & Henricus *quodlib. 4. q. 33.* viderentur negare posse aliquam ex prædictis opinionibus sequi, loquuntur, dum Homo dubius est, iuxtà quas possit licitè operari. nam si ex qualibet informetur conscientia, & habeat hoc iudicium practicũ, licet mihi hic, & nunc operari iuxtà quamcunque ex illis, non negant posse sequi, vt ex eorum rationibus satis elicitur.

Secundò probatur ratione, quia istæ duæ opiniones, vt supponimus, sunt ęquè probabiles, etiam practicè. Ergo poterat voluntas eligere, quam maluerit, & sequi tuta conscientia. Consequentia probatur primò, quia cum non sit maior ratio, quare præferatur vna, quam alia, hoc relinquitur arbitrio eligentis.

Dicès primò, eo ipsò, quod non est maior ratio, quare eligatur vna, quam alia, neutra potest eligi, quia voluntas non anteponit vnum bonum alteri, nisi inueniat maiorem rationẽ. Sed hoc nihil est, nam licèt semper voluntas præferat maius bonum; tamen non semper illa maior ratio se tenet ex parte obiecti, sed positis duobus bonis omninò ęqualibus ex parte sui, poterit eligere vnum, eo quod ex parte voluntatis est aliqua ratio, siue sit maior conuenientia, siuè pia affectio circa vnum, vel saltèm in hac re experiri suam libertatem aliquandò, quandò sibi placuerit, ne maneat suspensa, & idem poterit contingere in electione duarum sententiarum æquè probabilium.

Dices

Dices secundò tunc teneri ad neutram senteñtiam eligendam, vel saltem ad non operandum iuxtà aliquam earum, eo quod dubius est homo, que illarum sit vera, & sub dubio an sit peccatum, nec ne, non licet operari. Sed contrà est, nam in primis casus se potest offerre, in quo necessarium sit iuxtà vnam operari, nec possit actum suspendere, vt si æqualiter sit probabile, quod in die Veneris teneor comedere carnes propter infirmitatem, & teneor non comedere propter prohibitionem Ecclesiç. Item æqualiter aliquis opinatur se teneri tali hora audire missam, quia non est alia, & est dies colendus, & pro tunc teneri assistere infirmo, necessarium enim est, vel assistere, & sic committit missam, vel non assisteret, & sic facit contrà opinionem de non assistendo infirmo. Nec verum est, quod tunc sit dubius, si se ad vnã quam eligit, determinat, & efformata conscientia, illã opinionem operatur, quia licet maneat sub dubio, quæ illarũ sententiarum sit certò vera, quod pertinet ad iudicium speculatiuum; sed iudicium conscientiæ certum est moraliter, nẽpè, quod operari iuxtà vnam ex illis sententijs, quam elegerit, siuè etiam iuxtà illam, omninò licitum est, & absque aliquo peccato, quia quælibet habet probabilitatem sufficientem ad assecurandam conscientiam.

Conf. Elector potest ex æqualitèr dignis eligere quam voluerit; ergò etiam poterit ex duabus opinionibus æquè probabilibus eligere, quam voluerit; Antecedens videtur certum, alias si duo oppositores, vel concurrentes ad prælaturam, vel officiũ iudicãtur omninò æquales numquã posset Elector aliquem eligere; quod videtur ridiculum. Et consequentia probatur à paritate rationis.

Tertiò probatur; hęc est differẽtia inter rationabiliter dubitabile, & rationabiliter opinabile, quod rationabiliter dubitabile nõ est sufficiens principiũ, vt intellectus prudentèr se determinet ad aliquã partem, & multò minùs, vt voluntas se committat periculo peccandi. Sed rationabiliter opinabile est sufficiens principium vt intellectus prudẽter, & conformiter ad rectam rationem, prabeat illi assensum, & voluntas sequatur illud. Ergò si vtraque pars est probabilis, nec datur probabilior, cui intellectus, & voluntas adhereant, poterit rationabiliter tam intellectus speculatiuus, quàm practicus, & Voluntas adhęrere cuilibet opinioni probabili, licet non possit adhærere cuilibet rei dubitabili. Consequentia videtur bona, & antecedens patefit ex discrimine dubij proprij, seù negatiui, & opinionis: nam illud non dicit assensum ad vnam partem, sed opinio dicit verum assensum, licet eam aliquali formidine alterius, adhęret enim homo opinioni, non certò sicut scientię, sed opinatiuè cum aliquali formidine. Quod si homines non possent licitè operari iuxtà opiniones, sępè essent perplexi, eum rarò sit euidens certitudo veritatis moralis; est ergò iuxtà humanas vires exposcere in homine euidentiam ad operandum, & sufficit certitudo practica conscientię ad hoc, quod operandò iuxta opinionem æquè, vel magis probabilem licitè operatur.

Quarto probatur. Nam sæpè Doctores docent vtramque opinionem esse æquè probabilẽ; & Consulti respondent, vtramque partem licitè posse sequi. Quod si audientes, vel consulentes eo ipso, quod vtraque pars sit probabilis, neutram possent sequi, esset inutilis, & inepta responsio, nè ergò communem vsum damnemus, nostra conclusio communis est iudicanda, & vt talis ad mittenda

Secunda conclusio; in rebus credendis, & quæ ad fidem pertinent, nulla opinio, vel secta, quantumcunquè teneant illam viri docti, & plures rationes pro se habeant, & probabilis, vel probabilior appareat, est regula, quibus nos possimus regulari, conscientiam efformando iuxtà illam, sed debet submitti conscientia, Et quælibet opinio, vel secta regulę superiori, scilicet Sanctę Matris Ecclesiæ, & Apostolicę sedis, fundamentum est quoniam omnis regula fallibilis, qualis est opinio, reducenda est in regulam infallibilem, & certam, si illa datur. In credendis verò dedit Deus regulam certam, & infallibilem, Ecclesiam, & Sedem Apostolicam, ergò in eam debet fieri resolutio. Conclusionem hanc constituit Sanctus Thom. *quodlibeto 3. art. 10. & probat.* quia alias discipuli Arij, Pelagij, & aliorum magnorũ hreticorum inculpabilitèr sequerentur opiniones erroneas eorum, propter magistorũ auctoritatem, & apparentes rationes, quibus videantur probabiles. videantur Caietanus *in summa, verbo opinionis vsus* in principio, Montesinos *disput. 29. q. 5. §. 2. versu, sed in hac re*, de hac tamèn conclusione fusè agitur 2. 2. *q.* 1. Quod verò attinet ad susceptionem nostræ Religionis ab Infidelibus, dicendum est, quod semper quandò illa proponitur, vt reliquis sectis probabilior, tenentur infideles suas sectas derelinquere, & nostram accipere, aliàs mortalitèr peccant, & efficiuntur infideles priuatiuè, quià licet in alijs rebus sufficiat sequi probabiles, & turas opiniones, sed circà Religionem, & finem vltimum, à quo dependet fælicitas hominis, tenetur sequi probabilius, & tutius; de quo inf. dicemus, est Bannes 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *§. quod si quis*, & Martinez 1. 2. *q.* 19. *art. 6. dub. 6* post conclusionẽ septimam *§. secundò sequitur*.

Est tamèn aduertendum, quod si loquamur nõ de his, quæ proponuntur vt credenda, seù definita sunt, sed de illis, quę aliquo modo concernunt illa, vel spectant ad eorum declarationem, in his, si sunt diffidentes opiniones, debemus eligere illam, quę est magis conformis his, quæ definitæ sunt, deinde eam, quæ magis arridet doctrinæ Sanctorum Patrum, deindè, quę est communis sententię scholasticorum. Et si illi sint diuisi, adhęrendum videtur parti, cuius doctrina fuit in Ecclesia magis communis, & absque aliqua suspicione. Videatur Montesinos *disput. 29. q. 5. §. 2. num.* 1. 5. 8.

Tertia conclusio; licet aliquando sequi opinionem minùs probabilem, imò parum probabilem; quando scilicet imminet talis necessitas, aùt tam graue periculum, & scandalum, vt alio modo obuiari non possit. sic Suares 1. 2. *disput. 12. de conscientia, sect. 6. num.* 11. Valentia *tom.* 2. *disput.* 2. *q.* 14. *puncto* 4. Salas *disput. vnica de conscientia, sect. 6. num.* 44. Sanchez *lib. primo cap. 9. n.* 25. Probatur primo quia aliquando talis se potest offerre occasio operandi promptè vt maior opinio, vel certior notitia haberi non possit, vel tale periculum vitandum, vt pro tunc, ne exponatur salus corporis, & Animæ periculo, illa propria sufficiat probabilitas: tunc ẽim attẽtis circumstantijs loci, temporis, personarum, & periculi, debet censeri probabilior possibilis illa parũ probabilis sententia, sicut confessio debet esse integra, & ex simili causa potest dimidiari, sed cẽsetur integra, quod ex sequentibus casibus confirmari potest.

Se-

Secundò probatur. Nam morienti, vel non potenti aliquo modo confiteri, & solùm exhibenti signa contritionis, debet impendi absolutio, saltem sub conditione, vt non pauci ex Theologis sentiunt, quos refert Diana 3. *parte, tract. 3. Casu primo*. Immò etiam absque conditione ab his, qui tenent hanc sententiam, vt docent Vasquez *in 3. partem, tomo 4. q. 91. art. 2. dub. primo num. 39.* & Sanctius *in selectis disp. 44. num. 32.* Immò non sequentes illam opinionem, adhuc teneri, vel ex iustitia, si habent curam illius Animę vel ex Charitate si non habent, ad impendendā sub conditione talem absolutionem, quia obesse non potest, & multorum potest prodesse, si forte opinio illa sit vera; faciet enim ex attrito contritum, & saluabitur, tenet Suarez *tom. 4. disp. 23. sect. 1. n. 15.* Vasquez *3. parte, tomo 4., q. 91. art. 2. dub. 1. num. 8.* Syluius *3. parte, q. 91, art. 2. q. 4.* Fillucius *tomo 1. tract. 7. cap. 5. num. 123.* Corinch *de Sacramentis, disput. 7. dub. 10. num. 206.* Ioann. della Crux *in directorio, parte 2. de Sacramento Pænitentiæ, q. 3. dub. 8. Conclus. 2.* Atqui dempto illo casu necessitatis, opinio illa exiguam potest habere probabilitatem.

5. Tertiò probatur in alio casu, nam cum ex causa aliqua Matrimonium celebratum fuit nullum, v. g. ex affinitate Vxoris orta ex Copula illicita cum consanguineo in secundo gradu Mariti, & obtenta dispensatione, vt contrahatur non detecta prioris nullitate, ob grauia inconuenientia, potest vti his, vel similibus Verbis: experiri volo tuam voluntatem, si non essemus matrimonio alligati hucusque, vis me in tuam acciperæ? Et illo affirmāte, illaque Respōdente: ego quoque in virum te recipio. Sicquè verum contrahi matrimonium, Soto, Nauarro, & alij plures Affirmant, quos refert, & sequitur Thom. Sanchez *lib. 2. de Matrimonio disput. 36. n. 8.* Certum autèm est extra Casum illum adeò necessariam formam hanc nubendi habere minimam, vel nullam probabilitatem: sed attenta graui necessitate, quę alitèr non videtur posse suppleri illa minima probabilitas valoris talis Sacramenti sufficiet, vt tuta conscientia se gerat, vt vera vxor.

Quartò probatur Nam medicus Corporalis in desperata spe vitę potest vti Medicina quę probabilitèr est vtilis, licèt probabilis sit fore inutilem, immò fortasse periculosam, quæ extra hunc casum vti non poterat, de quo inf dicemus.

Quintò. Aliqui addunt posse concedi ab Episcopo dispensationem dirimentis impedimenti, etiā antè contractum matrimonium, quoties infamię periculum alitèr vitari non potest, de qua re videatur Thomas Sanchez libro secundo matrimonij. *disputatione quadragesima numero septimo.*

4. Conclusio. Sanum consilium est, semper, & in omni materia, in qua exerceri possit; exceptis Casibus conclus. præcedentis, sequi opiniones probabiliores, relictis probabilibus. Conclusionem hanc nemo; negat; licèt enim plures cōtendant, ad id nos non teneri, sed tuta conscientia posse sequi opiniones verè probabiles; tamē nemo dubitat, quin sit sanum consilium, & quid perfectius, sequi opiniones probabiliores, idquè determinatur *in cap. Capellanus, de ferijs* relato superius. Probatur opiniones probabiliores magis accedunt ad certitudinem, seù Veritatem, quā minùs probabiles; sed magis accedere ad veritatem, ad certitudinē conscientiæ esto non sit obligatorium, ad minùs est quid conuenientius, & perfectius. ergo illud sequi est sanum consilium, & quid rectius factū. Maior videtur certa: quis enim negat, quo aliquid est probabilius, eo magis ad certitudinem, & veritatem accedere? Minor etiam patet; quia sicùt in omni alia materia morali magis accedere ad perfectiorem, est perfectius, esto non sit obligatorium; sic in hac sequendi conscientiam, & operandi, quod certius est, a peccato esse extraneum, seù a fallitate. & confirmatur experientia; videmus enim viros timoratæ conscientiæ, etiam la cos, nolle vti opinionibus minùs probabilibus, etiam in contractibus, sed semper sequi probabiliores, quod cum faciunt, credant meritò se melius facere, idque à confessarijs, & Prędicatoribus commendatur.

DVBIVM XVIII.

An quando opiniones probabiles versantur circa Actiones exercendas potest Homo sequi quamcumque opinionem probabilem practicè.

Conclusio est Affirmatiua. sententiam hanc plures maximè ex iunioribus tenent. Princeps est Medina *q. 19 art. 6. q. 6.* ex his verbis, quas ipse disputat. deinde Ludouicus Lopez *prima parte summæ cap. 120.* Suarez *3. parte t. 5. disputat. 40. sect. 5. num. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 4.* Salas *tract. 9. disput. vnica num. 66.* *Valentia disput. 2. quest. 14 punt. 4* Aragon *2. 2. quest. 63. art. 4.* Viguerius *cap. 15. §. 1. versu 2.* Azzor *tom. 1. lib. 2. cap. 12. & cap. 16. q. 2.* & deinceps, *& cap. 12. q. 3.* *Mercado tractatu primo de contractibus, cap. 5.* Salon *de iustitia q. 63. art. dec.* Petrus de Ledesmā *in 2. parte summæ in tract. de statibus, cap. 4.* post conclusionem octauā, *dub. 5.* Lorca *disp. 39. membro primo* Montez. *disp. 39. q. 5. §. 3. conclus. 1. & 2.* vbi dicit. *hanc sententiam esse communē in Scholis* Corneio *disp. 3. dub. 6. in conclusitne.* Basilius Pontius *de matrimonio libro 10. cap. 15. num. 4.* Tannerus *prima 2. disp. 2. quest. dec dub. 3. num. 36.* Malderus *1. 2. q. 19. art. 5. disp. 66. assertione 3.* Fillucius *tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 128.* Ioannes Sanctius *in practicis, disputatione 42. num. 12.* Lessius *lib. 2. cap. 29. num. 68.* Nauarus pro alia sententia relatus etiam citatur pro illa *in summa cap. 27. à num. 180. & super caput si quis autem, de penitentia dist. 4. à nu. 34.* Garsias de *Beneficijs tom. 2. parte 11. num. 361.* Barbosa *in collectaneis, tom 1 lib. 1. titulo 9. cap. 4. num 6.* Sayrus *lib. 1 cap. 5. num. 4. & 8.* Nauarra *lib. 3. de restitutione cap. 1. nu. 237.* Emmanuel *in Bulla §. 9. num. 5.* Thomas Sanchez *in decalogo, tom. 1. lib. 1. cap. 9. num. 14. & de matrimonio lib. 2. disp. 41. num. 9. & 30; & lib. 3. disp. 20 num. 4.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. difficultate 10. n. 2.* Sanctarellus *variarum resolutionum parte prima, q. 59. nu. 4.* Portel *in additionibus ad dubia Regularium, verbo, opinio num. 3.* Gutierrez *lib. 1. quastionum canonicarum, cap. 31. num. 38.*

Probatur prędicta nostra sententia, ac conclusio primò ex iure: nam capite, sicut quidam, distinctione 14. dicitur; *in his quæ dubia fuerint aùt obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium nec Sanctorum Patrum decretis inuenitur aduersū.* Cū ergò hoc habeat ōnis probabilis opinio, illa poterat sequi. Probatur 2. opinio moralis ex eo dicitur proba-

K bilis

bilis in praxi, quia in praxi possumus rectà conscientia illa vti. Ergò implicat, quod aliqua opinio sit probabilis practicè in moralibus, & quod non possimus operari circa illam absque peccato, si datur alia probabilior. Antecedens satis liquet, nam si licitè non possumus operari iuxtà illam, nō erit practicè probabilis. Et consequentia probatur, quia etiamsi detur alia probabilior, illa remanet probabilis; ergò licitè sequenda. Implicat ergò, quod etiamsi sit alia probabilior, non possit licitè sequi.

Confi. 1. In specularijs licitum est cuilibet Doctori defendere, & docere quamlibet sententiam probabilem, relictà probabiliori, siuè pertineat ad res metaphysicas, siuè ad morales ergò in practicis licitum erit cuilibet sequi quancumque opinionem probabilem, operando iuxtà illam, relictà probabiliori. Antecedēs cōmuniter cōceditur, & Consequentia probatur primò, quia sic se habet opinio practica ad sequelam, & operandum iuxtà illam, sicut opinio speculatiua ad assensum, & defensionem eius, quia sicut opus opinionis speculatiuæ est assentiri, & defendere illam: sic opus practicè operari iuxtà illam. ergò sicut probabilitas sufficit ad hoc, quod conuenientèr, & absque errore, quis assentiatur illi, relictà probabiliori, sic probabilitas practicè sufficiet ad hoc, quod quis iuxtà illam operetur, relictà probabiliori. 2. probatur Consequentia; nam si licitum est Doctori docere illam probabilem sententiam, licitum etiā erit consulere eam, ergò licitum erit Auditori sequi in praxi illam, quia ad hoc docetur, & consulitur, vt sequatur. ergò licitum erit ipsi doctori sequi illam, quia non est peioris conditionis, nec debet habere sibi aliam Theologiam.

Conf. 2. quia illa est opinio probabilis in moralibus, & præcipuè practicè loquendo, quæ est consona rectæ rationi, hoc enim suadet Auctoritas illorum, qui illam sequuntur, & Rationes, quibus Confirmatur. ergò talem opinionem amplecti etiam, probabiliori relictà, non potest esse peccatum, sed licitum. Consequentia patet, nam dum quis operatur consonæ rationi, non peccat. Et Antecedens probatur, quia in moralibus, & practicis opinio rationi dissona non potest esse probabilis. Si ergò verè probabilis est, consona erit rationi. Confi. 3. nam ex stente iudicio conscientiæ conformi opinioni probabili, de eo quod aliquis contractus est verè licitus, nec aliqua lege prohibitus, etiam si verè esset lex, quæ prohiberet talem actum, tamèn illa lex pro tunc non obligaret illum hominem. ergò operando iuxtà conscientiam probabilem, adhuc relictà probabiliori, non peccaret. Consequētia videtur bona, quia non obligante lege, ex quocumque capite actus non vitiatur ex eo, quod est cōtrà illam. Et Antecedens probatur, nam lex, quæ non est sufficientèr promulgata, & intimata, non obligat, neque potest obligare eum, qui eam ignorat inuincibilitèr, sed respectu illius hominis, qui probabilitèr opinatur talē actum licere, lex prohibens, seù vitans talem actum, non est sufficienter promulgata, & intimata, immò eam inuincibilitèr ignorat, aliàs eius conscientia non esset probabilis, sed erronea vincibilis. ergò non ligat eum.

Tertiò probatur; non tenemur ad id, quod melius, & perfectius est, sed solùm ad operandum rectè, ne malum faciamus. ergò non tenemur ad operandum iuxtà opinionē probabiliorē, sed sufficiet, quod operemur iuxtà probabibilem, ne operemur iuxtà conscientiam malam, & erroneam vincibilem. Antecedens à nemine dubitatur; perfectior est status Religionis, quàm secularis: perfectior est virginitas, quàm continentia, & Matrimonium: at nemo tenetur ad vitam Religiosam, vel ad seruandam virginitatem, nisi se obligauerit, sufficit quod sit rectus coniugatus, vel continens. Consequentia verò probatur, quia sicut se habet maior perfectior ad rectitudinem, sic se maior probabilitas ad opinionem probabilem.

Quarto probatur, ex contraria sententia sequuntur grauia inconuenientia; ergò illa non est admittenda. Consequentia est bona, quia ex vero, & conuenienti non sequitur per se loquendo, falsum, & inconueniens, & Antecedens probatur primò, sequitur neminem posse petere à Papa dispensationem in re, in quam solet dispensare, si probabilior opinio iudicat rem illam esse in dispensabilem, etiamsi probabile sit posse dispensare, cuius contrarium vsus habet, receptum. Secundò sequitur, eum, qui reputat aliquid esse probabilius, non posse licitè conformare conscientiā suam iudicio sapientiorum, nec eorum contrariā probabilē opinionem amplecti, quod videtur repugnare prudentiæ, humilitati & paci, vt prosequitur Nauarrus *in Manuali cap. 27. num 286. 289. ex Capite Prudentia, de officio delegati, & ex cap. de quibus, distinct. 20.* Tertiò sequitur, quod non possit Iudex sequi opinionem magis communem, & magis vsù receptam, si sibi videatur, minùs probabilis. Nec posset similiter aliquis mouere litem alteri, nec Aduocatus eum defendere, si contrariam opinionem reputat probabiliorem, quamuis videat ab alijs Iurisperitis, immò ab ipsis iudicibus, coram quibus est litigandum, iudicari iuxta contrariam opinionem probabilem, atquè adeò futurum esse, quod in fauorē suum illam determinent. Quartò sequitur Iudicem in eadem causa teneri passim cōtrarias sēntentias pronuntiare, & Doctores contrarijs resolutionibus subscribere, & confessarium in eodem casu ad contraria pænitentes obligare, si contingat, quòd modò vna opinio, & paulo post alia, appareat illi probabilior. Quinto, quia durum, & intollerabile onus videtur, & excedens vires fragilitatis humanæ obligare homines vt quoties aliquid sint facturi, de quo versantur diuersę opiniones, conferant singulas opiniones, & expendāt eorum rationes, & fundamenta, vt iudicent, quæ ex eis sit probabilior, & eam sequantur. Sextò, nam opposita sententia nimio rigore cruciat animos timoratos, nam cum per singula momenta eadem opinio eidem homini appareat magis, & minùs probabilis, etiam per eadem singula momēta deberent variari eius obligationes, quod esset graue Iugum. Nam postquam quis existimans aliquam sententiam probabiliorem, iuxtà illam exegit, & accepit hæreditatem, vel restitutionem pecunię, si posteà iudicat probabiliorem contrariam teneretur restituere hæreditatem, & pecuniam. Si quis existimat iuxtà probabiliorem sibi sententiam illicitum esse Contractum sibi valdè vtilem, posteà existimans probabiliorem aliā sententiam pæniteret valde non perfecisse eum, vel si restituit aliquam quantitatem restituisse, & iam non posset recuperare.

Probatur quintò. Qui operatur aliquid iuxtà sententiam probabilem, relictà probabiliori non facit contrà Synderesim. Ergò non peccat. Consequentia

sequētia est bona, quia omne peccatum est immediatè, vel mediate contrà Synderesim; & Antecedens probatur. Ita se habet synderesis in ordine ad opiniones practicas, sicùt habitus primorum principiorum in ordine ad Cōclusiones speculatiuas; sed Assensus conclusionis probabilis relicta probabiliori in speculatiuis non destruit lumen naturale principiorum, neque è contrà vt patet in diuersis sententijs, quas quotidie Doctores defendunt. Ergò similitèr operatio practicè iuxtà opiniones probabiles relicta probabiliori non est immediatè, neque mediatè contrà synderesim, quæ dictat vniuersalia principia practica.

Probatur Sextò; opinio magis humana, & suauis præferri potest alijs: sed quæ actum iustificat, vt hæc nostra, quę iustificat sequi opinionem probabilem, quacumque relicta probabiliori, benignior, suauior, & humanior est, quam opposita. Ergò hęc sequenda est in praxi, vel saltem sequi potest. Consequentia videtur bona; & antecedens probant, ex *lege, semper indubijs ff. de legibus Iuris, & ex lege benignus ff. de legibus, & ex Capite finali de transactione* Nauarrus *in manuali, cap. 27. num. 287. & in Cap. si quis autem de penitentia, distinct. 7. num. 53. 130. & 131.* Hostiensis *in cap. si Vir de Cognat spir.* Syluestrina summa, Angelica, Tabiena, Rosella, & Armilla, *verbo opinio*; & Rodericus Suarez *in proæmio fori Legum fol. 6. col. 2.* Septimò probatur, Viri Timoratæ Conscientiæ, & docti solent sequi in practicis opiniones probabiles, licet militent cōtrà probabiliores; imò Iudices multoties proferunt sententias iuxtà opiniones, probabiles, nec semper sequuntur probabiliores. Ergò hoc licèt: nam durissimum esset omnes illos damnare ad peccatum mortale.

Opposita sententia est quod in rebus, quæ conscientiam, & obligationem concernūt, (nam de opinionibus speculatiuis dicemus postea) tenemur sequi opiniones probabiliores, atque adeò, qui relicta probabiliori opinione sequitur minùs probabilem, non rectè operatur, sed peccat iuxta grauitatem materię venialitèr vel mortalitèr. Sententiam hanc patrocinatur Conradus *de contractibus p. 220. & vltima, Conclusione prima, casu 5. & 7. & conclus. 2.* Adrianus *quodlibet pr. a. 1.* S. Antoninus, *2. parte, titulo 5. cap. 10. §. 2.* summistę *verbo opinio*, Syluester *§. 1. & 2.* Armilla, Tabiena *q. 3* Rossella, Angelica *num. 1. & 2.* Caietanus *in summa, verbo opinio cap. 2. & tomo opus. opus. 31.* quod est de decem, & septem Responsionibus, *Respon. 13.* Soto *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad quintum*, in fine. *& lib. 3. de Iustitia q. 6. art. 5. ad quartum* sed in hoc loco loquitur specaliter de Iudicibus. & Medicis, de quibus nos inf. agemus; Gabriel *in 4. dist. 15. q. 6. a. 3. dub. 2. in probatione conclus. 1.* Maior *in 4. q. 1. Prologi.* Henricus *quodlibeto 4. q. 33.* Almain *in 3. moralium q. 3.* Corduba *lib. 2. q. 3. & lib. 3. q. 5.* Antonius Perez *certamine 10. Scholastico, cap. 9. nu. 53.* Nauarrus *de pænitentia, dist. 7. cap. si quis autem, num. 38. 56. & in summa capi. 27. num. 286.* sed pręcipuè *in consilijs lib. 5. titulo de pænitentia & remiss. n. 8. ad 5.* Gomez *cap. 1. de constitutionibus in 6. num. 228. & cap. 1. de Iudicijs d. num. 55.* Burgosde Paz *in proæmio ad leges Tauri n. 162. 163. 407. & 408.* & hæc sentẽtia est satis communis inter Canonistas Probabilem reputat sententiā hanc Corneio, *disput. 3. sect. 6. §. sed probat Sententia.*

Limitant autem meritò sentiam prædictam aliqui, vt intelligatur, quando vna sententia est alia probabilior notabiliter, nam vbi paruum est di serimē, pro nihilo reputatur, & illæ sententiæ estimari debent æquales, sic Henricus *quod libeto 8. q. 33.* & Syluester *verb. dubium q. 2.* Aluarez *disput. 80. § secundò supponendum.* Insurgit tamèn contrà hanc limitationem Corneio *disp. 3. dub. 6. §. quidam tamèn hoc Argumento.* Nam si opinio notabilitèr probabilior est sub mortali sequenda, quàndò est in re graui: ergò etiam illa quæ fuerit paulò probabilior, in eadem re graui erit sequenda sub veniali, & non erit licitum sequi minus probabilem etiā si excessus sit paruus. Probatur cōsequētia, quia sicut magnus excessus probabilitatis inducit grauem obligationē, ita paruus inducit Leuē. Sed potest negari cōsequētia quia solum habet verum, quod paruitas materię inducit leuem defectum, & magna inducit grauem, quando materia illa siuè leuis, siue grauis, est prohibita vt res aliena in furto: non verò quando solùm grauitas excessus extrahit materiam ad aliud genus. sicut leuis differentia supra vsitatum prætium rei, non facit emptionem iniustā, eò quòd non extrahit à iusto pretio summo, sed id facit maxima differentia, eò quòd excedit iustum prætium etiàm summum. Et ideò si vendens communitèr octo dennarijs numerū pomorum, ab aliquo extrahat denarium vnum plus, reputatur in prætio summo iusto, quod si vendat quatuor, vel quinque plus, iam iudicatur emptio iniusta ratione prætij excedentis notabiliter commune pretium, & sic Iustum.

Probatur primò prædicta sententia ex iure canonico, capite, Capellanus, de ferijs determinatur, eam opinionem esse sequændam, quæ meliori, & subtiliori ratione innititur. Probabilior autem innititur meliori, & subtiliori ratione, & in cap. si quis autem, de pænitentia, dist. 7. refertur Sanctus Augustinus lib. quinquaginta homiliarum, homilia 41. dicens. *Tene certum, & dimitte incertum.* Cum ergò concurrunt plures sententiæ, si quę est certa, absque dubio, sequenda est, quod si nulla est certa, sed omnes probabiles, quę certo magis appropinquat, nempè probabilior, certè videtur amplectenda.

Hęc opposita nostra sententia & si probabilis sit propter grauitatem Auctorum, qui illam profitentur, propter vim rationum, & pietatem, ac securitatem eius; sed tamèn quia in ea generalitate accepta aliquantò rigida est, & humanę fragilitati minùs accommodata, ideo limitanda est iuxtà dicta; & ideò rationibus eius inquantum generaliter procedunt, & doctrinæ nostrę aduersantur, satisfaciendum est. Ad Argumentum ergò Respondetur quod in Capite Capellanus continetur consilium, nempe quod vbi certum adipisci non potest, sequi, quod meliori, & subtiliori rationi innititur, debemus, vt scilicet rectius operemur, sed nullum ibi inuoluit præceptum. caput verò, si quis autèm, & Auctoritas in eo ducta S. Augustini procedunt de vero dubio negatiuo, de quo disp. seq. dicemus, quale dubium non est, cum sequimur opinionem verè probabilem.

Arg. 2. sententia minùs probabilis, licèt secundùm se, & dum non apparet alia probabilior, sit probabilis, tamèn comparatione facta ad probabiliorem non manet probabilis, sed improbabilis, & falsa. sed sententiam cognitam improba-

bilem, & falsam nemo tuta conscientia potest sequi in rebus moralibus concernentibus peccatum, vt satis patet. ergò sententiam minùs probabilem comparatiuè ad probabiliorem, non potest aliquis absque peccato sequi, sed necessariò debet operari iuxtà probabilem. Maior, in qua est difficultas, probatur, sic se habet ad intellectum minus verum, sicut ad Voluntatem minus bonum, sed sic est, quod respectu Voluntatis licèt quodlibet verè bonum sit amabile secundum se sumptum, tamèn comparatiuè ad maius bonum non est amabile, neque bonum, ita vt Voluntas non possit velle minùs bonum repudiato maiori bono, quia induit rationem mali, vt superius vidimus. Ergò respectu intellectus licèt opinio minùs probabilis, atquè adeò minùs vera, secundum se possit amplecti ab intellectu, non tamèn comparatiuè ad probabiliorem, & veriorem, eò quòd tunc induit rationem falsi, atquè adeò non potest per assensum ab intellectu amplecti.

Confir. Nam licet dignus possit absolutè eligi ad beneficium, seù Prelaturam, tamen in presentia dignioris eligi non potest, quia respectu illius iudicatur indignus; ergò similitèr in presenti. Conf. 2. nam licèt error aliquis contrà decreta Ecclesiæ habeat pro se egregios Patronos, & plures rationes non parum apparentes, vndè secùndum se consideratas, & ante decretum Ecclesiæ erat opinio probabilis, tamèn adueniente præcepto Ecclesiæ, desinit esse probabilis, eo quod decretum vincit omnes eius rationes, vt patet in sententia, quæ asserebat post peccatum mortale cum contritione sine confessione possibili, posse Eucharistiam licitè sumi. Ergo licèt secundum se sententia sit probabilis, sed adueniente probabiliore conuincitur falsa, & non manet probabilis respectu illius, qui nouit probabiliorem.

Resp. primò negando maiorem; Ad probationē nego etiam illam maiorem. *sic se habet ad intellectum minùs verum, sicut ad Voluntatem minus bonum*; Nam respectu intellectus minùs verum semper remanet, verum, licèt non æquale maiori vero; & ideò nemo dubitat, quin minùs verum sit attingibile ab intellectu, etiam comparatiuè ad maius verum, & cognoscendo esse minùs verum; sed minùs bonum, licèt in se sit bonum, tamèn comparatiuè ad maius, & vt dicit priuationem maioris, est quoddam malum, atquè adeò non est vt sic attingibile à voluntate motu prosequutionis, quia non saluatur in illo sic considerato ratio sui obiecti. Ratio ergò discriminis est, quod minùs verum, vel minus probabile, etiam comparatione facta ad magis verum, & magis probabile, non induit rationem improbabilis, vel falsi, sed minùs probabilis, & minùs veri. Minùs autem probabile, & minùs verum, non est improbabile, & falsum, sed est defectus, seù malum probabilitatis, seù veritatis non attingentis illam perfectionem, & ideò ex hoc; quod opinio minùs probabilis est, & minus vera, non amittit rationem probabilis, & veræ nec induit rationem improbabilis, & falsæ. sed bonum eo ipso quod est minùs bonum, dicit priuationem maioris boni, priuatio verò boni maioris malum est. Dicit ergò vt sic rationē mali, & ex consequenti extrahitur a ratione obiecti Voluntatis, & non potest vt sic ab illa attingi motu prosequutionis.

2. Resp. quod sicùt minùs bonum comparatum maiori, non remanet in se malum, cum bonum sit, sed solum comparatiuè vndè si illi addatur aliqua ratio boni vera, vel apparens potest etiam comparatiuè à voluntate prosequi, puta quia ex alio capite placet, vel vt voluntas suam experiatur libertatem; sic opinio minùs probabilis, licèt vt subest illi respectui minoris probabilitatis, non sit amplexibilis à voluntate, tamèn quia id quod sub illa cadit alias complacet operanti, seù illi præbet aliquam commoditatem, potest anteponi conuenienter, eo quod, in se habet sufficientem probabilitatem, & ex alio capite arridet propter aliquod commodum, & sic licitè eligitur, quia non tenemur eligere perfectius, sic secularis licèt intelligat cælibatum, & Religionem esse statum perfectiorem eligit Coniugium, quia aliundè magis placet, & in se est status bonus moraliter.

Ad primam confir. Resp. quod probat nostrā conclusionem superiùs citatam nempè quod cum sit iniuria contrà iustitiam, vel charitatem, sequenda est sententia probabilior. Cum ergò omisso digniori datur præbenda minùs digno fit iniuria, & iniustitia magis digno, quia præbendæ, licèt primo, & per se sint institutæ ad seruitium ecclesiarum, secundariò sunt præmium litteraturæ & virtutis atquè adeò si dentur minùs digno, læditur ius dignioris, quod non habet locum, cum quis sequitur minùs probabilem sententiam sine Tertij præiudicio, & ideò ad Argumentum negatur consequentia proptèr disparem rationem. Ad secundam conf nego consequentiā, & Ratio discriminis est duplex. Prima, quod adueniente euidente, seù omnimoda certitudine, absque dubio deserenda est quælibet opinio, non verò adueniente quacunque maiori probabilitate: at verò decretum Ecclesiæ secum adfert omnimodam certitudinem. secunda est, quod iuxta dicta, in rebus credendis, & in quibus admiscetur Auctoritas diuina, vel ecclesiæ, aut concilij, & summi Pontificis, nulla contraria opinio, vel secta est sustinenda.

Arg. 3. Homo tenetur sequi veritatem practicam in quantum potest; sed sequendo opinionem probabiliorem sequitur veritatem practicā, inquantum potest, non verò sequendo opinionē minùs probabilem; ergò Homo tenetur sequi opinionem probabiliorem in praxi Maior ex eo suadetur, quia Homo tenetur deuiare à malo, & sequi bonum, inquantum potest, quod consequitur conformando se veritati practicæ. Minor verò probatur, quis enim negabit, quod opinio quanto est probabilior, tantò magis accedit ad certitudinem veritatis practicæ, & facit quantū potest, vt illam apprehendat, quod è contrà facit, qui sequitur opinionem probabilem, quæ multò minùs accedit ad certitudinem veritatis practicæ, quam opinio probabilior.

Conf. si homini enutrito in Syluis, seù postquā peruenit ad vsum rationis proponantur simul à diuersis lex Euangelica ex vna parte cum suis fundamentis, & lex Mahumeti, vel quælibet secta ex alia cum suis annexis, & ille vtrisque auditis pro suo captu iudicet, legem Euangelicam esse probabiliorem, & magis consonam veritati; legem verò Mahumeti, vel aliam sectam sibi propositam esse probabilem; inquiro, is tenetur ne eligere Euangelicam legem, quam iudicat probabiliorem, an absque peccato posset sequi aliam sectam,

sectam, quam iudicet probabilem? Dices absque dubio Euangelicam tenetur sequi, & si aliam sequatur, moralitèr peccat, & efficitur infidelis positiuè, seque in re tanti momenti exponit periculo errandi. Cur ergo idem non erit, cum circa materiam peccati præcipuè mortalis, se offerunt opinio probabilior, & probabilis.

Resp. distinguendo illam maiorem. Homo tenetur sequi veritatem practicam, inquantum potest. Si intelligatur absolutè de potentia, nego maiorem, nemo enim tenetur ad summum; si verò intelligatur de potentia morali, & accommodata naturæ, & fragilitati humanæ, quod scilicèt iuxtà illam, & consuetum modum operandi hominum, concedo. Sed nunc dico, quod in hoc casu sequendo quamcunque opinionem verè probabilem, sequitur veritatem, inquantum potest attenta fragilitate humana, sic enim etiam orat, ieiunat, & reliqua facit, in quantum potest non attendendo ad potentiam simplicitèr.

Ad Conf. dico quòd in re tanti momenti, sicut est vera Religio, non sufficit sequi opinionē probabilē, sed necessariò sequendā esse probabiliorē, & sic ab illo debere eligi Religionem Chatholicā, eo quod summè cauere debet homo, ne erret circa finem vltimum, & principium totius facultatis, iuxta dicta superius. Sed nego eandem sollicitudinem requiri circa omnia alia negotia, quæ se possunt offerre.

Arg. Si homo fert Iudicium inter sententias oppositas, vna quarum est probabilis, & alia probabilior, necessarium erit quod iudicet veram probabiliorem, & ex consequenti falsam minùs probabilem. Ergò est impossibilis, & ex consequenti falsa minùs probabilis. Ergò est impossibile, vel saltem turpe, & absurdum, quod assentiatur illi, quam iudicat minùs probabilem, absque eo, quod facit contrà Prudentiam, & rectam rationem, imò, & contrà Conscientiam dictantem probabiliorem esse veram, & sequendam, ne exponat se peccato, vel periculo peccandi. Antecedens quantum ad primam partem conuincitur ex eo, quod irrationabile, & contrà omnem prudentiam esset iudicare veram, minùs probabilem, & quantum ad secundam partem, probatur ex eo, quod si vnam partem iudicat veram absolutè, necessarium est, quod aliam iudicet falsam, quia cum sint oppositæ sententiæ, licet vtraque possit esse probabilis, sed vtraque vera esse non potest. Et Consequentia probatur, nam si probabilem iudicat falsam, non potest falso assentiri. Deindè si probabiliorem iudicat veram, & minùs probabilem falsam, iuxtà veram efformat conscientiam veram, & certam, vel ad minùs inuincibilem, & iuxtà falsam conscientiam erroneam vincibilem. ergò sequi primam est licitum: illicitum verò sequi secundam.

Resp. distinguo illud Antecedens. *Si homo ferat Iuditiū intèr sententias oppositas, vna quarum est probabilis, & alia probabilior, necessarium erit quod iudicet veram probabiliorem, & ex consequenti falsam minùs probabilem. Si cum dicis veram probabiliorem*, intelligis veram absolutè, & certò nego Antecedens, nam cum solùm sit sententia probabilior intrà limites opinionis, certa non potest iudicari, neque ex consequenti absolutè vera, sed solum opinatiuè magis probabilitèr vera. Ex quo contraria non potest iudicari falsa, sed opinatiuè minùs certa: manet tamen intrà limites opinionis, intra quas quælibet, etiā probabilior potest esse vera, vel falsa, non imprudentèr, sed tuta conscientia poterit homo adhærere cui voluerit, licèt perfectius faciat adhærendo probabiliori, sed non tenetur ad hoc, ex eo quod cum etiam probabilior possit esse falsa, non tanti æstimanda est illa maior probabilitas, vt homo alliciatur fortè contrà propriam commoditatem, ad sequendam veritatem incertam, sicùt teneretur ad veritatem certam, si posset ad ipisci; præcipuè, cum sequendo probabilem sententiam efformaret cōscientiam certam de eo quod rectè operaretur, vnde certò sit bona illa operatio, etiamsi contingat sententiam falsam esse.

Arg. vltimò Ex contraria sententia sequuntur inconuenientia grauia ergò illa non est admittenda. Consequentia est Bona, & Antecedens probatur primò, quia cum in rebus moralibus omnia sint confusa opinionibus, itaut parui sint Casus, qui secundum opinionem aliquorum non liceant, si licet sequi quamcumque volueris opinionem probabilem, nulla erit certa, & firma regula de agendis sed relinquendum erit arbitrio cuiusque, vt pro sua electione operetur, nunc secundum vnam, posteà secundū aliam opinionē, ex quo maxima sequeretur morum perturbatio, immò, & maximum scandalum, cum videam eum, qui modo non admittit contractum, quia fauet alteri posteà iuxtà aliam opinionem, quando fauet sibi exercere illud.

Resp. negando sequelam. Ad primam probationem dico, quod licet omnia fere sint confusa opinionibus; tamèn non omnes opiniones sunt probabiles practicè, & in exercitio; sed plures communitèr iudicantur ab Auctoribus improbabiles practicè, quas sine peccato in materia graui practicare nemo potest. Quod si contendas aduc reputatas probabiles in vsu esse plures, & sic confusionem, & scandalū aliquod generare, eo quod mercatores, & alij, modò vni, modo alteri præbent assensum, concedo aliquod incōueniens esse in rebus humanis, talem incertitudinem, sed esse inconueniens ineuitabile, natum ex ipsa ignorantia, & tenuitate nostri intellectus, & ex imperfectione nostri status. sed non ex hoc debemus imponere graue onus, sequendo semper, quod probabilius est: attemperatur autèm non parum hoc inconueniens ex dictis vbi limitauimus facultatē sequendi opinionem minùs probabilem ad eos casus, in quibus non sequitur aliquid contrà iustitiam, Reuerentiam diuinam, & Amorem Dei, & proximi.

DVBIVM XIX.

An Quandò opiniones versantur circa res seu circa factum tunc teneatur Homo præferre probabiliorem opinionem minùs probabili.

NOtandum est, quod opiniones sunt in duplici differentia, quædā enim versantur circa actiones exercendas, vt; An aliquis cōtractus sit licitus, vel illicitus? An aliqua actio sit præcepta, vel prohibita. Quædā verò versantur circa res; vt An hic fundus sit Iacobi, vel Francisci? An hic sit Hæres, vel alius? An sacramentum confectū hac materia, & forma sit verum? An hoc pharmacū sit conueniens huic Infirmitati? An hic sit occisor mortui Inimici? & similia, quæ versantur circa factum. Distinctionem hanc sub prædictis Terminis proponunt Bannes 2. 2. q. 10. *art.* 1. *dub.* 1. § *Quod*

§. *Quod si quis Respondeat;* Aluarez 1.2. *disp.*80. §. *Quartò supponendum* Prædictam distinctionem paulo aliter, licet eodem sensu, proponunt alij dicendo, quod opiniones, vel versantur circa Ius, vt, an obliget in hoc, vel illo casu, an sic, vel sic debeat intelligi? Vel versantur circa factum, vt An hæc domus sit Petri, vel Pauli? An Franciscũ occiderit Lucius, vel Camillus? Sic satis consonè proponit Martinez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. §. *secunda Conclusio*; & §. *Quarta ergò sententia*. Et tandem eodem quidem sensu, sed verbis minùs proprijs, eandem distinctionem proponunt alij, dicentes, quod vel opinio versatur circa Ius; vel circa res ipsas? sed nomine rerum non debẽt intelligere actiones in quantum bonæ sunt moraliter vel malæ, conformes, vel difformes legi, quia sic nomine Iuris comprehenduntur: sed res, quę sunt factum, vt Sacramentum ratum, Homicidium, vel furtum commissum ab isto, vel ab illo. Et sub his terminis proponunt distinctionẽ Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disput.* 12. *sect.* 6. *num* 8. & Salas *disp. vnica de Conscientia num.* 65. Quo supposito sit.

Conclusio. Quando opiniones versantur circa res, seù circa factum, tunc tenetur Homo præferre probabiliorem opinionem minùs probabili, & iuxtà probabiliorem operari, quandò ex hoc, quod sequatur minus probabilem, sequitur incómodum aliquod, vel damnum, quod ex Iustitia, vel Charitate vitandum est. Nam si nullum sequatur incómodum, tunc etiam poterit sequi quamcunque sententiam verè, & practicè probabilem. Immò si damnum sequitur ex probabiliori, tenetur sequi minùs probabilẽ, eo quod tutior est, & vt vitetur damnũ. Tota conclusio ex Notabili immediate antepofito elucidatur, vt manifestè patet.

Conclusionem hanc tenent Bannes 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. §. *Quod si quis Respondeat*. Suarez 1. 2. *tract.* 3 *disput.* 12. *sect.* 6. *num.* 10. vbi citat Sanctum Thomam *in* 4. *dist.* 28. Paludanum *dist.* 36. *quæst.* 2. *art.* 3. Adrianum *quodlibeto* 2. & *quest.* 5. *de confessione dub.* 7. Victoriam *in relatione de Iure Belli* Sotum *in* 3. *de iustitia, q.* 6. *art.* 3. Nauarrum *in cap si quis autèm, de pænitenti dist.* 7. *num.* 74. & 75. & Cordubam *q.* 5. qui fortè ex errato codice, Typographi incuria insufficienter, & mendosè allegantur. Nam apud Sanctum Thom. in tota illa *distinctione*, & apud Sotum *loco allegato*, nil tale inuenio. Sed hanc sententiam sequuntur Salas *disput. vnica de conscientia num.* 66. Aluarez 1. 2. *disp.* 80. *nu.* 9. vbi citat pro ea Sotum *lib. de ratione tegendi, & detegendi secretũ memb* 3. *q.* 2. *conclus* 3. & Sanctum Antoninum 3. *parte Theologiæ titulo* 3 *cap.* 10. §. 10. *regula* 4. Tenet etiam nostram conclusionem Martinez 1 2 *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 6. *conclus.* 2. & §. *Quarta ergò sententia*; & Franciscus de Lugo *in tract. de conscientia, cap.* 3. *nu.* 31. vbi citat Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 4. *num.* 29. & satis apertè docet conclusionem Corduba *lib* 3. *quæst.* 5.

Probatur primò; quia Homo tenetur ex iustitia, aut saltem ex Charitate vitare dictũ damnũ, vel procurare talem vtilitatem proximi, aut efficere validum Sacramentum, vel quid huiusmodi, ex comprehensis in conclusione. Sed hoc non vitat, quantum possibile est, nisi sequatur opinionem certam, vel quę magis ad certitudinem accedit, vt est probabilior. ergò in prædictis Casibus tenetur sequi probabiliorem opinionem, si non adest certa. Maior supponitur in conclus. tunc enim dicimus teneri ad sequendam probabiliorem, quandò ex sequela minus probabilis potest sequi aliquid contrà iustitiam, vel Charitatem Dei, aut Proximi, &c. Minor verò probatur, nam ex hoc, quod quis sequatur opinionem minùs probabilem, contingere potest quod non efficiatur Sacramentum, vt si quis iuxtà probabilem sententiam baptizet in nomine Genitoris, Geniti, & procedentis ab vtroque, fortè non fiet Sacramentum; & vltra hoc non facit Homo, quod commodè potest, vt euitet periculum iustitiæ Irreuerentiæ Sacramenti, vel quid simile.

Secundò probatur, & Confirmatur præcedens Argumentum ex differẽtia, quæ est interea, quæ pertinent ad actiones, seu Ius, & ea, quæ pertinent ad res, vel ad factum. Nam primum dicit ordinem ad operantem, & omnino periculum malitiæ tollit; nam si Homo sequens opinionem probabilem, quod aliquid non est peccatum, illud facit etiam si in se esset peccatum, reuera non peccat, quia sufficiẽter excusatur eo quod ei nõ est talis Lex sufficienter nota, & sic nõ obligat; & nulli alteri sequitur detrimẽtum, vt supponimus. secundũ verò dicit ordinem ad rem ipsam, & ex eo, quod sequatur Homo opinionẽ probabilem, non tollitur periculũ detrimenti, vt si non faciat sacramentum, si verus dominus priuetur hæreditate, si medicina minùs probabili medicus occidit infirmũm.

Tertio probatur ratione Magistri Soto *lib.* 4. *de Iustit. q.* 6. *a.* 5. *solut. ad* 4. nam ex opposita sententia sequitur grauis incõueniẽtia. ergò nõ debet sequi sequela probatur primò; sequitur enim, quod tam in particulari, quam in Auctoritatiuo iudicio, vincẽs pars iudicaretur victa quod videtur absurdũ sequela probatur; demus enim casũ: quod quis habeat probabilia iudicia, quod est dominus fundi, & probabilem pro se sententiam; alter verò probabiliora iudicia, & probabiliorem sententiam, tunc iste secundus vincit primum in iudicijs, seù probationibus, & in opinione doctorum. ergò si iudicans iudicat contra eum, cõstituit eum victum, cum in omni causa vinceret. itèm si essent probabiliora iudicia, quod Petrus occidit Hominem, & solùm probabilia, quod Ioannes occidit; & nihilominus aliquis priuato, vel publico iudicio decerneret, quod Ioannes occiderit, tunc qui meliorem habebat causam condemnatur; ergò recipit iniuriam. Secundò probatur sequela. nam si est opinio probabilis, quod pharmacum proficiet Infirmo. sed probabilior, quod nocebit; Medicus applicans peccabit, etiam si sequatur probabilem sententiam, vt omnes fatentur. Tertiò probatur, nam si est probabilis opinio, quod aliquis habet viginti; & quattuor Annos completos, probabilior autèm, quod non habet, posset ordinari sacerdos secundum eam opinionem probabilem, & tamèn non potest, nisi apertè constet attigisse quinque supra vinginti, quæ est in fauorem sacramẽti, & dignitatis Presbyteratus. Quartò probatur, nam si alicui proponatur secta aliqua, vt probabilis, & Religio Christiana, vt probabilior tenetur sequi probabiliorem Religionem nostram, ex charitate propria, quia in re, ex qua sequitur tantum nocumentum, quod certius est, debet admitti, & aliàs est infidelis positiuè. ex contraria verò sententia sequitur, quod possit absque peccato sequi sectam minùs probabiliter propositam.

Est

Est tamen Aduertendum circa vltimam partem conclusionis, quod cum sequitur detrimentum cultus diuini, vel damni proximi, eo quod sequamur aliquam opinionem, non solùm debemus euitare minùs probabilem, & operari iuxtà probabiliorem, sed aliquandò etiam relinquere probabiliorem, & sequi minùs probabilem, vt tale damnum euitemus: vt si in nemore latet Animal, & est minus probabile esse hominem, longè verò probabilius esse feram, adhuc non possumus sequentes probabiliorē opinionem illud occidere, nè fortè vera sit minùs probabilis, & sit Homo, qui occiditur. Idem videtur dicendum, cum Homo dubitat, an res, quam possidet sit propria, vel aliena, & probabile est esse propriam, sed probabilius esse alienam tunc enim non tenetur restituere, quia melior est conditio possidentis; vel ex hac vi videtur esse, quod potius teneor vitare damnum proprium, quam alienum. Cum verò ex vtraque sententia sequitur inconueniens, & vtrumque saluari non potest, saluandum est maius, vt ex multis citatis pro cōclusione aduertunt, vt patet in matrimonio nullo ratificando absque eo, quod innotescat id alteri coniugi; tunc enim, vt videmus. inf. in fauorem personę in eo periculo constitutæ cædit quodammodo Ius matrimonij, ac Claritas, & libertas ad eum requisita iuxtà probabiliorem opinionem, & sufficit sequi illā minimę probabilitatis, quod verbis communibus iniatur, non data coniugi notitia nullitatis. De singulis verò materijs, in quibus specialem habet difficultatem doctrina nostræ conclusionis, posteà dicemùs sigillatim, nam in communi non potest strictior regula assignari,

Oppositam sententiam absolutè docet Medina cum alijs citatis in nostra conclusione dubij 18. & Argumenta, quæ afferunt pro impugnanda ista pręsenti conclusione, sunt omnes probationes conclusionis nostrę assignatæ in dubio dicto 18. Quibus omnibus Respondetur cum limitatione, & ad primum.

Resp. dicendo, quod in illo Capite iuris, iam ponuntur limitationes, quæ à nobis in conclusionibus, quod scilicet vbi non est certitudo, sequatur opinio, quæ non habet aliquid contrarium præceptis Euangelicis, & doctrinę Sanctorum Patrum, quæ enim sunt contrà iustitiam, religionē, & charitatem Dei, & Proximi, sunt contrà Præcepta Euangelica, & contrà doctrinam sanctorum Patrum. Ad secundum distinguo illud Antecedens. *Opinio moralis ex eo dicitur probabilis in praxi, quia in praxi possumus rectà Conscientia illa vti.* Si ex ea nō sequatur aliquid contrà iustitiam, contrà Amorem Dei, & proptèr periculum occidendi hominem, & nocumentum, quod licèt minus probabilitèr potest sequi.

Dices: demus, quod ad huc inspecto, quod sequatur aliquid ex his nocumentis, sit sētia probabilis, quod possit Homo sic operari. Tunc illa sententia est probabilis practice ergo potest tutò sequi, alias non erit practicè probabilis, quod videtur implicatio.

Ad hoc Resp. 1. quod multæ secundùm se sunt sentenitæ probabiles aduc practicè, quę supposito, quod sequatur aliquid ex dictis inconuenientibus non manent practicè probabiles, neque earum Auctores iudicabunt esse probabiles. Verbi gratia, probabile est, quod hæreditas debet adiudicare ei, qui censetur probabilitèr e ominus eius, sed non est probabile, si alius probabilius id ostēdit, quod possit tribui illi, qui minus probabilitèr ostendit esse Dominum, & probabile est, Chatedram posse dari digno, sed non in concursu cum digniori.

Secundò Resp. quod licet illa sententia ex qua sequitur aliquod ex prędictis inconuenientibus ex se, & solitariè considerata sit probabilis, sed collata cum probabiliori in prædicto Casu, non manet practicè probabilis. Et ratio est, quam sępè assignauimus, quod s. vt quis satisfaciat Legi, & operationem rectam eliciat, sufficit, quod procedat iuxtà opinionem probabilem nec tunc sequitur aliquod inconueniens, etiamsi talis sententia esset falsa, quia excusatur à peccato. Sed cum ex hoc, quod sequatur opinionem minùs probabilem, sequitur præiudcium fidei, vel Iniuria *Sa*cramento, vel damnum proximo, aùt quid simile non excusatur tale damnum, & ideo maiori eget certitudine ad hoc, quod operetur, & sic debet sequi opinionem probabiliorem: imò aliquandò, neque iuxtà probabiliorē licet operari, quia non saluatur nocumentum proximi. Verbigratia, in venatione ferarum dum aliquod Animal latet in nemore, & si sit probabilior opinio, quod est Brutum, & multò minùs probabilis, quod est Homo, non licet occidere proptèr periculum occidendi hominem, & nocumentum, quod *licèt* minus probabilitèr, potest sequi.

Ad primam Corfirt in dub. 18. dico, quod absolutè loquendo, etiamsi sequatur aliquod inconueniens contrà Iustitiam, & charitatem Dei, vel proximi, tam in speculatiuis quam in practicis, potest opinio verè probabilis sequi, Sèd si aliquod simile sequatur, neque in speculatiuis licet sequi probabilem opinionem, vt si ex illa sequatur aliquid contrà fidem, vel doctrinam, vel mores ecclesię, qua ratione illa celebris questio, an simplex fornicatio, quæ scilicèt est inter solutum & solutam, sit licita, licèt fortassè attentis solum naturalibus rationibus, haberet aliquam probabilitatem, nullo modo vt probabilis ad mitti potest attenta doctrina ecclesiæ, & sic neque multæ sententiæ in practicis propter nocumenta, quę sequuntur. Ad secundā conf. dico, quod cum ex opinione minùs probabili, quę ex se rationabilis videbatur, forte sequitur aliquod incōmodum religioni, & cultui diuino, vel proximo, iam ex hoc capite incipit esse irrationalis, & sic non licet illam sequi in practica. Ad Tertiam conf. dico, quod procedit solum de actionibus, & de iure non de rebus, & de facto. Cum verò sequitur nocumētū præd ctum religioni, vel proximo, iam est alia Ratio, quę petit maiorem Circumspectionem, & sic sequi probabiliorem sententiam.

Ad tertium Argumentum concedimus libentèr, non teneri nos ad perfectiora sed ad hoc vt malum non operemur: cum autèm sequitur ex sequela opinionis minùs probabilis, damnum Religioni, vel Proximo, non vt quid perfectius, sed vt quid necessarium debemus illud euitare, sequēdo probabiliores sententias. Ad quartum dico, quod licèt illa Inconuenientia ex parte sequatur si omninò tollimus posse sequi minùs probabilem sententiam, sed nos concedimus illud in actionibus nostris, quæ pertinent ad Ius, & solum negamus in operibus, ex quibus modo exposito, sequitur damnum, in quibus obligare ad sequendū quod probabilius est non causat, sed tollit inconuenientiam, de casibus autèm adductis in Argumento dicemus ex professo in seqq.

Ad

Ad Quintum dico, quod cum ex opinione probabili sequitur aliquod inconueniens, ratione eius iam est contra synderesim, saltem mediatè, operari iuxtà illa sententiam, & si ex opinione speculatiua sequeretur aliquod falsum, etiam esse mediatè contrà principia, assentiri illi. Ad 6. dico, quod cum ex aliqua sentétia minùs probabili sequitur damnum Religioni, vel Proximo, iam desinit esse suauis, & humana. Ad septimum, & vltimum Argumentum dico, quod viri timorati, cum imminet irriuerentia cultui diuino, vel damnum proximo, nequaquam sequentur opiniones minùs probabiles, sed probabiliores, & securiores, vnde Argumentum est pro nobis; de Iudicibus vero dicemus infrà.

DVBIVM XX.

An Indoctus qui per seipsum nescit callere opiniones, & earum maiorem, vel minorem probabilitatem, potest sequi opinionem quam iuxtà superius dicta potest sequi quilibet etiam doctus.

Conclusio. Indoctus, qui per seipsum nescit callere opiniones, & earum maiorem, vel minorem probabilitatem, potest sequi opinionem, quam iuxtà dicta potest sequi quilibet etiam doctus, quod si per se is illam non valet cognoscere, poterit sequi, quam viri docti, & pij ab illo consulti dixerunt tuta conscientia posse sequi, neque ampliùs potest ab illo exigi. Atque adeò idé, quod potest in hac parte sequi vir doctus, poterit indoctus, si à perito doceatur.

Probatur primò Auctoritate Nam in primis apud antiquos Patres, & doctores nó inuenimus discrimen constitutum inter doctos, & Indoctos quãtum ad obseruantiam Legis Dei & cósciétie preter hoc, quod vbi ignorát debét à peritis edoceri: voluntariè ergò in re tanti momenti constituitur discrimé, deindè licet aliqui Theologi relati supra constituant tale discrimen, tamèn plures sunt, qui contradicunt, & nostram profitentur conclusionem, nempè Conradus *quæst* 100 quæ est vltima *de contractibus cõclusione 2. in secundo casu* Héricus *quodlibeto* 4. *quæst* 33. ex Iurisperitis Panormitanus *in cap. Capellanus, de ferijs* Imola *in capite per tuas 2. de simonia.* ex Theologis iterum Vasquez *disput.* 52. *capi* 8. *§. mihi maximè*. Antonius Perez *in Laurea certamine io Scholastico*, *n. 66.* Lorca *disput.* 39. *membro* 1 Montesinos *disput* 29. *q.* 5. §. 3. *num.* 177. Martinez 1. 2. *q.* 19. *art. 6. dub. 6. §. ex dictis sequitur* Sayrus *lib.* 1. *capi* 8. Aduertit tamèn iste meritò, magna prudentia opus esse, quia vt dicit etiam Salon 2. 2. *quæst 63. art. 4. controuers.* 2. aliquando sententia, que ab aliquo ob singularitatem, vel aliam causam mediocris defenditur, ab alijs meritò improbabilis in practica iudicatur: quod si indoctus consultans habet hanc notitiam, non excusatur sequendo eius consilium, sed tenetur alios consultare.

Secundò probatur. Nam si quisque doctus, & probus potest sequi opinionem suam, relicta aliorum opinione, siuè potest sequi opinionem aliorũ relicta sua siuè probabilior sit, quam eligit, siuè solum probabilis iuxtà determinata a nobis in cõclusionibus præcedentium dubiorum; cur non habebit eandem libertatem illiteratus, qui probi, & litterati viri consilio vtitur, & moribus doctrinę, quę eius merito fidem ad hibere debet. Nam quãtocumque aliquis illiteratus sit aduertit sufficienter, Doctorem illum esse probum virum; & quod sequitur illam sententiam tám in docendo, quam in operando: ex quo facilè colligere potest, doctrinam illam à quolibet, & à seipso sequi posse, ex quo efformat Iudicium conscientiæ, quo decernit, licitè se iuxtà sententiam posse operari.

Dices, quod cum non peruenit ad notitiam illiterati, in ea re esse varias sententias, potest sequi, quam doctus proponit sequendam, sed si quocunque modo esse opiniones contrarias, tenetur sequi, quam intelligit esse communiorem, & probabiliorem; ne se committat periculo errãdi. Sed contrà hoc est quod doctus etiam scit esse varias opiniones, & quasdam esse probabiliores, & tamen non tenetur sequi communiorem, vel probabiliorem semper, sed iuxta dicta in conclus; neque ex hoc se exponit alicui periculo sequendo probabilem: ergò neque illiteratus, maximè siá docto dirigatur, e se exponit alicui periculo.

Tertio probatur, quia non potest assignari sufficiens, ratio cur non possit illiteratus sequi tuta conscientia, quod Doctor pius consuluit, & de de facto sequitur.

Opposita sententia distinguit de Docto, & Indocto quantum ad hoc, quod est per se cognoscere maiorem, vel minorem probabilitatem sententiarũ circa hoc, quod licet vel non liceat in moralibus. Loquẽdo verò de viro literato, & Docto, qui scit discernere inter opiniones, & callere earum probabilitatem maiorem, vel minorem, dicit hęc sententia, quod vera est vna de opinionibus relatis in sup. dubijs, licèt maior pars Auctorum sententijs huius adhæreat Auctoribus citatis alias. Loquendo verò de laico illiterato, cuius non est inter opiniones discernere, neque de his rebus, inquibus esse solet Controuersia, per seipsum potest aliquam habere opinionem non est concors Auctorum sententiæ huius opinio. Aliqui existimant huiusmodi illiteratum debere semper sequi opinionem, quã ipse existimat inter peritos in ea re esse magis communem, nisi fortè opposita sit tutior, tunc enim absque dubio tutiorem poterit sequi, sed modò solùm loquimur de probabilitate. Sentétiam hanc tenent Ioannes Maioris *q.* 2. *super Prologum lib. 2. sententiarum, concl.* 5. & Corduba *lib. 2. q.* 8. *in resolutione* quest. dicto 4.

Fundamentum est. Nam temerarius videtur imperitus homo, qui ex se nescit non enta opinionis expendere, si relinquit opinionem communem, quam videt à pluribus, vt probabiliorem existimari, & sequitur in suo opere opinionem minùs communem, & minùs tutam, qui enim nescit viam aliquam, ne aberret debet commune, & tritum iter agere, & non se committere semitis non æquè tritis, quia & si putentur commodiores; sed se exponet periculo errandi. Resp. quod Indoctus, qui vtitur consilio probi, & docti viri, non solùm non est temerarius, sed prudens, & rectus.

Sed meritò Inquires hic; *An liceat illiterato habere propositum consulendi varios doctores, & illos de facto consulere, donec aliquis sibi respondeat ad libitum*. In qua difficultate negant Adrianus *in 4. in tractatu de restitutione, quæstione de præscriptione, dubio vltimo*, & Nauarrus *in manuali, cap. 17. num.* 83. fundamentum eorum est quia tales non intendunt facere, quod debitũ,

&

& honestum est, sed quod libet iuxtà Auaritiam vel aliud prauum affectum, sed sit.

2. Conclusio. Licitum est habere Intentionem consultando varios doctores donec aliquis verè doctus, & pius proponat opinionem, quæ consultanti faueat, nisi actus hic vitietur ex mala intentione consultandi imperitum, vel prauum, vel non adimplendi. nisi quod sibi fauet etiam si nõ proponatur vt vere probabile, vel quid huiusmodi. Sententiam, & conclusionem hanc docent Zumel 1. 2. q. 76. a. 2. *disp.* 4. in fine. Thomas Sanchez *lib.* 1. *decalogi cap.* 9. *num.* 28. & Franciscus de Lugo *in tractat. de conscientia cap.* 3. *q.* 6. *n.* 2. Probatur, nam vnicuiq; licet ius suum via licita defendere, & ad hoc inuestigare vias iustas, & rationes probabiles; id verò facit, qui consulit viros pios, & doctos, vt si fortè aliquis demonstret viam iustam, seù opinionem probabilem, quam iustè sequendo rebus suis fauet. Confirmatur; viro docto licet studere, & speculari Auctores, & opiniones diuersas si fortè inueniat aliquam verè probabilem, iuxtà quam faueat rebus suis, vt quotidiè experimur, sed idem mediantibus doctis facit ignarus quærẽs opinionem probabilem sibi fauentem: ergò id licitè facit.

DVBIVM XXI.

An semper debeamus sequi opinionem tutiorem.

PRo resolutione nota, aliud, est quod opinio sit probabilior, & aliud, quod sit tutior: nam maior probabilitas desumitur ex ordine ad veritatem magis, vel minus ostensam rationibus, & testimonijs: quæ maior probabilitas æquè bene potest esse in ea opinione, quæ dicit actum esse licitum, & in ea, quæ dicit esse illicitum; maior verò securitas desumitur ex ordine ad obseruantiã legis, & sic semper est maior in ea opinione, que affirmat actum esse prohibitum, etiamsi hęc sit minùs probabilis, quàm opposita, quę dicit hunc actum esse licitum, quia sequendo illam, numquam malè agemus.

Conclusio. Licitum est sequi opinionem magis, aut etiam æquè probabilem, quamuis sit minùs tuta. Quod liceat sequi probabiliorem, etiam minùs tutam, tenent Siluest. *verbo, dubium.* 2. §. 2. *& verbo, confessor.* 2. *num.* 3. *& verbo, confessio.* 1. *num.* 18. Corduba *lib.* 2. *q. proposit.* 2. & alij, quos refert, & sequitur Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput. vnica sect.* 5. *num.* 46. *& num.* 51. quorum ratio est, quia in eo casu excessus securitatis compensatur excessu probabilitatis. Quod verò liceat etiam sequi opinionem æquè probabiliorẽ, minùs tutam, docent Soto *lib.* 3. *de Iustitia q.* 6. *art.* 5. *ad quartum*, Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. per totum, *& cap.* 16. *q.* 2. 3. *&* 8. *& cap.* 17. *q.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 4. *&* 5. Salas *loco citato*, & alij. Ratio huius Conclusionis est, quia quando esset periculum errandi, circa res fidei, nulli parti liceret nobis assentiri, etiam si adhibita sufficienti diligentia, vtraque iudicaretur probabilis, imò etiam si altera iudicaretur probabilior: consequens autem est contra communem consensum, & vsum Sanctorum, & Doctorum, qui suis opinionibus adhęrent, easque probabilibus rationibus persuadere nituntur, quod approbat D. August. *Epist.* 19. & refertur *cap. ego solus. dist.* 9. sequela verò probatur, quia tutius esset nulli parti præbere assensum, militãtibus hinc indè rationibus probabilibus ex Sacra Scriptura, aut regulis fidei deductis, nè fortè assentiendo huic, vel illi opinioni Sacrę Scripturę aduersaremur.

Confi. quia etiam sequitur abstinendum esse ab executione earum omnium actionum, & contractuum humanorum, quos aliquæ opiniones damnant vt illicitos, quia istę opiniones tutiores sunt, quam oppositæ: sed hoc dici non potest, nam prorsus omninò cessarent humana cõmercia; cùm ferè nullus sit cõtractus ciuilis, in quo non sit opinio damnans eum, vt illicitum: ergò satis est sequi opiniones probabiliores, vel saltèm ęquè probabiles, quamuis sint minùs tutæ. Conf. 2. quia quidam docent, nos teneri præcepto pœnæ dolere de peccatis singulis diebus festis: quidam teneri similitèr confiteri ea, statim, ac à nobis committuntur, & ad est sufficiens occasio. Alij circumstantiã diei festi, esse necessariò explicandam in Confessione: & quamuis sequi has opiniones sit tutius, & securius, quã sequi oppositas; possumus nihilominùs optimè tuta conscientia, contrarijs opinionibus conformari.

Oppositam sententiam docuit Caiet. in summa verbo, opinionis vsus, vbi ait, peccare eum, qui relicta opinione tutiore, sequitur minùs tutam maximè si non deponat formidinem, fauet Corduba *loco cit. & lib.* 3. *q.* 5. quiquamuis nobiscum sentiat de opinione probabiliori minùs tuta; ait tamen, quandò opiniones sunt ęque probabiles, tutiorem esse necessariò sequendam. fundamentum huius sententiæ est, in dubijs tutiorem partem esse sequendam, vt habetur expresśè in iure *cap. significasti.* 2. *de homicidio*, *cap. si quis autèm de pœnitentia dist.* 7. Nec satis est dicere cum Diuo Antonino *loco citato &* 2. *parte, titulo* 5. *& cap.* 10. §. 2. *&* Nauarrus *cap. si quis autẽ de pœnitentia dist.* 7. *à num.* 30. Et sequentibus, his iuribus non dici tutiorem partem esse sequendam de præcepto, sed solùm de Consilio. Non inquam valet, quia *cap. ad audientiam, de, homicidio, & cap. Iuuenis, de sponsalibus, & cap. illud de clerico excommunicato* expresśè determinatur, nos debere in dubijs tutiorem partem sequi.

Confi. 1. quia qui assentitur parti æquè probabili, & minùs tutę temerè & sine ratione id facit solùm pro libito suo, assentiendo illi, potiusquam oppositæ; ergò peccat, si in praxi sequatur talem assensum temerarium, & irrationabilem: patet consequentia, quia assensus irrationabilis, & temerarius non est sufficiens regula actionum humanarum. Confi. 2. quia eligere opinionem, in qua est periculum violandi legem Dei spreta opinione, quæ caret tali periculo, est voluntariè exponere se periculo peccandi, iuxtà illud Eccles. 3. *qui amat periculum, peribit in illo.* Confi. 3. quia ex duobus malis eligendum est minùs, quando vtrumque vitari non potest *c. duo mala c. nerui* 13. *dist. & regula, quoties* § *de regulis iuris* quam optimè confirmat Decius *ex varijs iuribus* idem dixit Arist. 2. *Ethicorum c.* 9. *problem.* 13. *&* 15 *sect.* 29. ergò quandò ex vna parte imminet malum, & non ex altera, eligenda est illa pars, vbi nullum malum imminet.

Resp. reuera illa intelligenda esse de dubio strictè sumpto, quando scilicet intellectus nulli parti determinatè præbuit assensum, sed suspensus mansit; non autèm quandò intellectus eligit determinatè vnam ex illis opinionibus, vt conformitèr ad illam operetur, quamuis cum formidine,

contrariæ, ita explicat Siluest. *verbo dubium q.* 2. §. 4. *verbo opinio*, §. 1. Nauar. *cap.* 27. *num.* 288. *& lib.* 2. *Consiliorum*, *tit.* 1. *de pœnitentijs*, *& remissionibus*. *Consil.* 8. *num.* 7. *& cap. si quis autem, de pœnitentia, dist.* 7. *num.* 42. & Corduba *lib.* 2. *q.* 3. *propositione* 3. Vel secundò potest responderi, decisiones illas procedere de dubio practico, & non de speculatiuo; nam & si operans nulli ex duabus opinionibus contrarijs speculatiuè assentiatur, vt verè. Sed assensum suspendat, & dubius maneat de veritate, dummodo iudicauerit vtramque esse probabilem, poterit practicè conformare, se cuilibet earum, secùs tamen si etiã iudicium practicum dubium fuerit. Denique tertiò dici potest, tunc solùm teneri eligere tutiorem partèm, quandò ex eo quod eligamus minùs tutam, sequitur aliquod graue nocumentum, aùt notabile grauamen, siuè spirituale, siuè corporale nobis, aùt alteri, nam tunc saltèm ex Charitate tenemur illud vitare. Cæterùm quandò non sequitur tale damnum, possumus optimè sequi minùs tutam: sed vbi sequuntur grauia incõmoda, eligenda sunt minora. Ita Respondet Med. 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. & Aragon. 2. 2. *q.* 63. *a.* 4.

Ad primam Confirmationem Respondeo negando Antecedens, sicùt non est temerarium, & irrationabile ex duobus medijs, æquè vtilibus ad finem, eligere quodlibet; nam sicùt in vnoquoque est sufficiens ratio, propter quam eligatur, ita quælibet duarum opinionum æquè probabilium habet sufficientes rationes, vt intellectus moueatur ad præbendum illi Assensum. Ad secundam dico, nullum periculum esse sequi opinionem probabilem, etiàm minùs tutam; nam eo ipso; quod probabilis est, potest tuta conscientia amplecti, alias non diceretur probabilis; sicùt enim illa dicitur probabilis opinio in speculatiuis, cui possumus assentiri sinè periculo erroris, ità similiter illa dicetur probabilis in practicis, cui conformare possumus conscientiam nostram sine periculo peccandi. Vel secundò dico, non esse peccatum, exponere se periculo violandi legem Dei incertá, & dubiam, sicùt interdum non peccat, qui exponit se periculo violandi præcepta Dei omninò certa, & indubitata, vt contingit illi, qui ex Charitate, & obedientia agit vitam apud infideles, & maximos peccatores. Ad tertiam Confirmationẽ; Respondetur ad missò Antecedenti, concedendũ esse consequens, si malum illud certò, & indubitatè immineret, quia tamen in casu Conclusionis solùm opinatiuè imminet, licitum est sequi alteram partem, etiamsi eam sequendo exponatur operans periculo errandi maximè si ex eo, quod non exponeretur tali periculo, incurrat damnum aliquod vt sup. explicauimus.

DVBIVM XXII.

Quid faciendum; Quandò vna opinio est magis probabilis, sed minùs tuta, vel è contrà minùs probabilis, sed magis tuta.

PRima Conclusio. Si opiniones sunt æquè probabiles, & æquè tutæ, datur optio, & potest homo sequi, quam voluerit. Hæc Conclusio explicanda, & probanda est, sicùt similis posita dub. Antecedentibus. Secunda Conclusio. Quandò opinio est probabilis, & minùs tuta, etiamsi opposita improbabilis sit magis tuta, potest sequi absque aliquo peccato. Explicatur conclusio: opinio probabilis est, quod licèt recipere ad vsuram ab vsurario parato dare cuilibet, sed est minùs tuta, quam contraria opinio improbabilis, quod nõ licet. Affirmat ergo nostra Conclusio, quod licitè indigens potest petere, & recipere pecuniam ad vsuram, & si contrarium, quod scilicèt non recipiat, sit tutius, quia est opinio aliquorum, id non licere; sed hæc opinio probabilis non iudicatur. Videantur pro hac conclusione, Lorca *disp.* 34. *memb.* 1. & Montesinos *disp.* 29. *q.* 5 *§.* 2. *versu, quantum ad primam*. Ratio Conclusionis est; nam nemo tenetur sequi opinionem improbabilẽ etiamsi sit tutior, sufficit, quod operetur iuxtà opiniones tutas, & probabiles, seù probabiliores, nam aliàs ferè non posset operari.

Tertia Conclusio. Si vna opinio est probabilis, & tutior; contraria verò est improbabilis, & minus tuta, tenemur operari iuxtà probabilem, & tutiorem, & non possumus operari absque peccato iuxtà improbabilem, & minùs tutam. Verbi gratia, est opinio probabilis, & tutior, quod non licet vti osculis, & tactibus impudicis: & contraria, quod licet, quam docuit Martinus de Magistris, & improbabilis, & minùs tuta. Dicimus ergò nos teneri sequi priorem opinionem, & non posse absque peccato operari iuxtà hanc secundã, de qua videantur Lorca *disp.* 39. *citata, membro* 1. & Montesinos *disp.* 29. *quæst. quinta* §. 2. *versu. Quantum ad*.

Probatur primò, quia ille, qui relicta opinione probabili, & tuta, sequitur improbabilem, & minùs tutam, temerè, & absque ratione deflectit in illam exponens se periculo peccandi, ergò peccat, quia omnis, qui temerè, & absq; conuenienti ratione se exponit periculo peccandi, peccat. Secundò probatur, quia omnis vsus fidelium, qui habent curam conscientiæ abstinet ab hujusmodi opinionibus, & si ex fragilitate operantur iuxtà illas, vt de tactibus impudicis, reputant peccata, & in Confessione de illis se accusant ergò temerariè quis vellet absquè formidine peccati tales opiniones sequi.

Quarta conclusio. licitum est sequi opinionem probabilem, & tutiorem, & etiam opinionem minùs probabilem, & magis tutam, sic Paludanus *in* 4. *dist.* 36. *q.* 2. *art.* 3. *nu.* 16. Caietanus *tom* 1. *opus triginta vnius Responsionum responsione* 17. *& in summa verbo, opinionis vsus*, Armilla *verbo, opinio, nu.* 2. Salas *tract.* 8. *disp. vnica nu.* 61. Montesinos *disp.* 29. *q.* 5 *§.* 3. *in principio*, & Corneio *tract.* 8. *disp.* 3 *dub.* 6. *in principio*. Probatur, & explicatur conclusio, nã in primis cum est opinio probabilior, & tutior habet omnia requisita, vt possimus illam sequi, tàm ex parte probabilitatis, quã securitatis. ergò si aliqua opinio potest sequi in practica, est, quæ est probabilior, & tutior. Deindè, quæ est minùs probabilis, si est magis tuta, ex eo absque dubio potest sequi, quia ex parte probabilitatis habet sufficiens fundamentum veritatis, quod si est minùs probabilis alia, id recompensatur abundè securitate.

Conf. 1. quod tutius est, saltim de consilio est sequendum, quia in hoc nullum est periculum peccandi. etiam si sit minùs probabile, ergò licitum est sequi opinionem minus probabilem si est magis tuta, quod explicatur exemplo. Consultat, aliquis, an teneatur restituere aliquam summam? Et sunt duæ sententiæ; probabilior dicit non teneri ad restituendum, & minus probabilis dicit teneri,

neri. Quis audeat negare, quod si iste vt tutior maneat, vult restituere, & restituit, sequendo minùs probabilem sentētiam seù tutiorem rectè facit. Conf. 2. ex illo Lucæ 19. 8. *Stans autèm Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do Pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Vbi in dubio defraudationis tutiorem eligit partem: & Christus factum laudat, dicens, *quia hodiè salus domui huic facta est, eo quod, & ipse filius sit Abrahæ.*

Quinta conclusio. Si opinio est probabilior, etiam si sit minùs tuta, sequi potest. vt si probabilior opinio censet contractum aliquem esse licitum, & minùs probabilis esse illicitum, quę vtiquè tutior est, eo quod non contrahendo, non manet periculum, in hoc casu licitum est, exercere talem contractum sequēdo opinionem probabiliorem minùs tutam, quę tamēn satis tuta est ac maioris probabilitatis. Sed hęc conclusio limitanda est iuxta dicta, quod vera sit, nisi ex sequela probabilioris sententię sequatur aliquid, quod ex iustitia, vel charitate tenemur euitare. Sententiam hanc expresse docent Sylnester *verbo, Dubium,* §. 2. Corduba *lib. 2. q. 3. in tertia propositione* Vasq. *disp. 62. cap. dec.* § *sed antequā.* Probatur primò *ex Cap. Capellanus, de feriis,* vbi deciditur eam opinionem esse sequēdam, quę meliori, & subtiliori ratione nititur.

Probatur secundò, quia non semper debemus sequi tutiores opiniones, sed aliquandò licet sequi in praxi minùs tutas; sed si aliquando potest sequi minùs tuta opinio, maximè, cum est probabilior. ergò cum sententia est probabilior, etiamsi sit minùs tuta sequi potest in praxi. Maior ostensa fuit supra, minor ex eo patet, quod si aliqua opinio minùs tuta potest sequi maximè debet esse ea, quę est probabilior, nam in nulla alia est equatio.

Tertiò probatur. nam excessus probabilitatis recompensat, & excedit excessum maioris securitatis, qui est in opinione minùs probabili: ergò ad minus relinquit opinionem probabiliorem, & minùs tutam sequibilem in praxi. Consequentia est bona, & Antecedens probatur. Dato enim, quod non possumus circa omnes materias habere euidentiam, sed necessarium est, circa plures operari iuxta probabiles noticias, non potest quid conuenientius, & confirmius rectę rationi, & prudentię eligi; quam probabilior ratio, & maior Auctoritas suadet, quod pertinet ad opinionem probabiliorem.

Quarto probatur. Licitum est vnicuique conformari rectę rationis dictamini; sed recta ratio dictat conformari probabiliori opinioni ergò licitum est illi conformari, etiamsi non sit magis tuta. Maior ex eo probatur, quia Ratio est proxima Regula moralis operationis, vt manet dictum in dubis positis. Ergò licitum est conformari illi. Minor etiam probatur, quia probabilior sententia est magis conformis rationi, & veritati; aliàs non esset probabilior: Ergò dictat ratio conformari illi. Et consequentia probatur, quia si aliquod obstaret, maximè, quod est minus tuta, sed nemo tenetur sequi tutiorem, vt manet dictum. Ergò hæc ratio non obstat.

Quinto probatur quia aliàs nunquam poterit homo excusari à peccato propter ignorantiam prouenientem ex hoc, quod sequitur aliquam opinionem probabilem, quod videtur absurdum, & contrà communem opinionem concedentem ignorantiam inculpabilem ex hoc, quod sequitur probabilem opinionem asserentem non esse peccatum. Sequela probatur nam si posset aliquando excusari maximè quandò sequitur probabiliorem opinionem (nam quando sequitur minùs probabilem, minùs potest excusari, & quando tutam, non est, quo excusetur) sed iuxta contrariā sententiam non excusatur, quando sequitur sententiam probabiliorem minùs tutam. Ergo nunquam excusatur.

Sexta Conclusio. Opinio minùs probabilis, & minus tuta, dùmmodo verè sit probabilis practicè, sequi potest in vsu, nisi ex illa sequatur aliquid quod ex Iustitia, vel Charitate euitare teneamur. Prima pars Conclusionis huius est, quod possumus licitè sequi in vsu opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, dummodo verè sit probabilis. Verbi gratia. Circa contractus sunt duæ sententiæ. Probabilior, & tutior dicit non posse exerceri, quia est Vsurarius, vel iniustus aliquo modo. Secunda minùs probabilis, & minus tuta; sed re vera probabilis, dicit, licitum esse: ait ergò hæc pars Conclusionis quod potest sequi licitè hęc secunda sententia, & hanc partem Conclusionis tenent omnes citandi pro tertia sententia, & confirmant, Argumenta ibi adducenda. Secunda pars est, quod si ex hoc, quod sequamur sententiam minùs probabilem, & minus tutam, sequatur aliquid contrà Deum, vel Proximum, quod ex Iustitia, vel saltem ex Charitate vitare teneamur; tunc non possumus sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, sed tenemur sequi probabiliorem, & tutiorem, quæ ex hoc quod tutior est, non infert huiusmodi nocumenta, aliàs tutior non esset, sed minùs tuta.

Septimam Conclusio. Si opinio est æquè probabilis, & minùs tuta, sequi potest tuta conscientia, nisi ex ea sequatur aliquid, quod vitare teneamur ex Iustiti, vel Charitate modo explicato in secunda parte conclusionis præcedentis. Hęc Conclusio apertè deducitur ex præcedenti, nam si possumus sequi minùs probabilem, & minùs tutam, à fortiori equè probabilem & minùs tutam. Videatur de ea Salas *disp. vnica, de conscientia, sect. 5. n. 51.* vbi pro ea citat Medinā, qui non loquitur de tuta, sed solùm de minùs probabili. Gabriel Vasq. *disp. 62. c. 4. & 5.* & Azorem *tomo. 1. lib. 2. cap. 12. & cap. 16. q. 2. 3. & 4. & cap. 17. q. 6.* Octaua conclusio. Illiteratus potest sequi sententiam, quam docti cōsulti illi proponunt licitè posse sequi, & absque peccato, dummodo oppositum aliqua via non intelligat, sed bona fide sequatur consilium, quod docti, & sani. illi præbent, affirmantes id tuta cōsciētia posse sequi. Quod si diuersæ sentētiæ, siuè ab vno, siuè à pluribus proponantur, vt licitę, & sequendæ, in praxi potest sequi, quam voluerit. Hæc conclusio explicanda, & probanda est, sicùt similis posita dub. antecedenti.

Sententia prima opposita est, quod si opiniones sunt æquè probabiles, necessarium est sequi tutiorem, sic Corduba *lib. 2. q. 3. in 2. propositione, & lib. 3. q. 5.* Syluester, *verbo, dubium,* §. *2. & verbo, Confessor, 2. num. 3. & verbo, Cōfessio, 1. num. 14. & verbo, opinio, quæst. 1. in fine.* Tabiena *verbo cōfessio n. 11.* Angelus *verbo, opinio, num. 2.* Sanctus Antoninus *3. parte, titulo 14. cap. 19.* § *8. conditio 6.* Palud. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. conclus. 1.*

Sententiæ huius fundamentum est. In Casu, quod Homo videt opiniones probabiles æqualitèr, vel manet dubius inter vtramque, vel eligit minùs tutam, sed in vtroque casu peccat: relinquitur ergò, vt rectè operetur, quod debet eligere, & sequi tutiorem. consequentia est bona, & maior certa; necessarium enim est, quod vel maneat dubius, & indecisus, nullam eligens, vel quod eligat aliquam, quę si est tutior, tenemus intentum, si minus tuta, est casus Argumenti. Minor verò probatur, nam in primis, si manet dubius, nullam partem eligens, & manente dubio tenere sequitur partem minùs tutam, peccat, eo quod in dubijs tutior pars est eligenda. deindè si prolibito eligit sententiam minùs tutam, irrationabiliter procedit, quia absque vlla ratione adhęret parti minùs tutę, cùm opiniones sint æqualiter probabiles, sequi autèm irrationabile iudicium, peccatum est.

Conf. si vni opinioni subest periculum violandi præceptum, & alteri ęquè probabili non subest; & homo eligit priorem, in qua est periculum, videtur gratis, vel absque ratione amare periculum, & se in illo constituere, & sic perit in ipso, iuxtà illud Eccles. 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*.

Resp. quod licèt sanum consilium sit, quandò duæ opiniones sunt equè probabiles, sequi tutiorem, sed ad hoc obligare sempèr, est preter rationem, cum liberum sit sequi, quod verè probabile est, eo enim ipso est tutum; & vt vidimus in superioribus, nemo tenetur ad probabiliùs, & tutius sicùt nequè ad perfectius. solum hoc potest esse verum, cum ex hoc, quod sequamur minùs tutum, consequitur damnum, quod ex Iustitia, vel Charitate, tenemur euitare, vt diximus in superioribus.

Ad fundamentum eius Resp. quod vt homo rectè operetur, debet adhære vni ex illis æqualitèr probabilib' opinionib', & si adhæret solū, quia vult opinioni minùs tute adherere ex illa formare cōscientiā, quod illā sequendo vt poté probabilem, rectè operatur, & sic operatio iuxta hanc sententiam erit recta. Ad impugnationem nego, quod tunc procedat irrationabilitèr, immò procedit valdè rationabilitèr, cum vt supponimus, sequatur opinionem verè probabilem, atquè adeò conformem rationi, & cū homini se offerunt duo conformia rationi, & si vnum sit magis conforme, & duo bona moralia, & si vnum sit maius, rationabilitèr homo eligit, quod illi placet, relicto maiori, aliàs homo irrationabilitèr eligeret Matrimonium relicta continentia, & vitam secularem relicta religiosa, quę sunt absurda.

Ad conf. dico, quod duplicitèr potest intelligi illa propositio; *si vni opinioni subest periculum violandi præceptum, & alteri æquè probabili nō subest, gratis, & absque ratione eliget primam*. Primò itaùt opinioni vni immineat periculū morale peccandi, verè & formalitèr, & sic verum est, quod non rectè faciet, eligendo illam opinionem. Sed in præsenti non sic contingit, eo quod sequēs probabilem opinionem, nulli se exponit periculo peccandi, nam & si illa esset falsa, & reuera esset peccatum, ipse excusatur ab illo sequēdo quod probabile censet. Secundò potest intelligi, quod vni opinioni subest periculum, non morale, sed physicum, eo quod si opinio non est vera, actus est prohibitus in rei veritate, licet illi non imputetur ob ignorantiam inuincibilem, eo quod sequitur probabilem sententiam, quod peccatum non est, & hoc periculum potest subire Homo absque periculo peccandi, aliàs semper deberet sequi partem tutiorem, relicta etiam probabiliori opinione, quia aliàs subest periculum hoc, faciendi materialiter, quod est peccatum, si fortè illa Opinio probabilis, vel probabilior vera non est, neque enim opinio aliqua habet certitudinē suę Veritatis infallibilem. Aliàs non esset opinio, sed scientia.

Sententia secunda opposita est, quod si opinio est magis probabilis, & magis tuta, necessariò est sequenda, vndè non potest sequi in praxi opinio minùs probabilis, & minùs tuta. Sic Conradus de *Contractibus q.* 100. *qua est vltima, conclusione prima, casu* 5. *&* 7. *& Conclus.* 2. *Maioris in* 4. *q.* 1. *Prologi, Conclus.* 3. Corduba *lib.* 2. *q.* 3. *propositione* 1. Adrianus *quodlibet* 2. *puncto* 3. Soto *lib.* 3. *de iustitia, q.* 5. *art.* 6. *ad* 4. *in* 4. Sed hic solum loquitur de Iudicibus, & Medicis. Alij citant pro hac sententia Gabrielem *in* 4. *dist.* 5. *q.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. Syluestrinum *verbo, opinio, q.* 1. *& in eodem verbo* Angelum *num.* 2. *&* Tabienam *verbo confessio* 1. *num.* 11. Probatur. Quando communis opinio bonis rationibus impugnatur, sequenda non est; sed hoc non est ex alia causa, nisi quia opinio pro qua militant meliores rationes, est probabilior. Ergò opinio probabilior anteponenda est, minus probabili, etiamsi sit communis; Minor, & consequentia patent, & maiorem docent, & probant Cotta *in memorabilibus, verbo, opinio, ex lege* 1. *communiter allegata ff. de officio quæstionis* Bugos de Paz *in Proæmio Legum Tauri; nu.* 244. Iason *autentica nouissima C. de in officioso testamento. Et l. vt vim, columna penult. ff. de iustitia, & Iure*. Reliqua Argumenta pro sententia, nec pauca, nec contemnenda posita manent in superioribus dubijs.

Hæc secunda sententia opposita si solùm contineat Consilium, omnino est vera, vt vidimus; sed tamen semper obligare ad sequendam necessariò opinionem probabiliorem, & tutiorem, etiamsi ex illa non sequatur damnum ex iustitia, vel charitate euitandum, vt ponit hæc secunda sententia, excedit limites rationis, eo quod nemo tenetur ad id, quod melius, & perfectius est; Ad Argumentum Resp. quod cum Communis opinio impugnatur bonis rationibus, non est sequenda, si rationibus illis probabiliter non satisfacit: tunc enim non manet probabilis, quod si satisfacit euidenter, sequenda est, si solùm probabilitèr satisfacit, datur optio, vt si magis vrgent rationes, quam satisfationes, sequamur, si volumus Contrariam, nisi sequatur graue inconueniens vitandum ex Iustitia, vel Charitate, vel sequamur communem. Et ad hunc sensum loquuti sunt Auctores in Argumento citati. Ad reliqua verò Argumenta citata in dub. antecedentibus, ibi abundè Respondetur.

Tertia sententia opposita ex diametro præcedenti asserit, quod licitè potest sequi opinio verè probabilis, etiam si sit minùs probabilis, & minus tuta. Vndè si probabilior Opinio, & tutior censet, actum aliquem esse peccatum, & minùs probabilis, & minus tuta, esse licitum, potest quis secura conscientia sequi hanc secundam sententiā, quæ sequentibus Argumentis confirmatur. Arg. primò ab Auctoritate plurium, & grauium Auctorum, qui sequuntur hanc sententiam. Sanchez

in sum-

in summa, tom. 1. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 10. citat pro ea decem, & septem Auctores. & Diana *resolutionum moralium parte* 2. *quatuordecim* alios adducit, quorum tamen plures solùm loquuntur de opinione minùs probabili, non de minùs tuta. Alij limitant sententiam hanc, vt nos limitabimus infrà. Sed expressè hanc sententiam, vt iacet, desēdunt ex his, quos ego vidi, Vasq. *disp.* 62. *c.* 4. §. *veram igitur*, loquendo de viro docto; & loquendo de illiterato. *cap.* 8. §. *mihi maximè*, & paulo ante citat pro hac sententia Henricum *quod libeto* 4. *q* 33. & Conradum *q. vltima de contractibus, conclus.* 2. *in.* 2. *casu* Montes. *disput.* 28. *q.* 5. §. 3. *versu. His non obstantibus*, vbi loquitur de viro docto, & de indocto, versu, *dico secundò*. Corneio *trat.* 8. *disp.* 3. *dub.* 6. *in conclusione*, & Diana *parte* 2. *tractatu* 13. *resolutione* 1.

Hæc 3. sententia opposita in ea generalitate, in qua procedit, vera non est, eo quod aliquando ex hoc, quod sequamur sententiā minùs probabilem, & minùs tutam, sequuntur Inconuenientia ex iustitia, vel charitate vitanda, & tunc fas non est, iuxtà illam operari. Ad Argumentum Resp. quod plures ex Auctoribus coaceruatis pro ea non loquuntur in ea generalitate, in qua procedit hæc sententia, sed expressè ponunt nostrā limitationem, vt Bannes, Suarez, Salas, Aluarez, Martinez, & alij sup. citati. Reliqui verò generalitèr loquuntur, & debent intelligi, seu exponi cum prædicta limitatione.

Arg. 2. Vt homo rectè moralitèr operetur, nō requiritur, quod de omnibus habeat scientiam omninò certam, sed sufficit, quod operetur iuxtà id, quod probabiliter censet rectum, quia circa multas res euidentiam habere non potest. ergò circa eas res, circa quas non habet euidentiā, vt omninò tutè operetur, sufficiet, quod operetur iuxtà probabilem sententiam, & ex consequēti tutam. Patet consequentia, quia tunc homo conformatur recto iudicio rationis, aliàs opinio non esset probabilis. ergò non potest argui imprudentiæ, cum conformetur suæ regulæ, nec periculi conscientiæ, cum satis tutè operetur, qui conformat opus rectæ rationi. Resp. fatendo, non requiri euidentiam circa omnia, quæ Homo debet operari, vndè sufficiet per se, quod sequatur probabiles, & tutas sententias. Sed dato quod habeat certam notitiam, quod ex tali sententia hic, & nunc practicata, sequitur aliquid contrà Deum, se, vel proximum, quod vitare tenetur, tunc ratione illius debet abstinere à tali sententia, & operatione.

Arg. 3. & confirmatur præcedens, licèt opinio probabilior sit magis cōsona rationi, & opinio tutior sit magis secura, sed homo non tenetur sequi quod perfectius, & securius est, aliàs teneretur semper eligere meliora, vt religionem potius, quam statum coniugatorum, vitam contēplatiuam, quam actiuam, solitariam, eò quod tutior est, quam vita ciuilis. sufficit ergò, quod sequatur bonā, & tutā relictis melioribus, & tutioribus: opinio verò verè probabilis est bona, & conformis rationi, & ex consequenti tuta, & si alia sit probabilior, & tutior. ergò licitum est sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, Resp. concedendo, quod homo nō tenetur sequi, quod melius, & perfectius, & sufficit, quod faciat id, quod est bonum, & tutum, sed dato Casu, quod perpendat ex aliqua opinione sequi aliquid, quod ex iustitia, vel Charitate tenetur euitare, tunc iam efficitur iniqua talis operatio iuxtà sententiam illam, eo quod efficitur causa Peccati, quod euitare tenetur ex iustitia, vel Charitate.

DVBIVM XXIII.

An Constitutus in Articulo Mortis possit tuta Conscientia sequi easdem opiniones minùs probabiles, & minùs tutas, quas potuit extrà talem Articulum.

EX supradictis constat, posse aliquando hominem tuta conscientia sequi in practica opiniones, & minùs probabiles, & minùs tutas, dummodo sint probabiles, & tutæ: nunc ergò inquirimus; vtrum Homo in articulo mortis constitutus possit sequi easdem opiniones minùs probabiles, & minùs tutas, an ratione illius extremi periculi teneatur sequi probabiliores, & tutiores? Verbigratia circa hoc, an aliquid sit restituendum, vel non? versantur duæ sententiæ; probabilior est, restituendum esse, eo quod contractus non fuerit iustus: minùs verò probabilis est non fore restituendum, eo quod contractus ille iuxta minùs probabilem sententiam, erat iustus: tunc dubium est, an sicut Homo dum viueret, poterat sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, & non restituere, ita vt positus in articulo mortis possit illam sequi, & non restituere? An potiùs ratione illius vltimi articuli teneatur sequi probabiliorem, & tutiorem, & iuxtà illam restituere.

Conclusio easdem opiniones minùs probabiles, & minùs tutas, quas licitè potest Homo in praxi sequi extrà mortis articulum, potest etiam eodem modo sequi in mortis articulo, vndè si in tractu vitæ potuit sequi in praxi opinionem minùs probabilem, asserentem, non teneri ad restitutionem, omissa probabiliori obligante restituere, id eodem modo potest sequi in Articulo mortis. & sic de alijs. Conclusionē hanc loquens de integritate confessionis tradit Ledesma *in summa prima parte summæ, de Sacramento Pænitentiæ, cap.* 20. *dub.* 6 §. *Acta duda*. Ioannes Sāchez *in selectis, disp.* 19. *n.* 8. Diana 2. *parte, tract.* 13. *resolut.* 9. & Franciscus de Lugo *in tractatu de conscientia, cap.* 3. *q.* 5. Probatur primò. quia non minùs tenetur homo vitare peccatum extrà articulum mortis, ac in illo, licèt peccare in articulo mortis sit irremediabilius, de quo modo non loquimur. Vel ergò opinio minùs probabilis, & minùs tuta reddet hominem securum in conscientia, vt non peccet, vel non. Si primum, etiam poterit illam sequi in articulo mortis, nec in hoc est periculum quin eam sequendo non peccet, vt supponimus: vel non reddit immunem à peccato, & securum, & sic neque in Vita potest ea vti; ergò voluntaria, & inanis est hæc distinctio de articulo mortis ad hanc rem.

Secundò probatur. Articulus mortis non habet aliam legem Dei, aliam conscientiam, vel aliam regulam morum, quam tractus vitæ. ergò idem quod tutum est a peccato dum viuimus, est tutum in articulo mortis, & eadem conscientia, quę in vita est recta, erit recta in morte. Tertiò, quòd conscientia excuset a peccato, consistit in indiuisibili. Ergò eadem securitas à peccato, quæ est

est in opinione minùs probabili, & minùs tuta, dum viuimus, est, dum morimur. Antecedens probatur, & explicatur. Nam licèt intèr opiniones sit diuersitas in securitate quantum ad hoc quod vna excludit periculum efficiendi id, quod etiam materialitèr est peccatum, alia id non excludit. sed quantum ad hoc, quod est committere peccatum formaliter, seu quantum ad imputabilem nulla est diuersitas: nam supposito, quod operans iuxtà quamlibet, nullum committit peccatum, non magis securus erit in hoc sensu operans iuxta vnam, quam iuxtà aliam, cum nulla detur maior securitas, quam non peccare; ex dictis apparet, quod contraria sententia nullam, vel paruam habet probabilitatem; quod patebit amplius diruendo eius debile fundamentum.

Opposita sententia est non esse licitum eodem modo operari, seù sequi opinionem in articulo mortis, ac in tractu vitæ, sed licet in vitæ decursu potuerit operari licitè aliquandò iuxtà opiniones minùs probabiles, & minùs tutas, tamèn in articulo mortis tenetur operari iuxtà probabiliores, & tutiores. sententiam hanc videntur defendere in primis Canus *in relect. de Pænitentia, pagina* 5. vbi docet posse aliquem ritè dum viuit retinere peccatum, vel circunstantia ex confessione, cuius timetur graue damnum, sed non posse id retinere in Confessione, quam facit in articulo mortis. sed clarius tenet sententiam hanc Thomas Sanchez *in summa, tomo primo, Decalogi libro* 2. *cap.* 1. *num.* 6. vbi dicit, constitutum, in articulo mortis, in quo agitur Animę Salus, subindè tenetur partem amplecti, quam reputat tutiorem, & probabiliorem. Colligitquè inde infidelem, cui proponitur nostra fides vt magis credibilis, dum adhuc eius secta probabilitèr credibilis apparet, non teneri ad recipiendam nostram fidem extra mortis Articulum. Pro qua sententia est.

Argumentum, non est eadem ratio de eo, qui operatur viuens extrà articulum mortis, & in articulo mortis constituto quantum ad hoc, quod debeat tutius operari in articulo mortis, quam in tractu vitæ. ergò licèt viuens possit, dum est extrà mortis articulum, sequi quod est minùs probabile, & minùs tutum, id non poterit in articulo mortis sed tenetur operari iuxtà opinionem probabilem, & tutiorem. Consequentia est bona; & Antecedens probatur primò ratione. Nam dum homo est in tractu vitæ, operatur reparabilitèr, itaut etiamsi esset, hoc reparari possit: sed in articulo mortis operatur irreparabiliter, quia vt dicitur Ecclesiastes *q.* 10. *nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas*. ergò valde diuersa ratio est de homine, dum viuit extrà articulum mortis, & de homine in Articulo mortis constituto, quantum ad hoc, quod est sequi opinionem tutiorem. Secundò, probatur idem Antecedens. Nam licèt sit opinio certa, quod homo, dum viuit potest, & debet tacere in Confessione peccatum, vel circumstātiam ex cuius manifestatione timet rationabiliter sequi graue damnum; tamen id non debet tacere, si est confessio in articulo mortis. ergò eadem ratione licèt extra articulum mortis possit sequi opinionem minùs probabilem non tamen in Articulo Mortis. Consequentia videtur Bona exparitate rationis; & antecedens est communis opinio; Minor verò docetur à Cano *in relectione de Penitentia citata*, & alijs. Et Ratione confirmatur. Nam in Confessionibus vitæ remanet spes, quod peccatum vel Circumstantia non confessā, data oportunitate alterius confessoris aperietur, non verò in vltima Confessione. Tertiò probatur idem antecedens, quia Infidelis, cui sua secta probabilis apparet, Euangelice Lex appareat probabilior, non peccat extrà articulum mortis, non recipiendo illam: peccaret autem si non reciperet eam, dum est in mortis articulo, nō ob aliam causam, nisi quia in Articulo mortis tenetur sequi probabiliores opiniones, licet extrà illum possit sequi probabiles.

Resp. nego Antecedens, licèt enim, quantum ad damnum condemnationis sit latum discrimen intèr peccatum commissum in tractu vitæ, cum suppetit tempus pænitendi, & in Atticulo mortis, cum tale tempus non extat, sed quantum ad hoc, quod est esse licitum, vel esse peccatum, eadem est Ratio. Et sic eadem est ratio operandi tutè, & securè absque peccato, maximè cum conscientia de hoc, quod non est peccatum, debeat esse certa moralitèr, vt determinauimus superius. Ad primam probationem dico, quod probat esse discrimen intèr decursum vitæ, & articulum mortis, quantum ad periculum condamnationis, ex eo quod non suppetit tempus reparandi damnum, sed non quantum ad hoc, quod id, quod in vita peccatum non est, fit peccatum ex eo quod fiat in articulo mortis. Ad secundam probationem dico, quod illa opinio quæ ponit id debere aperiri in Confessione, dum homo moritur, quod tenetur reticere, dum viuit, non censetur probabilis, vt ostendit Petrus de Ledesma *loco paulò antè citato*. Ad tertiam probationem dico, quod si homo non peccat, dum viuit, non admittendo Euangelium magis probabilitèr repręsentatum, quam sua secta, neque peccabit, non admittendo in articulo mortis, sed morietur infidelis negatiuè. Veritas autèm est, quod dum probabilius proponitur, tenetur illi assentiri tam in vita, quam in morte, vt docet Bannes *secunda secundæ, quæst.* 10. *art.* 1. *dub.* 5. §. *Quod si quis Respondeat*. Petrus de Ledesma *secunda secundæ tractatu* 1. *cap.* 5. *Conclus.* 5. *&* 6. & quidem conformitèr ad nostram doctrinam traditam superius, diximus enim, quod quando imminet graue damnum ex iustitia, vel Charitate vitandum, tenetur homo sequi, quod est tutius, & probabilius, nullum tamèn maius damnum, quam errare circa finem vltimum, & fælicitatem hominis, quæ dependet ex vera Religione, & sic circa illam tenetur homo ex propria Charitate, vel Amore eligere opinionem probabiliorem, & tutiorem.

DVBIVM XXIV.

An subditus possit, vel etiam teneatur obedire superiori præcipienti id quod iuxtà opinionem probabiliorem, & tutiorem subditi, est illicitum; licitum tamèn, & tutum iuxtà opinionē probabilem, & tutam, quam superior sequitur.

Dixi in superioribus non semper posse in practica sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, immò aliquandò neque magis probabilem, & magis tutam, quandò scilicet ex sequela talis opinionis redundat aliquid, quod vitare tenemur ex iustitia, vel charitate Dei, vel Proximi, & quia casus sunt plures, & circa varias materias

terias variè est definiendum, promisi de eis in particulari disputare, quod nunc incipio adimplere. Dicam ergò in primis de subdito respectu Prælati. Deindè de confessore respectu Pœnitentis. Tertiò de ministro Sacramentorum. Quartò, de eo, qui docet, Quintò de Consulente. Sextò de Aduocato, Septimò de Iudice, Octauo de mouente Bellum; nono de Medico, & Chirurgo. Singulis dubijs singula tradendo.

Circa dubiū autèm hoc aduertendum est primò, quod nomine subditi, intelligo non solùm Religiosum, & Ecclesiasticum, sed quemcunque, qui potest mandato superioris in conscientia ligari sub peccato, & ex consequenti nomine superioris quemcunque valentem subditum sub peccato obligare. Sit ergò casus: litigium est inter communitatem aliquam, & alteram communitatem, vel personam cuius sit prędium, sententia probabilior, & tutior est, non esse illius communitatis, sed alterius partis, atquè adeò nec posse in conscientia retineri, neque litigio oppositam partem vexari, sed minùs probabilis, reuera tamen probabilis, & minus tuta sententia tenet, esse communitatis licitèque defendi litigio. Subditus doctus (nam respectu ignorantis ferè non habet locum hæc disputatio, quia tenetur regi aliena scientia, & maximè Prelati) tenet sententiam probabiliorem, & tutiorem nempè esse alienum, & retineri, defendique non posse; sed Prelatus contrariam probabilem, licèt minùs tutam sententiam sequutur præcipit illi, vt patrocinetur ius suæ communitatis: difficultas est, an licitè possit, vel teneatur subditus obedire Prælato id strictè præcipienti, & defendere talem causam sua opinione iniquam? nam si rem relinquit in suo arbitrio, certum est, quod potest se excusare absque inobedientia.

Secundò est supponendum, id quod Superior præcipit, debere esse probabile verè, licèt minus, & ex consequenti tutum, quia si manifestè est improbabile, & peccatum, certum est, non posse illi parere, quia obedientia non se extendit ad iniqua. Quod si dubitet subditus de probabilitate opinionis Superioris, dum res est sub dubio, nec euidenter constat esse improbabilem, præsumendum est, probabilem esse: nam in re dubia, arbitrandum est pro Deo, maximè pro Prelato, & multò magis si est vir pius, prudens, & Doctus, vel si talis non est, si ea, quæ operaturus est cum doctis, & maturis communicat.

Tertiò est aduertendum, quod hoc dubium, vt in titulo significatur, duplicem habet sensum.

Primus est, an subditus in dicto casu, deposita propria probabiliori opinione, quæ condamnat actum præceptum, possit sequi opinionem Prelati, & iuxtà illam informari conscientiam, & operari licitè. Secundus est; an subditus teneatur sub peccato inobedientię deponere propriam conscientiam condemnantem talem actum, & formare conscientiam ex opinione Prælati dictantem licere talem actum, & iuxtà illam operari obediendo. Hæc enim duo valdè diuersa sunt, nam qui sequitur opinionem probabiliorem, potest illa deposità aliquandiù operari iuxtà minùs probabilem, vt cū communiori opinione diximus, & tamen nemo dicit teneri ad deponendam probabiliorem opinionem, & sequendam minùs probabilem, & minùs tutam, extrà hunc casum, de quo disputamus, vel similem; dicemus ergò de hoc dubio in vtroque sensu duobus sequentibus dubijs, & præcipuè in sequenti Petitione.

Petes. *An subditus in prædicto casu possit obedire operando iuxtà opinionem superioris.*

Opinantur aliqui; non licere subdito obedire Prælato, & in prædicto, vel simili casu iuxtà eius Imperium operari, Sic Adrianus *quodlibeto 2, puncto 3.* vbi postquam dixit, non licere alicui operari contrà propriam opinionem, deducit indè, non posse obedire Prælato præcipienti id, quod iuxtà propriam opinionem est peccatum, Et *puncto 2.* docuerat non posse etiam sic operari, quandò est dubius, an sit peccatum id, quod præcipit.

Fundamentum sententiæ huius est. nemini licet operari contrà propriam opinionem, maximè in materia peccati; sed in hoc casu subditus obediens Prælato faceret contrà propriam opinionem, vt supponitur in Casu, & in materia peccati, quia facit id, quod iuxtà propriam probabiliorem sententiam existimat esse peccatum, ergò subdito non licet in prędicto casu obedire. Maior, in qua est difficultas probatur; qui operatur contrà propriam opinionem, operatur contrà conscientiam, sed non licet facere contrà cōscientiam, vt diximus de conscientia certa, & de conscientia erronea, ac opinatiua. ergò neque potest facere contra propriam opinionem licitè, & absque peccato. Maior probatur. Habens opinionem, quod actio præcepta est peccatum, ex consequenti habet hoc iudicium *Qui hoc facit, peccat*, in quo consistit conscientia. Hoc autem Iudicium non compatitur secū hoc aliud, quod requiritur, vt talis operatio sit licita, scilicet. Qui hoc facit, quod Prælatus præcipit, non peccat, quia sunt iuditia contradictoria.

Vnica conclusio. Quando superior præcipit aliquid, quod est minùs probabile, & minùs tutum, sed reuera probabile, & ex consequenti tutum potest licitè subditus habens contrariam opinionē, etiam probabiliorem, & tutiorem, de eo, quod id, quod præcipitur, non est licitum, sed peccatum, ei obedire, relicta pro tunc propria opinione, & formando conscientiam iuxta opinionem Superioris.

Tota conclusio satis constat ex dictis in superioribus. Diximus enim, quod Prælatus debet pręcipere id, quod reuera est probabile, & tutū, nam si est improbabile, & manifestè patet esse peccatum, tunc non licet subdito preceptū implere. Adde, quod subdito in cuius opinione, id quod pręcipitur, est illicitum, debet constare aliquo modo, saltem id præsumendo ex Prælati Auctoritate, vel illorum, qui illi assistunt, præceptam rem esse licitam iuxta probabilem opinionem, quia alias non poterit probabilem conscientiam eius induere, & iudicium formare de eo, quod hic, & nunc licitum est, id operari, quod pręcipitur. Et tandèm dicimus modum procedendi iustè in subdito esse, vel mutare sententiā, & transire in sententiam probabilem Superioris, vel supendere iudicium practicum conscientiæ iuxta propriam opinionem, seù etiam, non suspensa seu reuocata, efformare aliud iudicium practicū, conformare sententię se Prælati, quo iudicet moraliter certò, se non peccare operando juxta opinionem verè probabilem præcipientis, & iuxta hoc iudicium, seù hanc conscientiam probabilem operari, iuxtà ea, quæ latiùs diximus dubijs antecedentibus, ostendentes qua ratione contra propriam opinionem potest quis operari iuxta alienam.

pro

Probatur primò conclusio Auctoritate. S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, *capite* 74., & refertur *in decret. cap. quid culpatur* 23. *q. sic ait*. Vir iustus si forte sub Rege etiam sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare: si quod ibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est: vel vtrùm sit, certum non est. Ac si dicat, certum est non esse contra præceptum Dei, vel saltem non constat non esse contra Dei præceptum, quia scilicet in dubio debemus arbitrari pro Superiore. Idem habet Victoria sequutus Sanctum Augustinum *in relectione de iure Belli, n.* 30. 31. Sed generaliter loquendo de omni subdito, nostram conclusionem tenent Corduba *lib.* 3. *quæstione* 9. Vasquez *tomo* 1. *in primam secundæ, disp.* 62. *cap.* 6 §. *Mihi igitur*. Azor *lib.* 2. *c.* 1. *quæst.* 9. *& cap.* 19. *q.* 9. Sayrus *lib* 1. *Clauis, c.* 12. *num.* 6. Antonius Perez *certamine* 10. *scolastico, n.* 115. Salas *tractatu* 8. *disp. vnica, sect.* 8. §. *mihi tamen*, Montesinos, *disp.* 29. *q.* 5. §. 4. *n.* 189. Turrianus *secunda secundæ, dispu* 55. *dub.* 5. *num.* 9. Diana *in secunda parte, resolutione* 10. *& est* Communis sententia.

Probatur secundò ratione. Potest quilibet relicta, vel neglecta propria opinione etiam probabiliori, & tutiori, sequi alienam minus probabilem & tutam, dummodò verè sit probabilis, & tuta, exceptis aliquibus casibus, in quibus sequitur damnum, quod tenemur euitare, de quibus nunc non loquimur, ergò poterit relicta propria probabiliori sententia, & tutiori, sequi probabilem, & tutam Prælati. Antecedens ostensum est a nobis supra; & Consequentia probatur, quia si cuiuslibet verè probabilem opinionem potest sequi relicta propria probabiliori, multò magis poterit sequi opinionem Sui superioris. probabilem, cum ei assistat, & muneris dignitas, & personæ selectio, & consilia assistentium, ratione quorum, dum non constat de iniustitia, vel improbabilitate præcepti eius in dubio probabile reputari debet.

Probatur tertiò. Principe mouente Bellum, & iubente subditis in eo militare, possunt ei obedire subditi, etiamsi dubitent, an sit tale bellum iustum, & etiamsi probabiliter, seù iuxta opinionem magis probabilem, & magis tutam existiment bellum esse iniustum, dummodo certo non constet esse iniustum, atquè adeò opinionem Principis, & iustitiam, qua prosequitur Bellum, esse improbabilem. ergò idem omnino dicendũ est de subdito, superiore præcipiente in alijs materijs. Consequentia est Bona, quia non est maior ratio, quare debeat obedire contrà propriam opinionem in materie Belli, & non in alijs; immo, si in aliqua deberet attendi maior probabilitas, & securitas opinionis subditi, maximè deberet esse in materia belli, vndè tot homicidia, tot flagitia, direptiones oppidorum, & Prouinciarum desolationes sequuntur: & Antecedens probatur, quia est communis opinio quam tuentur Sanctus Augustinus citatus *in prima probatione* Victoria *in relectione de iure Belli, num.* 30. *&* 31. Corduba *lib.* 3. *quæst.* 8. *coroll. dec.* Syluester *verbo, Bellum* 1. *quæst* 8. Gabriel *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 2 Bannez 2. 2. *quæst. dec. art.* 1. *dubio* 6. Antonius Perez *certamine* 10. *Scolastico; num.* 118. vbi pro hac sententia citat Caietanum, Sotum, & Bellarminum. Tenent etiam sententiã hanc Petrus Nauarra *libro* 2. *de restitutione, cap.* 3. *dubio* 11. *num.* 270. Driedo *de libertate Christi, cap.* 16. Sayrus *lib.* 1. Clauis *cap.* 12. *numero vltimo, & cap.* 13. *num.* 40. & Salas *disp. vnica de conscientia, num* 77. & Vasquez *disp.* 62. *cap.* 6. §. *Cæterum in his*.

Ex dictis patet negantem opinionem relatam paruam, aut certè nullam probabilitatem habere; & ad eius fundamentum nego minorem. Ad probationem nego etiam maiorem, non enim qui operatur iuxtà opinionem alienam, & cõtrà propriam, agit, contrà conscientiam dictantem talem operationem, sed iuxtà eam informatã opinione aliena probabili, vt latè ostendimus in hac disputatione.

DVBIVM XXV.

An subditus teneatur obedire Superiori præcipienti id quod iuxtà opinionem probabiliorem, & tutiorem subditi, est illicitum; licitum tamèn, & tutum iuxtà opinionem probabilem, & quam sequitur Superior.

Conclusio. Quando opinio probabilis, seù probabilior, subditi circa hoc, quod non obligat mandatum Superioris, fundatur in defectum Iurisdictionis Superioris, quam non habere ad tale præceptum iuxtà probabilem, vel probabiliorem sententiam censet, subditus in eo casu non tenetur obedire, sed licitè persistendo in sua sententia, potest non adimplere præceptum.

Explicatur hæc Conclusio, ex duplici enim Capite potest subditus probabilius. vel probabiliter opinari non obligare Superioris præceptum, siuè sit Superior Ecclesiasticus, siuè secularis. Primum caput est, quia probabiliter controuertitur de eius dignitate, seu magistratu, nam quidã probabiliter censent esse legitimum Pastorem, vel gubernatorem, apud Prælatum; alij etiã probabilitèr existimant non esse proptèr defectum electionis, seù aliàs. Secundum caput est, quia licèt absque controuersia sit legitimus Superior, vel Prelatus, tamen dubitatur, an habeat legitimam Iurisdictionem in rem, quam præcipit, eo quod præcipit rem, quæ non subditur eius Iurisdictioni. Vt si dignitas secularis præcipiat, quod festum alicuius sancti colatur tamquam de præcepto quod totus Populus ob necessitatem vrgẽtem ieiunet, accedat ad orandum Ecclesiam, vel processionem faciat. Si Episcopus præcipiat Clericis, vt numquam comedant Carnes; si Prælatus Religiosorum precipiat actus Interiores, vt quod quotidiè vna hora teneant contemplationẽ, vel mentalem orationem, subditi verò secundũ probabilem, vel probabiliorem opinionem teneant, id à talibus Superioribus non posse præcipi ex defectu iurisdictionis in tales materias. Quo posito, Conclusio.

Probatur primò Auctoritate; sic communitèr sentiunt Theologi. Gerson *Alphabeto* 62. *litera, N.* Vasquez *disp.* 62. *cap.* 6. *in fine*, Lorca *disp.* 26. Sayrus *in Clauis lib.* 1. *cap.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 76. Ioannes Sanchez *disput.* 33. *num.* 31. fauet Enriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 7. dum dicit, quod coniux non debet reddere debitum, si probabilius iudicat, non esse validum matrimonium nam idem est dubitare de validitate matrimonij ad reddendum debitum, & de iurisdictione Prelati ad obediendum.

Secundo probatur, quia quandò Superior absque controuersia habet talem locum, & dignitatem, eo ipso arbitrandum est pro ipso, quod scilicèt præcipit res iustas, & bonum commune exigit,

git, quod ei omni modo, & possibili obediatur alias erunt omnia turbata, & idem est cum præcipit ea, respectu quorum habet superioritatem. si dum non constat esse legitimum Superiorem, vel dum se intromittit ad ea, quæ non sunt talis iurisditionis, seu dignitatis, quam habet, censetur particularis persona, & ideò, qui sic censet non tenetur arbitrari pro illo, & conformari se opinioni illius, cum non censeat eum Superiorem, sed parem personam; & tunc in dubio arbitrandum est pro subdito, qui est in possessione non obediendi particulari personæ, sed illi, qui est verè Superior. & item, quia subiacere vnum hominem liberum potestati alterius, est res odiosa, & sic, vt pro illa iudicemus, debet esse certò Superior, & vnusquisque ex se libertatem habet, nisi contrarium legitimè probetur.

Sed contrà prædictam conclusionem censent, non esse minorem rationem conformandi se cum opinione Superioris, quando opiniones versantur circa iurisditionem, quàm quandò versantur circa iustitiã rei præceptę, *Salas disp. vnica de conscientia, sectione* 8. *num* 78. & Thomas Sanchez *lib.* Decalogi, *cap.* 3. *num.* 29 Salas hanc rationem assignat, quod scilicet nullum est discrimen, quandò opiniones sunt de iurisdictione Superioris, & quandò sunt de re, quam præcipit, an sit iuxta, quia si aut quandò sunt de iurisdictione non est in pacifica possessione præcipiendi sic quandò præcipit, quod iuxtà opinionem subditi non est in possessione præcipiendi talẽ rẽ certã, sed opinabili, sic iusta est, quia iniustum præcipere nõ potest. fundamentum verò Thomæ Sanchez est, quia dum iudex reputatur Superior, etiam si sint opiniones de valore suæ electionis, habet certam professionem suę potestatis, quia non potest spoliari propter contrariam opinionem.

Sed standum est nostrę conclusioni propter rationes pro illa assignatas, & ad fundamentum primum Ioannis Salas dicimus, discrimen esse quod dum certò est Superior in quocunque dubio proprio, vel improprio contrariarum opinionum presumẽdum est pro eo; sed non pro eo cuius dignitas, & superioritas est sub opinione. Ad secundum fundamentum Sancij dico, quod dum iudex reputatur superior, sed sunt variæ opiniones de superioritate eius, non habet certum ius præcipiendi, sed probabile apud eos, qui censent esse legitimum; non verò, apud tenentes contrariam sententiam.

Opposita sententia asserit, quod subditus, in casu, de quo loquimur, licèt possit tuta consciẽtia obedire Superiori, iuxtà dicta in superiori dubio, sed ad id non teneatur, possit inhærens suæ sententiæ, iudicando illicitum, quod præcipitur, sed deobligatum licitè iudicare, & sic non obedire; defendunt in primis Petrus de Ledesma *in summa, parte secunda, & in tractatu de statibus cap.* 4. *conclusione* 8. *difficultate* 5. quem sequitur Ioannes Sanchez *in selectis disputatione* 33. per totam, sed pręcipuè *à numero* 32. sed cum aliquibus limitationibus aliqui inclinant in hanc sententiam, Suarez 3 *parte, tom.* 5. *disputatione* 4. *sect.* 6. *nu.* 6. vbi dicit teneri subditum obedirè Prælato, quandò sunt rationes æquè probabiles pro vtraq; parte, si tamẽn manifeste probabilius sit non esse licitum mãdatum, esse valdè probabile subditos excusari. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 7. *dicit*, Coniugem debere reddere debitum petenti, dum non est certus per assensum opinantium probabiliorem de nullitate matrimonij. Ex quò videtur idem dicturus de subdito circa Prælatum præcipientem, quod secundum probabiliorem opinionem subditi est illicitum. Castro Palao *tract.* 1. *disput.* 2. *puncto* 6. *num.* 5. & 6. probabile reputat, subditum probabiliter opinantem, illicitum esse mandatum Superioris, non teneri parere. Diana *parte* 2. *resolutione* 10. inclinare videtur in hanc sententiam sed concludit sequendam esse contrariam, tamquam probabiliorem, & communiorem. Et tandèm Franciscus de Lugo *in tractatu de Conscientia, cap.* 3. *q.* 13. *num* 97. censet sententiam hanc probabiliorem apparere, quamuis contraria sit communior, tutior, ac subindè communiter in praxi consulenda.

Arg. pro hac sententia. Præceptum Superioris non potest magis, vel strictiùs obligare, quã Præceptum Dei, & Ecclesię; sed præceptum Dei, & Ecclesiæ non obligat, quando est probabilis opinio, quod non obligat, vel quando est probabilis opinio, quod aliquid non cadit sub illo præcepto, vel non est materia illius: ergò præceptum Prælati non obligat quando est probabilis opinio, quod non obligat, vel quando est probabilis sententia, quod materia illa non potest cadere sub Præcepto, & obedientia quia est illicita.

Resp. quod obligatio alicuius præcepti ex duplici capite potest dici maior, vel strictior: vno modo ex virtute ligandi, & sic non pertinet ad præceptum examinare, vtrum pręceptum Superioris, maximè si oriatur ex voto strictius obliget, vel minus, quam præceptum Dei, & Ecclesię uon enim conducit ad nostram difficultatem. Alio modo potest considerare ex parte materiæ, circa quam versantur, & sic strictius obligat pręceptum Superiori, quam Dei, & generalia Ecclesię. Primò, quia illa regulariter solum versantur circa mala prohibenda, & bona pręcipienda, pręceptum verò Superioris etiam circa indifferentia. Secundò, quia illa pręcipiunt res in generali, vndè opiniones explicant, quandò sit materia comprehensa in illo præcepto, quandò non, & cum probabiliter dicunt non comprehendi, non obligat ad illa, quia non præcipit illa; obligaret autem; si ea præciperet, sed Prælati præceptum sic versatur aliquandò circa actionem subditi, quod non est ad opinandum, hanc materiam non præcipi quod si locus esset sic opinandi non obligaret talis materia, quę secundum probabilem opinionem nõ est præcepta, non potest deobligari, eo quod aliquis opinetur etiam probabilissimè, esse iniustam, cum sit facilis, & totus aditus ad illam iuxtà cõtrariam opinionem, quæ asserit esse licitam, quam Superior sequitur. Et sic hoc non est magis, vel strictius obligare, sed magis certò determinate materiam singularem.

Arg. Pęnitens non tenetur obedire confessori præcipienti contra propriam opinionem: ergò nequè subditus Prælato pręcipienti contrà propriã opinionem. Consequentia videtur Bona ex paritate rationis, nam pænitens in confessione inferior est, immò Reus, & Confessor Superior, Iudex. Ergò si pænitens non tenetur obedire suo Superiori, & suo Iudici, nempè Confessori, quandò pręcipit contrà eius opinionem, nequè reliqui subditi tenentur. Antecedens verò probatur, quia communis sententia habet, quod Confessor tenetur se conformare cum opinione Pænitentis, verbigratia:

bi gratia: Confessor iuxta probabiliorem opinionem tenet, quod aliquis contractus est malus, & vsurarius; penitens verò secundum aliam opinionem minùs, sed verè probabilem censet esse licitum; tunc si Confessor præcipiat pænitenti abstinere à tali contractu, eo quod est illicitus, vel restituere, quod illo contractu acquisiuit. potest licitè non aquiescere, sed dicere, se sequi opinionem verè probabilem, asserentem licere, & ideò non teneri ad restitutionem, neque ad cessandum à tali cōtractu, & confessor debet se conformare cum opinione illa penitentis, & illum absoluere etiamsi nolit restituere, vel abstinere à tali contractu.

Resp. concesso Antecedenti, nego Consequentiam. Et Ratio discriminis est quod Prelatus, & Superior quilibet habet potestatē imperandi subditis, in quantum conueniens est bono communi; secundariò, verò, vt conducit bono particulari, & ideò debet posse imperari, vt iudicat conueniens esse bono communi, non attenta particulari opinione subditi, & ipse subditus ei obtemperare. Confessor autem habet Auctoritatem per se ordinatam ad salutem confitentis, & secundariò ad bonum commune, ad quod debet promouere cōfitentem, & ideò cùm circa res conscientiæ pænitenti satis prouideatur, si sequatur opinionem probabilem, vt non peccet, nec teneatur restituere, ideò cum sic hoc bonum saluetur, debet Confessor admittere talem confitentis opinionem, & conformare se illi, non verò confitens cum opinione Confessarij.

Arg. 3. Reus in causa sanguinis delicto se improbato, interrogatus iuridicè præcepto Superioris, vt veritatem aperiat, non tenetur obedire, & illam aperire. Ergò neque in alijs causis. Consequentia videtur bona à paritate rationis, & Antecedens conceditur à pluribus Doctoribus ex his, qui non profitentur doctrinam Angelici Præceptoris, vel probabilē. ergò eadem probabilitate debent concedere, quod subditus in nulli casu non teneatur obedire.

Resp. 1. negando Antecedens; vt enim docet Sanctus Thom. *secunda secundæ, quest. 69. a. 1.* & omnis eius schola, pluresque extrà illam cum illo, in eo casu Reus tenetur veritatem fateri etiā cum dispendio vitæ, si Iudex cum semiplena probatione, & alijs debitis Circumstantijs interrogat, de quo videantur expositores illius loci. Secundò Resp. transeat Antecedens, & nego Consequentiam: & Ratio discriminis est, quam assignamus in secunda parte Conclusionis præteritæ *dub. antecedent.* nempè, quod quandò ex hoc, quod obtemperet inferior Superioris, sequitur aliquod graue damnum sibi, vel alteri, tunc si est opinio probabilis, quod non tenetur obtemperare ob aliquam causam, puta, quia materia est iniusta, vel quia, vt tunc non debet loqui contrà proprium sanguinem licitè potest non obedire.

Arg. 4. subditus, qui probabiliter censet, tributum iniustum esse, non tenetur illud soluere, quantumcunque Superior precipiat quod soluatur. ergò neque in alijs materijs tenetur obedire, si probabiliter censet iniustè præcipi.

Resp. 1. negando consequentiam. Et Ratio discriminis est, quod extraordinaria tributa sunt odiosa, & varias exigunt conditiones obseruatū difficiles, propter quod huiusmodi tributa regulariter meritò condemnantur, vt dicitur, *cap. Quemquam, de censibus in sexto*, ideoque obstat illis probabilis opinio subditi quan tocunque præcipiantur. Sed quod Superior habet ius mandandi, & obligandi inferiorem, est res non odiosa, sed omninò necessaria regimini, & conseruationi Reipublicæ, & ideò non debet illi obuiare particularis subditi opinio, dum alia probabilis assistit superiori. Secundò Resp. negando Antecedens. Dum enim constat certò tributum esse iniustum, soluendum est; primò quia in dubio arbitrandum est pro Principe, seù Republica, regulariter enim magno Consilio procedunt. Secundò, quia relinquere hoc vniuscuiusque populo Iudicio, est periculosum, tum quod in propria causa, & materia lucri non rectè iudicant, tum quod regulariter sunt rudes, & minores talenti ad tale iudicium: tùm tertiò, quia regulariter ignorant omnes causas, quas Principes, vel Respublicę habent ad impositionem tributi, sunt enim aliquandò plures extrà manifestas.

DVBIVM XXVI.

An quando Superior præcipit, quod iuxtà opinionem probabilem est iustum, licet secundum probabiliorem subditi iustum non sit, tunc inferior teneatur obedire Superiori.

CONclusio. Quando Superior præcipit, quod iuxtà opinionem probabilem, & tutam, est iustum, licèt secundum probabilem, vel probabiliorem, & tutiorem opinionem subditi iustum non est, tunc inferior non solùm potest, sed etiam tenetur obedire Superiori, & adimplere præceptum efformando iudicium conscientię de eo, quod licet, & tenetur sic operari iuxta sententiam Superioris, quod limito, nisi indè sequatur aliquod graue præiudicium, vel damnum ipsi inferiori, vel proximo.

Prior pars Conclusionis est, quod in casu, de quo disputamus, inferior non solùm potest, sed etiam tenetur obedire Superiori ex virtute obedientię; vndè si non obedit, peccat iuxtà quantitatem, & qualitatem materię mortalitèr, vel venialitèr. Quæ pars Conclusionis.

Probatur primò Auctoritate, tenent enim illam Corduba *lib. 3. quæst. 6.* Syluester *verbo conscientia, q. 3.* Vasquez *disput. 62. cap. 6. §. Mihi igitur*. Miranda *tom. 1. q. 26. a. 4* Salas *q. vnica de conscientia, sect. 8. num. 76.* Turrianus *secunda secundæ, disput. 50. num. 5.* Montesinos, *disp. 29. quæst. 5 §. 4. num 189.* Malderus *prima secundæ, quæst. 19. art. 5. diputat. 56. §. dico quartò* Azzor *tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 9* Saquot *in Claui lib. primò capite 12. num. 2. & 6.* Thomas Sanchez *in summa, tomo 2. lib. 6. cap. 3. num. 9.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 11.* Villalobos *in summa tomo 1. tract. 1. dub 11. num. 3. & 12.* Diana *parte 2. tract. 13. resolut. 10. in fine.*

Confirm. quia oppositam sententiam absolutè solùm tenent Petrus de Ledesma, & Ioannes Sanctius, cæteri verò non audent absolutè ei subscribere. Suarez enim solùm cōcedit, oppositum esse probabile, quando rationes, quæ probant rem præceptam esse illicitam, sunt probabiliores. Castro Palao solùm concedit oppositum esse probabile, sed non sequitur. Diana expressèdocet nostram sententiam esse sequendam, tamquam communiorem, & probabiliorem, & tandèm Lugo dum contrariam sententiam dicit probabiliorem

rem

rem apparent, sed nostram in praxi consulendam sibi non constat, nam iuxtà eius mentem, quòd probabilis, immò probabile iudicatur, & sequi, & consuli potest, indicant ergò huiusmodi timore, & limitationes eum quibus loquuntur, singularitatem, & imbecillitatem contrariæ sententiæ. Probatur secundò ratione. In casu, de quo procedit nostra Conclusio, subditus probabilius opinãs esse iniustum, quod præcipitur, potest, si vult, deposita probabiliori sententia, operari iuxtà probabilẽ superioris, & ei obedire, ergò de facto tenetur obedire, aliàs peccat contrà obedientiam. Antecedẽs patet ex dictis. Consequentia verò probatur, nam præceptum Prælati obligat semper, quod à subdito potest licitè obseruari: sed subditus potest licitè sequi opinionem Prælati, & iuxtà illam operari, vt ex dictis patet: ergo tenetur sic operari.

Dices: si hæc ratio conuincit, etiam conuincit contra conclusionem dubij antecedentis teneri obedire, qui probabiliter censent non esse Prælatum, eo quod si volunt possunt sequi opinionem asserentem esse Prælatum. sed hoc effugium nullius momenti est, eò quòd, qui semel admittit aliquem esse Superiorem tenetur ei obedire in quantum potest: qui verò probabiliter censet, non esse superiorem, vel non habere iurisdictionem, non sic tenetur ei obedire.

Tertio probatur hęc conclusio. Superior nõ tantum habet ius iubendi res eas, quas subditus nouit esse licitas, sed etiam res omnes, de quibus nõ constat clarè subitò esse illicitas. Sed cùm præcipit res, de quibus opinio subditi, etiam probabiliter iudicat esse illicitas, iubet res, de quibus non clarè, seù certò constat subdito esse illicitas. Ergò habet ius iubendi tales res, & sic subditus in illis tenetur obedire. Maior ex eo conuincitur, quod aliàs Prelatus non posset iubere res, de quibus subditus dubitat, an sint licitę, quod est contrà communem sententiam, de qua dicemus disputatione sequenti, & quia aliàs limittandæ essent iurisdictiones Superiorum iuxtà dubitationes, & opiniones inferiorum, Immò nil probabile posset precipere, quia subditus posset habere contratriam opinionem, & sic nolle parere. Minor verò est apta, nam per hoc, quod subditus habet opinionem etiam probabiliorem de hoc, quod res precepta est iniusta, non ideo constat illi certò, esse illicitam. Et consequentia probatur quia si Superior iustè tales res præcipit, subditus tenetur ei obedire, alias esset Bellum iustum ex vtraque parte.

Respondet Ioannes Sanctius *in illa disputatione 33. ex selectis*, distinguendo Antecedens Argumenti: *Superior habet ius iubendi omnes eas res, de quibus subdito non constat esse illicitas*. Si non constat per hoc, quod verè dubitat dubio negatiuo assensus, concedit; si verò non constet ex eo, quòd habet opinionem contrariam, quæ non facit euidentiam, negat, quia cum dubio resistere non potest, quia in dubio præponderat possessio Superioris. Sed non quando est opinio, eo quòd vnicuique licèt sequi suam opinionem. sed contrà est, quòd si sola opinio sufficeret ad hoc, quod non obediret, inter alia inconuenientia, sequeretur propositum nempè, quod Superior non posset validè præcipere, nisi res omninò certas, nulla verò circa quam essent opiniones, quod esset magnum inconueniens, vt dicemus statim.

Quartò probatur; ex contraria sententia sequuntur magna absurda; ergò sustinenda non est. Consequentia est bona; & Antecedens probatur primò. sequeretur enim, quòd Superior numquam validè, & cum effectu, posset precipere aliquid, nisi solùm illud, de quo est euidens omnibus esse licitum. & cùm ferè res omnes posi tæ sint subdiuersis opinionibus, sequeretur pauca esse, quę validè, & cum obligatione ligandi subditum, præcipere posset. Antecedens verò probatur, quia dẽpto, quod præciperet aliquid, de quo versantur opiniones, subditus posset sequi opinionem contrariam, & sic non obedire. Secundum inconueniens est perturbatio omnium Communitatum, tàm Secularium, quam Clericorum, & Regularium, quod esset intollerabile damnum. Antecedens probatur, nam in primis in bello, dum Rex, vel præcipuus Dux vellet milites ascribere, & ducere in Bellum, possẽt respondere se nolle ire, quia opinionem habent, quod Bellum est iniustum. In pace verò, cum Iudex imperat ministro, vt quidquam faciat, vel exequatur, Respondet iuxtà suam opinionem, Causam esse iniustam, & nolle parere. Similiter sæpè Respondere poterit Subditus, Clericus, vel Regularius Episcopo, seù suo Superiori; nec iuxtà contrariam sententiam posset Superior inferiores coercere, & punire, quia iuxta eam isti subditi iustè procedunt, & sine debito puniri non possunt. Sit exemplum prędicta declarans. est Episcopatu. Ecclesia Cathedrali, vel Conuentuali valde controuersa super re magni momenti, & Superior pręcipit inferiori, vt huiusmodi liti intendat, patrocinium præstet, vel quid aliud faciat. Posset Respondere, id se nolle facere, quia est in ea sententia, quòd ius contrarię partis est iustum. Tunc iuxta contrariam sententiam Superior non posset subditum compellere, vel renuentem punire.

Secunda pars conclusionis huius est, quòd si ex hoc, quòd subditus deposita propria sententia, sequatur probabilẽ Superioris, sequatur aliquod graue damnum ipsi, vel proximo, in eo casu pensata grauitate damni, & probabilitate opinionis subditi, poterit aliquando subditus iuxta propriam opinionem procedere, & non obedire Superiori præcipienti rem iniustam iuxtà probabiliorem opinionem subditi, & rem subdito, vel alteri nociuam, attenta, vt dixi, grauitate nocumenti sequuti, & scandali ex non obedientia, quod relinquitur iudicio prudentis. Vnde hæc pars cõclusionis est limitatio Prioris.

Moueor ad sic limitandam hanc conclusionem, primò, ex eo, quod eximius Magister Gallo *secunda secundæ, quest. 186. art. 5.* quem refert, & sequitur Petrus de Ledesma *secunda parte summe in tractatu de statibus, cap. 4. post octauam conclusionem, dubio 4.* ponit hanc eandem moderationem. Moueor secundò quia loquendo de sequenda opinione probabili, & loquendo de opinione tuta, quæ debet sequi cum multis Doctissimis viris ibi citatis, similem apposui limitationem. Tertiò principaliter moueor propter has rationes. Prima est magistri Gallo loco citato, si Superior sequens vnam probabilem opinionem, præciperet subdito, quòd renunciaret officium, vel beneficium, aut alteri conferret, aut quòd renunciet priuilegio, aut quod desistat ab Appellatione, vel causa iuridicè inchoata, quæ subdito iuxta probabilem etiam, vel probabiliorem sententiam iudicantur iniusta, & ex illis sibi, vel alteri posse sequi graue incommodum, quis

audeat dicere subditum teneri obedire? cùm .n. ferè omnes causæ tales sint, quòd Iuristę, & aliquando etiam iudices in diuersa placita feruntur, si Superior quicumque sit, vnam opinionem sequitur & iuxtà illam precipit subdito, quod desistat à lite, vel renunciet suæ pretensioni, quęlibet Respublica abundaret iniustitijs, si subditus obedire teneretur.

Secunda Ratio desumitur ab alio Casu, quem ponit Petrus de Ledesma suprà. Scit aliquis grauissimum crimen, ex quo resultat magna infamia proximo, & circũstantiæ, seù rumor talis est, quod aliqui iudicant probabile, Superiorem posse inquirere de hoc casu, & compellere subditum, vt quod scit, patefaciat, idque facit: ex alia parte est probabilior opinio, quam, subditus sequitur, quòd nõ obstante quocunque precepto Superioris non debet, nec potest quod scit, aperire, vndè sequitur tàm grauis infamia. Quis audeat in hoc casu absolutè affirmare, quod tenetur criminis Auctorem aperire, & non potiùs suppositis illis probabilibus sententijs, & libratis maturo iudicio omnibus circumstantijs, & inconuenientibus, id eligere obediendo, vel tacendo, vndè minora damna sequuntur? Ex dictis sequitur sententiam oppositam dubij antecedentis, non esse practicè, & in vsu probabilem vt plures ex citatis pro illa fatentur, vndè solùm speculatiuè potest esse probabilis.

DVBIVM XXVII.

An Confessarius debet se conformari cum opinione Pænitentis, etiamsi illa sit minùs probabilis, & minùs tuta.

CAsus huius dubij non rarò contingere potest. verbi gratia: Accedit Pænitens ad Confessionem, & interrogatus de dolore, fatetur se accedere cum sola attritione, vt attritio est cognita, & se in ea versari opinione, quod attritio cognita vt attritio, est sufficiens dispositio ad tale Sacramentum: Confessor verò sequitur opinionem tutiorem, nempè requiri. Contritionem, vel ad minùs Attritionem existimatam Contritionem, neque attritionem cognitam sufficere. Similitèr accedit Pęnitens, qui eligit minùs dignum, relicto digniori, habens opinionem, se ex hoc non teneri restituere digniori; Confessor verò existimat contrariam sententiam, nempè teneri restituere, non solùm esse tutiorem, sed longè probabiliorem. Item Pænitens enarrat contractum, quem ipse iuxtà probabilem opinionem existimat esse licitũ, atquè adeò non teneri ad restitutionem: Confessor verò sequens probabiliorem, & tutiorem sententiam, contractum damnat, & ad restitutionem teneri dicit. In his ergò, & similibus euentibus disputamus, quid faciendum sit. An confessarius debeat, & teneatur compellere Pęnitentem, vt transeat in suam sententiam, & si opus est, restituat; vel è contra, ipse Confessor conformare se debeat minùs probabili, & tutæ Pænitentis opinioni, seù ad hoc teneatur.

Prima Conclusio. Quilibet Confessor, siuè proprius sit, siue ex commissione contrà propriam opinionem etiam probabiliorem, & tutiorem potest concedere absolutionem pænitenti sequenti contrariam opinionem, etiam minus probabilem, & minus tutam, & persistendi in illa, siue talis sententia sit in damnum tertij, siuè non: nec necessarium est illum monere, vt desistat a tali opinione, etiamsi sit in damnum tertij, nisi in aliquo raro casu ex dictis, quia licèt ibi diximus, quod quando opiniones versantur circa res, semper sequenda est probabilior, sed opposita sententia probabilitate non caret, atque adeò sequens illam, non peccat, & absoluendus est.

Conclusionem hanc cum omnibus suis partibus docent Paludanus *in quarto, distinctione* 17. *q.* 2. *articulo* 1. Soto *in distinctione* 18. *quæstione* 5. *ad* 5. in fine; Angelus *verbo confessio* 4. *numero* 2. *&* verbo, *ornatus, numero* 4. in fine Sanctus Antonius *prima parte, titulo* 4. *capite* 10. §. 10. Medina *hic q.* 19. *art.* 6. *q.* 5. *ex his*, quas ipse disputat. *Conclusione* 3. Valentia *secunda secundæ quæst.* 63. *art.* 4. *disp.* 5. *quæst.* 7. *puncto &* in fine. Vasquez *hic disputatione* 6. *capite* 7. § *mihi igitur*. Suarez *tomo* 8. *in tertiam partem disp.* 23. *sectione* 3. Salon *secunda secundæ, quæst.* 63. *art.* 4. *controuersia* 2. *Conclusione* 4 Angelus in floribus *in* 4. *quæst. de Confessione, articulo* 6. *difficultate* 8. Salas *disputatione vnica de conscientia, sectione* 9. *numero* 81. Victoria *in summa, num.* 164. Nauarrus *in summa capite* 26. *numero* 4. *& capite* 27. *num.* 280. *& super caput si quis, de pænitentia, distinctione* 7. *num.* 66. Ledesma *in secunda parte quarti quæst.* 8. *art.* 4. *dubio* 7. Azzor *libro secundo, capite* 17. *quæst.* 10. Heririquez *libro* 3. *de pænitentia, capite* 26. *num.* 6. Sayrus *libro primo clauis capite* 9. Antonius Perez *certamine* 10. *scolastico, a numero* 91. Montesinos *hic disp.* 29 *quæstione* 5. *numero* 198. & Corneio *disp.* 3. *dub.* 6. §. *Pro solutione huius*.

Prima, seù præcipua pars Conclusionis est, quod confessor debet cõformari opinioni probabili pęnitenti, etiamsi sit contra propriam probabiliorem, & tutiorem, & illum absoluere; Confessor scit, vel scire debet, quod pænitens sequendo talem opinionem non peccat: ergò debet illum absoluere, nisi ex alio capite aliquod obstet. Consequentia est bona, & probatur Antecedens. Nam Confessor scit, vel scire debet, quod quandò sunt duæ opiniones probabiles de aliqua re, vel contractu, licitum est sequi quancumque etiam minus probabilem, & tutam, vt patet ex dictis, exceptis quibusdam casibus, de quibus nunc nõ loquimur.

Secundò probatur eadem pars, quia esset grauissimum onus obligare pænitentes ad sequendas opiniones probabiliores: eo quòd Confessores sequuntur illas & pręcipuè cum diuersi Confessores passim diuersas, & contrarias opiniones sequantur, & esset onus intollerabile obligare pænitentẽ; vt cum quocunque Confessore variaret sententiã absque aliqua vrgenti causa, cùm facilius sit, quod Confessor pro tunc operetur iuxta probabilem Pęnitentis opinionem. Tertiò probatur. Confessor absoluens talem Pænitentem, non facit contra propriam conscientiam, immò non absoluens faceret contra illam: ergo potest absoluere, & peccaret non absoluendo. Maior probatur. Nam licèt Confessor, sequens suam opinionem habeat hoc dictamen conscientię, peccatum est exercere talem contractum. Sed non habet hoc dictamẽ, peccat alius tenens contrariam opinionem; immò habet hunc, non peccat habens contrariam opinionem: ergò habet hoc dictamẽ, absoluendus est.

Secunda pars Conclusionis est, illam verum habere, siuè Confessor sit proprius, siuè delegatus: quæ directè est contra oppositas Conclusiones in superioribus dubijs citatas; & probatur. Nam distinctio

stinctio illa de proprio, vel delegato confessore, licèt multum operetur, quantum ad hoc, quòd obligetur, vel non obligetur audire confessionem Pænitentis, sed datò, quod Confessor delegatus, qui ad audiendam non tenetur cõfesionem, velit audire; quantum ad potestatem absoluendi à non reseruatis, pares omninò, sunt, quia datò, quòd pęnitens non accedat rectè dispositus, eo quòd malè sequitur sententiam illam, hoc constituto, siue verè, siue falsè in mente confessoris nullus ex his potest eum absoluere, si persistit in sua opinione, eo quòd, vt confessores in eo casu existimant, persistit in statu peccati mortalis: si verò confessor quicunque sit ex illis, iudicat pęnitentem non peccare; sed licitè persistere in tali opinione, nullus habet causam negandi absolutionem. ergò tenetur illam impendere, eo quod vt postea dicemus, audita confessione, nisi Pęnitens obicem ponat, ius habet, vt absoluatur.

Tertia pars Conclusionis est, quòd conclusio verum habet, siue opinio sit in damnum tertij, quia, verbi gratia, iuxta illam non vult restituere, siue non sit in damnum tertij, & hoc absque vlla admonitione, seu persuasione adhoc, quod à tali opinione desistat. Probatur nã pænitens sequens opinionem probabilem, siue sit circa materiam, de qua sequitur damnum tertio, non restituendo, siue non, non peccat; ergo Confessarius non tenetur illum monere, vt desistat à sua sententia, nec minus negare illi absolutionem quicunq; sit Confessor, siue proprius, siue delegatus. Antecedens patet ex dictis, & ex dicendis, & Consequentia probatur, quia vbi non est peccatum, nec locum habet correctio vel saltem necessaria non est, nec potest absolutio denegari.

Confir. quia Confessarius dum alicuius audit confessionem, non tenetur curare alterius vtilitatem, nisi inquantum Pænitens aliquo modo tenetur illam præstare per restitutionem, seu quomodocunque aliàs, quia, vt Confessor solùm est medicus illius, qui confitetur, & similiter Iudex: ergò si ille non tenetur ex Iustitia, vel Charitate ex opinione probabili, quam sequitur ad præstandum proximo aliquod bonum, neque Confessor tenebitur id præcipere, vel suadere Pęnitenti.

Secunda Conclusio. Hoc est discrimen inter proprium, & delegatum Confessorem, quod proprius, semper quod opportunè subditus vult cõfiteri, tenetur audire, & audita confessione, si nõ est obex, absoluere: quòd si absque vrgenti causa non faciat, peccat contrà obligationem sui officij, vnde ex genere moraliter contra Iustitiam. Confessor verò delegatus liberè potest non audire cõfessionem extra casum necessitatis extremæ, audita verò, si non est legittimum impedimentum, tenetur absoluere. Conclusionem hanc communiter tenent expositores desumptam ex Soto *in 4. distinctione* 18. *quæstione* 2 *articulo* 5. *ad* 5. in fine. Vasquez *disputatione* 62. *cap.* 7. ante finem. Sayrus *lib.* 1. *Clauis. capite* 9. Antonius Perez *certamine* 10. *scholastico numero* 19. Salas *disputatione de Conscientia, numero* 83. Montesinos *disputatione* 29. *quæstione* 5. *numero* 19.

Probatur quantum ad primam partem, quia proprius Confessor est conductus, & obligatus ex Iustitia, non verò delegatus. Quòd verò audita confessione vterque teneatur absoluere, probatur primò, quia aliàs fit iniuria accedenti cum debita dispositione: eò enim ipsò, quod Confessor audit peccata, est quasi implicitum pactum, quod si causa legitima est absoluet: ergò sine legitimo impedimento non absoluere, est iniuria. Secundò, quia est maximum grauamen iterum alteri confiteri.

Sed inquires: erit mortale, vel veniale, quod Confessor delegatus audita cõfessione nolit absoluere, eò quòd non sequitur suam etiam probabilem opinionem, vel aliam indebitam causam? Sotus affirmat, maximè si Pęnitens valdè ægreferat. Vasquez loco citato existimat regularitèr tantum esse veniale, quia est leuis, vel non est peccatum, quia Confessor bono zelo suæ opinionis posse suspendere absolutionem, vt sua opinio longè probabilior incipiat præualere, sed si tunc teneretur confiteri, non posse suspendi. Id tamen negat Salas *num.* 83. Quod mihi videtur dicendum est, esse ex genere peccatum mortale, sed potest fieri veniale ex leuitate materię confessæ, ex facilitate confitendi alteri, ex ignoranti zelo confessoris, & ob alias causas, sicùt contingit in alijs peccatis.

Prima sententia opposita est, non posse Confessorem prędictum pænitentem absoluere, nisi relicta propria opinione, sequatur cõfessoris probabiliorem opinionem. sententiam hanc refert nullo nominato Auctore Suarez *tomo* 4. *in tertiam partem*, *disputatione* 32. *sectione* 5. sed Martinez tribuit eam Adriano *quolibeto* 2. *q.* 3. *folio* 38. vbi habet hanc generalem conclusionem, nulli licet facere contra propriam opinionem, etiam confessario. Arguitur primò pro hac sententia. Qui operatur contrà propriam. Consciẽtiã peccat; sed in eo casu Cõfessor absolueret cõtrà propriam conscientiam ergò peccaret. Maior ostensa est suprà, vbi ostendimus conscientiã opinatiuam obligare. Minor verò probatur, quia conscientia opinatiua Confessoris, est, non licere id, quod Pænitens intendit sua probabili opinione, atque adeò non esse illi impendendam absolutionem, dum in illa persistit.

Hæc sententia opposita est improbabilis, vt ex dictis patet. Ad Argumentum Respondeo; concessa maiori, nego minorem. Ad probationem dico, quod licèt Confessor iuxta conscientiam regulatam propria opinione iudicet, peccatum esse id, quod pænitens facit, sed non ideò debet iudicare, pænitentem sequentem contrariam Opinionem peccare, quia ille iuxta suam opinionem habet talem actum conscientiæ. *Licet mihi sic operari, sequendo hanc sententiam.* Supposito autem, quod Confessor iudicat, vel debet iudicare pænitentem sequentem talem conscientiam non peccare, non potest habere iudicium conscientię dictantem nõ esse absoluendum, sed potius hanc; *Hic pænitens sequens propriam opinionem probabilem, non peccat. ergò potest persistere in illa, & non habet ob quod non possit absolui.*

Arguitur secundò. non licet sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori; sed Penitens in prædicto Casu, & confessio si conformetur eius sententiæ, id efficiunt: ergò efficiunt rem illicitam, ex consequenti pænitens non est in tali dispositione vt possit, absolui, & Confessor absoluens indignum, & transiens in eius opinionem, peccat. Maior, in qua est difficultas, est probabilis grauium Auctorum sententia multis, & multi momenti Argumentis fulcita, quæ omnia adduximus in antecedentibus dubijs.

Resp. negando maiorem, Ad probationem dico, quod suprà ostendimus, licitum esse sequi oppinionem

opinionem minùs probabilem, & minus tutam relicta probabiliori, & tutiori, exceptis quibusdam casibus, de quibus nunc non agimus, & ibi contrarijs satisfacimus Argumentis. & licet ibidem dixerimus debere sequi opinionem probabiliorem, quando versantur circa res: sed contraria sententia regulariter probabilitate non caret, ideò illam sequens non peccat, & est absoluēdus.

Secunda sententia opposita distinguit de opinione Pænitentis; vel enim talis est, vnde proximo sequatur nocumentum, vt si propter illam nō restituat, quod confessario videtur restituendum, vel ex illa nullum sequitur nocumentum proximo, quo supposito dicit hæc sententia quod si sequitur nocumentum proximo, & est spes, quod pænitens admonitus a confessore relinquet opinionem, & satisfaciet proximo, tenetur confessor reducere eum ad hoc: quod si non est spes reducendi illum, vel ex tali opinione nō sequitur proximo aliquod damnum, relinquere debet confessor illum in sua opinione, & absoluere. sententiam hanc profitetur Adrianus *in 4 quæst. 5. de Confessione, dubio 7. §. de secundo*.

Fundamentū est, quia si pænitens est in tali dispositione, quod si doceatur, & suadeatur à confessore, restituet, & quia non suadetur, non restituet; Confessor non suadens, est causa moralis talis damni Proximi. ergò peccat, & ex consequenti tenetur facere talem admonitionem. consequētia videtur bona; & Antecedens probatur. Nam Confessor ex proprio munere tenetur docere pænitentem, & inducere ad id, quod est melius, cōuenientius, probabilius, & tutius; quod si non facit, dum inuenit dispositionem, peccat, suo muneri non satisfaciens, & fit causa damni. Deinde quod si non est dispositio, vel spes, non teneatur ad hoc, desumitur ex communi regula correctionis fraternæ, quæ non obligat, vbi non est spes emendæ. quod verò si non sequatur damnum tertio, ad hoc non teneatur; potest probari, quia tunc nullum sequitur inconueniens: non proximo, quia non damnificatur, vt supponimus, nec cōfitenti, quia excusatur à peccato ex probabili opinione, quam sequitur.

Hæc secunda sententia opposita parum, vel nihil probabilitatis habet, vt ex tertia parte conclusionis primæ satis colligitur. Ad eius fundamentum nego Antecedens; nam licèt pænitens sit adeò docilis, vt ad instantiam Confessoris credatur mutaturus sententiam, tamèn dummodo illa sit verè probabilis, neque ille tenetur mutare sententiam, neque Confessor ad id suadendum, neque ex eo, quod non suadet, quando non tenetur suadere efficitur vera causa talis damni proximi, nec si esset causa, esset causa iniusta, vt si interrogatus doceret, licitè posse non restituere sequendo opinionem illam probabilem, non esset causa iniusta talis damni, cum pecunia, quam nō accipit per restitutionem, iuxta eam opinionem non sit debita, vnde nullum esset peccatum non dare, quod debitum non est, Ad probationem dico, quod confessor tenetur quidem ex munere ad educendum pænitentem à malo, quod confitetur, & inducendum in bonum, sed ad promouendum ad hoc, quod sequatur probabiliores opiniones, & perfectiorem statum, non tenetur, aliàs circa innumera deberet prędicare omnibus pęnitentibus: efficiet quidem egregiè, si iuxta dispositionem pænitentis, & opportunitatē promoueat ad maiorem perfectionem, sed teneri semper ad hoc circa omnes materias, & præcipuè circa hoc, quod non sequatur probabilem opinionem, omissa probabiliori, non est rationabile.

Tertia sententia opposita distinguit de Confessore, vel enim est proprius, & ordinarius, vt Parochus. Prelatus, vel est Delegatus, vt Religiosi, vel simplices Sacerdotes, quibus Episcopus tribuit facultatem absoluendi, & dicit, quod si Confessor est proprius, potest, & tenetur, pęnitentem iuxta suam minus probabilem opinionem procedentem absoluere: si autem est delegatus, absoluere talem pęnitentem operantem cōtra suam opinionem, non potest. Sententiam hanc docent Sanctus Antoninus *tertia parte theologica, titulo 17, capite 20. §. 2.* Syluester *verbo Cōfessio, 3. quæstione 7.* & Conradus *quæst. 100. de Contractibus*, quę est vltima *conclusio 3.* qui citat pro eadem sentētia Gotfredum *quodlibeto 9.*

Primò probatur, quod proprius confessor potest absoluere. Nam proprius confessor est persona quasi communis ratione officij, atque adeò dum fungitur proprio officio confessoris, non tenetur habere particulares opiniones, sed omnes vt Minister omnium; cum ergo accedit qui habet aliquam opinionem minus probabilem, ea debet suam conscientiam informare, & sequendo talem sententiam, non facit contra propriam conscientiam, & ideò potest pęnitentem absoluere. Secundò, si potest absoluere, sequitur, quod tenetur. Patet consequentia, quia proprius Sacerdos, seù Pastor, si licitè potest, debet Sacramenta suis omnibus ministrare, aliàs deesset suo officio. Tertiò, quod confessor ex commissione non possit absoluere talem pænitentem, ex eo probatur, quia hic non gerit personam communem, sed priuatam, adeoque procedere debet iuxta propriam scientiam, & conscientiam; propria autem conscientia iuxta probabiliorem opinionem dictat, huiusmodi hominem peccare, nec esse rectè dispositum, nisi relinquat talem sententiam, atque adeò non esse absoluendum.

Hęc tertia opposita sententia, quantum ad secundam partem non approbamus in secunda parte Conclusionis primæ, & qua ratione, seù in quo sensu sit discrimen inter confessorem proprium, & delegatum, explicauimus amplius conclusione secunda. Vndè ad eius fundamentum admisso primo, & 2 Argumento, quæ primam partem veram dictæ sententiæ probant, nempè proprium confessorem posse talem pænitentem absoluere, & ad id teneri. Ad tertium, quod probat confessorem delegatum non posse absoluere talem pęnitentem dicimus, quòd vterque confessor quodammodo est persona priuata, & publica, in quantum minister Ecclesiæ, sed ponere vnam scientiam communem, in vno, & aliam spetialem in alio, est fictitium, quia eadem est scientia, quia vterque tenetur ad absoluendum, si est bene dispositus, & ad negandam absolutionem, si est indispositus. Neque, vt dictum manet, spetialis opinio confessioris efficit, quod sentiens sequens contrariam peccat; vel aliquo modo sit indispositus, vel dictat, non esse absoluendum. cum sciat confessor nō teneri pęnitentes ad conformandas conscientias cū sua, etiam probab liori sententia.

Quarta sententia opposita supponit duas distinctiones præcedentium sententiarum, Prima est, proprium, & ordinarium confessorem posse & teneri concedere absolutionem pęnitenti habenti opinionem minus probabilem oppositam

probabiliori

probabiliori confessoris, etiamsi ex illa sequatur damnum tertiæ personæ, vt quod non restituar. Secundò dicit, quod confessor ex commissione non potest absoluere pænitentem permanentem in opinione probabili, opposita opinioni Confessoris, si ex tali opinione sequatur damnum proximo. Tertiò dicit, quod si opinio non est in damnum proximi, potest, sicut Confessor proprius, ita delegatus absoluere, in quo opponitur præcedenti sententiæ. Sic Ioannes Medina *codice de Confessione, in quæstione de confessione dimidiata iteranda §. sequitur tam.*

Fundamenta huius sententiæ possunt colligi ex fundamentis pro alijs adductis, quia eius Auctor nullum aliud ponit,

Hæc quarta, & vltima sententia opposita confussa est in secunda, & tertia parte Couclusionis primę; & ex dictis ad fundamenta aliarum sententiarum patere poterit ad ea, quę pro hac sententia possunt afferri.

DVBIVM XXVIII.

Quam opinionem teneamur sequi in Administratione, & vsu Sacramentorum; an quamlibet probabilem sequi possit.

HOc differt inter rectitudinem actionis moralis, & confectionem Sacramenti, quod rectitudo moralis actionis desumitur non tam ex eo, quod est in re, quam ex eo, quod inculpabiliter, apparet operanti, vndè contingere potest, quod actio in se mala sit, sed vt procedit ab operante, bona: vt si quis sequitur opinionem probabilem, quod contractus aliquis est licitus, & reuera est illicitus, & vsurarius, ille sequens illam opinionem, non peccat, sed rectè operatur; vnde operatio eius recta est hic, & nunc, vt ab illo procedit, sed in rei veritate, & materialiter considerata est illicita, & vsuraria, quia excusatur inuincibiliter ex ignorantia, sequens opinionem, quam veram reputat probabiliter. Non sic contingit in Sacramentis, sed etiamsi quis sequatur opinionē probabilem, quod aliqua est legitima materia, vel forma Sacramenti, vt si consecret panem ex tipha, vel Baptizet sub hac forma. Baptizo te in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque, iuxta probabiles sentētias, tamèn si in re illa non est legitima materia, vel in forma Sacramentum non efficitur, eo quod Sacramenta efficiuntur ad modum rei phisicę, de cuius essentia est vera materia, & forma, & si deest, nullo modo consistit res talis, quantacunque recta intentione fiat. Ex hoc ergo capite est specialis ratio operandi, cum maiori cautela circa Sacramenta, & ideò inquirimus, vtrum in confectione Sacramentorum sufficiens sit, sequi probabiles opiniones, & tutas? Vel debemus sequi probabiliores, & tutiores.

Prima sententia est, in materia Sacramentorū, sicut in qualibet alia morali, posse sequi quamcunque probabilem opinionem, relicta probabiliori, & tutiori etiamsi contingere possit, quod sequendo talem opinionem minus probabilem, & minus tutam, non conficitur Sacramentum, & ex consequenti suscipiens priuetur eius fructu, seu effectu. Sententiam hanc tenet Madina *prima secundæ, q. 19. a. 6. q. 5.* ex his, quas ipsa disputat §. *Cæterum magna* est, quam prius docuit Albanus *lib. 1. de Eucharistia*. Citantur plures alij pro hac sententia, qui tamen eam defendunt diuersis considerationibus, de quibus dicemus infrà; Confirmatur verò sequentibus rationibus.

Primum Argumentum. In alijs negotijs, etiam magni momenti, & quæ sunt in preiudicium proximi, licitum est, sequi opiniones probabiles, relictis probabilioribus, & tutioribus. ergò etiam in materia Sacramentorum. Consequentia potest probari ex paritate rationis. Non enim apparet maior ratio, ob quam in Sacramentorum administratione debeamus sequi opinionem tutiorem, quam in alijs materijs, in quibus potest esse peccatum; & Antecedens probatur. Vidimus enim in superioribus, quòd etiamsi materia sit peccati mortalis, excusatur, qui sequitur probabilem opinionem, etiamsi sit materia restitutionis, nam relicta opinione probabiliori, & tutiori, quòd contractus fuit iniustus, & sic teneris restituere, potes licitè sequi minus probabilem, & tutam, docentem contractum esse licitum, & non teneri restituere.

Secundum Argumentum. Circa materiam Sacramenti Pęnitentiæ licitè sequuntur Doctores opinionem probabilem. minus tutam, relicta tutiore. ergò idem poterunt præstare circa materias, & formas aliorum Sacramentorum. Consequentia videtur bona, quia materia proxima Sacramenti Penitentiæ non est minus necessaria ad eius veritatem, quam materia, vel forma cuiusque alterius Sacramenti; ergò si hoc non obstante sufficit materia circa probabilem opinionem, idem dicendum erit in alijs Sacramentis. Et Antecedens probatur primò, nam circa dolorem requisitum, opinio tutior tenet requiri contritionem, vel Attritionem existimatam contritionem; & opinio minus tuta censet sufficere attritionem cognitam, & tamen viri docti; & pij solū attritionem cognitam requirunt de necessitate, & cum hac absoluunt. Nec valet dicere, quod in omni opinione cum sola attritione efficitur Sacrmentum, saltem informe, vnde sufficit ad Sacramenti valorem, & reuerentiam, quia & si saluetur Sacramentum informe, sed tunc priuatur suo effectu, quæ est iniuria Sacramento, & suscipienti, & sic Sacrilegium. Secūdò probatur Antecedens, nam circa integritatem Sacramenti Pænitentiæ, qui sequens opinionem probabilem non confitetur aliquod peccatum, eo quod debet seruare formam complicis, rectè confitetur.

Tertium Argumentum. Si propter aliquam rationem in materia Sacramentorum teneremur sequi opinionem tutiorem, maximè ne exponamus nos periculo non conficiendi Sacramentum. sed hoc periculum non obstat, dummodò sequamur opinionem probabilem, ergò dum sequimur opiniones probabiles, etiam in materia Sacramentorum, rectè nos gerimus, etiam si sit periculum non conficiendi. Maior est præcipiuum fundamentum contrariæ sententiæ, & Minor probatur primò circa causam Bullæ cruciatæ, eligēdi Confessorem approbatum ab Ordinario, sunt duæ sententiæ; tutior, & fortè probabilior intelligit esse debere approbatum à proprio Ordinario, minus verò tuta admittit approbatum à quocūque Ordinario; tunc est Argumentum, Hæc secunda, & minus tuta sententia admittitur in practica a viris doctis, & pijs, etiam si sit periculum non conficiendi Sacramentum, quia si est vera prima probabilior sententia, Sacerdoti approbato ab alieno Ordinario, Bulla non confert iurisdictionem absoluendi, nec illam ex se habet, & sine illa

illa nullum est Sacramentum. ergò cum periculo non conficiendi Sacramentum sequitur licitè opinio minus tuta, & fortè minùs probabilis. secundò probatur eadem minor; nam si opinio probabilis asserit, non fieri irritum Sacramentum, sequitur, quòd probabiliter iuxtà eam ritè, & rectè administretur, quare non erit contrà Prudétiam, & Religionem, & sic licitè fiet. Quòd autem in re ipsa forsam fiat irritum, & fine effectu, si administretur iuxta opinionem minus tutam, non videturirreuerentiæ maioris, quæ operanti imputetur, sicut non imputatur, cùm sequens opinionem probabilem circa aliás materias, verè transgreditur aliquod præceptum.

Conclusio. Prędicta sententia vniuersaliter, & doctrinaliter intellecta, vt proposita est, non est vera. sic Auctores, quos inferius referam, vltra quos videantur Suarez *in tertiam partem, tomo 3. disputatione* 13. *sect.* 2. *& disp.* 45. *sectione prima*, in fine, *& disp.* 60. *sect.* 1. in fine Salas *disputatione vnica de conscientia, sectione* 5. *nu.* 56. qui citat Durandum *in* 4. *distinctione* 3. *q.* 2. *& q.* 2. *& distinctione* 11. *quest.* 6. §. *Hic breuiter*. Sotum *in* 4. *distinct.* 9. *q. prima, articulo* 2. *ad tertium*; Victoriam *quest.* 59. *de Eucharistiæ materia.* Petrum de Soto *lectione* 2. *de Eucharistia* Valentia, *in tertiam partem disp.* 6. *q.* 2. *punto* 1. Henriquez *de Sacramentis cap.* 9 *num.* 15. Bartholomæum Ledesma *de Sacramentis in genere, dub.* 5. *conclu sione* 3.

Probatur primò nã probabilis opinio Caietani, & plurium aliorum est, quod hæc est legitima forma Baptismi; *ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque*, & tamen extra casum extremæ necessitatis, qui sic baptizaret relicta communi forma peccaret, vt omnes concedunt. Ergò non licet sequi quamcunque probabilem opinionem in materia Sacramentorum. Item probabilis opinio S. Thomę est, quòd Baptismus ex lixiuio non omnino incinerato, & crasso erit validus. & opinio est aliorum, qua tipha, & spelta conficiet Eucharistiam, & etiam amidus, & tamen peccare, qui sequens tales opiniones si conficeret Sacramentum, vt omnes fatentur Item probabilis opinio habet, quod illa verba. Qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum non sunt de essentia formę consecrationis Calicis, vt disputatur 3. *parte, quastione* 78. *articulo* 3. & tamen nullus dicet quod licitè possit fieri Consecratio absque illis, vel coarctari Intentio consecrantis ad sola verba prima. Item probabilis fert opinio, quod Admixtio Balsami non sit dè intrinseca ratione materiæ Consecrationis, & tamèn sine peccato non posset aliquis extra casum grauissimæ necessitatis confirmare absque Balsamo.

Secundò probatur á priori, quia talis minister ommittens certam formam, & apponens probabilem, seu minus probabilem, & minus tutam, se exponeret periculo non conficiendi Sacramentũ absque rationabili causa. ergo peccat, nam qui se exponit periculo peccandi, peccat. Antecedés probatur; nam si illa sententia quantocumque probabilis, in re non est vera, non efficiet Sacramentum, cui periculo se voluntariè, & absque legitima, & vrgenti causa exponere, peccatum, est, secus ex legitima, & vrgenti causa, vt dicemus.

Tertiò probatur, quia hæc est differentia inter Actiones, & Res, quòd sequens opinionem probabilem circa Actione eo, ipso non peccat etiãsi illa sententia, quam sequitur, sit falsa, excusatur enim à peccato sequens illam, & ita nullum sequitur damnum: vt si Quis dubitans an possit ex leui infirmitate comedere Carnes in quadragesima, si Medici diuiduntur in varias sententias, & ipse sequatur minus probabilem, & minus tutam, asserentem licere, etiam si illa sententia sit falsa, ipse excusatur, & nullum sequitur inconueniens. sed cum opinio est circa res, vt sunt Sacramenta, si illa fortè est falsa, non fit Sacramentum, quod est inconueniens maximum tam contra Religionem, quàm contra suscipientem. Reliqua Argumenta, quibus hęc conclusio stabilitur, sunt inferius referenda.

Sententia opposita relata in principio dubij vniuersaliter concedens in omnibus materijs, & formis Sacramentorum posse sequi quascunque probabiles opiniones, vera non est, vt vidimus in conclusione. Vndead Argumenta. & primò.

Ad primum Respondemus negando Antecedens, si vniuersaliter intelligatur diximus enim suprà, id verum esse, quandò opiniones versantur circa actiones, seu circa iura; nõ verò quando opiniones versantur circa res, si ex eis sequatur aliquid contra Religionem, contra Iustitiam, vel contra Charitatem, vt ibi latius patet: & ideò negatur consequentia, quia Sacramenta sunt Res, & ex hoc, quod quis relicta certa, & tutiori materia, vel forma absque vrgenti causa conficiat Sacramentum, sequutus opinionem probabilem, sequitur contra Religionem, contrà Charitatem Dei, & contra Charitatem proximi, periclitari Veritatem Sacramenti. & Ratio discriminis est satis manifesta. nam ex hoc, quod ego iuxta probabilem opinionem comedam, verbi gratia, Carnes ex leui infirmitate, etiam si illa opinio vera non sit, nulli sequitur damnum, non enim offendo Deum, excusat enim eũ ex talis opinio; sed ex hoc, quod in materia, vel forma Sacramenti sequar opinionem minus probabilem, vel tutam, si forte illa opinio vera non est; Sacramentum efficitur nullum, quod est contra sanctitatem & reuerentiam Sacramẽti, & valdè nocciuũ proximo.

Ad secundum Argumentum patebit ex dicendis, & satis liquet ex dictis, quòd circa partem materiæ pænitentię, nempe circa dolorem, licet sequi non quácumque opinionem minus tutam, sed probabiliorem, eo quod non constat certò ex Sacra Scriptura, vel Ecclesia, quæ sint necessaria. Sed ex hoc non Colligitur, quòd possimus sequi quamcunque opinionem minus probabilẽ, & multò minus quando apertè constat de materia, & forma, locum habet quæcunquę opinio; & ideò concesso Antecedenti cum prædictis limitationibus, negamus consequentiam, loquendo de materijs, & formis aliorum sacramentorum, quotuum materiæ, vel formæ ab Ecclesia, vel Deo taxatæ sunt certò, & absque dubio. Et in particulari loquendo de dolore, vide quæ suprà diximus, loquendo vero de integritate Confessionis dicimus, formalem integritatem certum esse requiri, hoc est, quã pænitens hic, & nunc potest apponere. Sed quia sunt particulares Casus, in quibus propter aliquod inconueniens non potest aliquod peccatum confiteri, vt propter honorem proximi seruandum, vel propter periculum Confessoris, vel Pęnitentis, in his casibus debemus sequi si non tutiorem, saltem probabiliorem tutiorem, sufficit sequamur probabilẽ iuxtà dicenda.

Ad

Ad tertium Argumentum; concessa maiori nego minorem. Ad primã probationẽ dico primo, quod sententiam illam, quę docet per Confessorẽ approbatum ab ordinario debere intelligi approbatum à quocunque ordinario esse probabiliorem, & communiorem, & sic sępè declarauit Commissarius Bullæ Cruciatę auctoritate Summi Pontificis. Deinde circa hoc non esse euidentiam, atque adeò sequi sufficit opinionem probabiliorem. & ideò certò efficitur Sacramentum quantum possibile est moraliter loquendo, quia dato; quod nõ semper teneamur sequi quod tutius est & quod non possit esse euidentia circa hoc, summũ quod potest fieri est, sequi quod probabilius est, quod præstat, qui sequitur, quod per Bullam est legitimus Confessor approbatus à quocunque ordinario. Sed si sequatur contrariam sententiam, nẽpè debere esse approbatum à proprio ordinario certius facit Sacramentum, & sequitur tutiorem sententiam.

Secundò Resp. ad eandem primam probationem, quod in prædicto Casu, etiam si opinio asserens sufficere sacerdotem approbatum a quocumque ordinario, esset minus probabilis, immò etiam in re esset falsa, non subiret periculum non conficiendi Sacramentum, eò quòd cum ex prædicta opinione, & iuxta illam ex Bulla conferatur sufficiens iurisdictio; saltem est titulus coloratus in ministro, & sic suppletur Auctoritas, & iurisdictio ab Ecclesia ex lege *Barbarius* §. *de officio Pretoris*, de qua re videatur Caietanus *in summa, verbo Absolutionis impedimentum*, & Martinez *hic dub 6. post conclusionem* 7. Ad secundã probationem dico, quod ille, qui potest apponere certam, & indubitatam materiam, & formam, & absque vrgenti Causa ponit solùm opinabilem, subiens periculum non conficiendi Sacramentum, procedit irrationabiliter, & imprudenter fine causa se committens periculo tali, neque eadem ratio de sequente opinionem probabilem circa Actionem, vt diximus in solutione ad primum.

DVBIVM XXIX

An in Administratione Sacramentorum teneamur sequi opinionem probabiliorem.

CONclusio; licitum est aliquando circa materiam, vel formam Sacramentorum, sequi opinionem minus tutã; vnde sententia opposita, quam adducemus non est vniuersaliter vera. Sic Auctores suprà citati in conclusione præced. Probant conclusionẽ hanc Argumenta facta pro conclusione antecedentis dubij; Sed vltra probatur primò, nam circa dolorem, qui est materia proxima Pænitentię sunt duę sententię. Prima, & tutior est requiri Contritionem, vel ad minus Attritionem existimatam Contritionem. secunda, & minus tuta dicit sufficere Attrionem cognitam in ratione Attritionis; sed licitum est sequi hanc sententiam, & absoluere eum, qui fatetur se solam Attritionem habere: ergò licitum est in materia Sacramẽti sequi opinionem minus probabilem. Minor probatur: quia id fatentur posse fieri, & faciunt grauiores auctores. Secundò, quia nos superius determinauimus, quod Parochus debet absoluere pænitentem sequentẽ opinionem probabilem, vt hic pænitens habet, etiã si sit contra sententiam Confessoris probabilem, & tutiorem. Secundò probatur, quia aliquando non solùm licebit, sed tenebitur minister vti materia approbata ab opinione minus probabili, & minus tuta, vt in casu magnæ necessitatis, de quo postea.

Opposita sententia est, quod circa materias, & formas Sacramentorum semper eligenda est probabilior, & tutior sententia, quæ scilicet magis certò Sacramentum indicat. Sententiam hanc sic vniuersaliter prolatã tenent Scotus *in 4. distinctione 11. q. 6. quæ est prima secunda partis distintionis*. Petrus de Soto *libro de institutione Sacerdotum, lectio 2. de eucharistia*.

Arguitur primò nam quantocumque aliqua opinio sit probabilis, vel probabilior, tamen certa non est, & si contingit esse falsam, non conficitur Sacramentum. sed exponere se periculo non conficiendi Sacramentum est grauissimum peccatum. ergò circa materias, & formas Sacramentorum sequi opinionem probabilem vel probabiliorem; relicta tutiori, quę absque dubio Sacramentum conficit, est grauissimum peccatum. Maior probatur, nam defectus veræ materiæ, & verę formæ, essentialis. & dissoluit speciem rei, & sic nõ conficitur verum Sacramentum. Minor verò probatur, qui enim exponit se periculo non conficiendi Sacramentum, iniurius est ipsi Sacramento, & eius Auctori, & grauissimè peccat contra Religionem talis Sacramenti. Deinde exponit se periculo causandi innumera mala, nempè priuandi suscipientem fructu Sacramenti, & si est Sacramentum Baptismi charactere, & possibilitate recipiendi alia Sacramenta, si est Ordinis, nullitatis omnium munerum ordini annexorum &c.

Resp. quod hæc sententia opposita generaliter sumpta, non est vera, vt ex Conclusione patet. Vnde ad Argumentum Respondeetur distinguendo illam minorem: *sed exponere se periculo non conficiendi Sacramentum, est grauissimum peccatum*; si temerè, hoc est, absque probabili, & rationabili opinione, & sine vrgente necessitate, se exponat tali periculo, verum est; & tunc vera est sententia illa; sed vbi necessitas obligat, & Sacramẽtum condescendit necessitati humanæ nego minorem propter rationes assignatas, & assignabiles inf. in subsequentibus dubijs. Ad primam eius probationem eadem Respondemus distinctione. Ad secundam negamus, quod quando in casu grauissimę necessitatis vtitur minister probabili materia, vel forma, sit causa alicuius inconuenientis. Nam ad summum potest sequi, quod Sacramentum sit nullum, & ex consequenti non sortiatur effectum: sed totum hoc erat, etiamsi non apponeret talem materiam, vel formam; ergò nõ causat tale nocumentum. Minor probatur, quia casus talis necessitatis supponit, quod, sit impossibile apponere certam formam, vel materiam, nempè quod moriens puer, si non potest Baptizari aqua, & sic moritur sine Sacramento, Baptizetur materia probabili, nempe lixiuio, hoc autem à parte est in fauorem eius. Nam si lixiuium est vera materia, iuxta illam opinionem saluatur, sin autẽ manet in eodem statu, in quo si non Baptizaretur. Idem est si consecretur tiphæ panis ad communicandum infirmum, quando non est panis, triticeus, & sic de alijs.

Petes. *An quando ex sacris letteris, & ex Decretis, & vsu Ecclesiæ constet forma, & materia Sacramenti, relictis illis, liceat apponere materiã, & formam solùm probabilem.*

Est sententia distinguens de materia, & forma Sacramenti: vel enim certò constat materia, & forma Sacramenti ex Sacra scriptura, Decretis, aut Generali vsu Ecclesiæ, vel non constat, sed sunt diuersę sententię circa illam, & dicit, quòd si constat, saltem ex vsu Ecclesiæ, non obstante quacunque probabilissima opinione, illa materia, & forma debemus vti sub pœna peccati mortalis. Sed vbi non constat de certa, & determinata materia, vel forma, sed sunt opiniones possumus sequi quamcumque probabilem.

Prima pars sententiæ huius est, quod vbi constat de materia, & forma Sacramenti saltem ex vsu Ecclesiæ, vti debemus illa, & non possumus alia vti, etiamsi sit probabilissima sententia, quod est legitima, Ita Suarez *tertia parte tomo 3. disp. 16. præcipuè § secundò Colligitur.* Vasquez *hic disp. 63. capite 2. §. & primum quidem*, & Montesinos *disp. 29. q. 5. num. 232.* Martinez *hic dubio 6. post Conclu. septimam*. Probat primò Vasquez. nam licèt aliàs licitum sit sequi opinionem probabilem, etiam minus tutam, tamen Ecclesia consuetudine communi videtur præscripsisse modum administrandi Sacramentum, contra cuius legem efficeret, qui aliter administraret, in re tàm graui addit Montesinos, vsus habet vim præcepti.

Probat secundò, nā decretum, vel mos Ecclesię maiorem inducit certitudinem, quam quælibet alia opinio quorumquunque doctorum, ergò necessariò Standum est illi. Arguitur 3. Defectus materiæ, & formę constituit Sacramentum nullū, quantocunque sit sententia probabilis, quòd talis materia, vel forma assignata à tali opinione est sufficiens. Vt ergò effugiamus hoc sacrilegium, & obuiemus innumeris inconuenientibus nullitatis Sacramenti, maximè in aliquibus Sacramentis, quæ sunt maioris necessitatis, vt Baptismus, vel defectus eorum minus possunt reparari, vt in Sacramento ordinis.

Secunda pars sententię huius est, quod vbi certò non cōstat de materia, & forma Sacramenti ex scriptura, Decreto, vel vsu Ecclesiæ, sed sunt diuersę sententię, possumus sequi quamcunque probabilem opinionem, etiamsi sit minus probabilis, & minus tuta, hanc sententię partem tenet Vasquez *disp. 63. capite 2. citato §. Deindè si non*, & loquitur quantum attinet ad reuerentiam Sacramenti, & periculum non conficiendi illud, nam ex charitate aliter censet aliquando efficiendum, de quo postea. Probarique potest hoc Argumentis faciend s. pro nostra Conclusione, quæ solùm hoc videntur probare.

Conclusio. Non semper, quod materia, vel forma Sacramenti constat ex sacris litteris, ex Decretis, & vsu Ecclesiæ, sic alligamur vti illis, vt aliquando non liceat relictis illis apponere materiā, vel formam solùm probabilem. Nam vt videbimus inf. quando vrget grauis necessitas, & non possumus adhibere (ex quacunque causa) materiam, vel formam certam, licitum est vti materia, vel forma probabili.

Sententia citata, quæ necessitat ad apponendam materiam, & formam certam, itaut dum illę constant, aliæ quantocunque probabiles non possint sine peccato apponi, limitanda est iuxta dicta, nam si aliquo casu impossibile est talem materiā, & formam apponi, & vrgeat grauis necessitas, potest apponi materia, vel forma probabilis. Et solùm probant Argumenta adducta pro prima parte illius sententię. Quod verò quando ex scriptura Sacra, vel ex decretis, & vsu Ecclesiæ non constat de materia vel forma alicuius Sacramenti, possit sequi quęcunque probabilis opinio, probabilitate non caret, licet nos existimémus, debere tunc sequi opinionem, si non tutiorem, saltem probabiliorem.

DVBIVM XXX.

An in administratione Sacramentorum si consideretur Reuerentia debita Sacramenti possit sequi opinio probabilis, si verò consideretur vtilitas, & fructus, quem recipiens Sacramentum ex illo debet percipere, debeat sequi opinio probabilior.

Est sententia, quę dicit, quod in administratione alicuius Sacramenti duo possumus considerare; primum est reuerentia, quam ex Religione tenetur habere minister ad rem tam sacram, vt ritè eam administret, & non faciat irritam. Secundum est, vtilitas, & fructus, quem recipiens Sacramentum ex illo debet percipere, quam minister tenetur procurare ex virtute Misericordiæ, & Charitatis, quo supposito duo dicit hęc sententia. Primum est, quod vbi non obstat vsus, & consuetudo recepta Ecclesię, nam tali extante tenet, quod diximus in supradictis, licitum esse sequi opinionem probabilem, etiam minus tutam in qua potest esse periculum efficiendi irritum Sacramentum, aut effectum illius conficiendo informe, si solum attendamus ad debitam Sacramento reuerentiam, tam quod attinet ad eius integritatem, quam quod effectum illius spectat. Secundum est, neminem satisfacere obligationi, quia quis ex charitate debet indigenti prouidere remedium per Sacramenta, si sequatur opinionē probabilem, immò etiam probabiliorem minus tutam, si potest tutiorem sequi. Sententiam hanc tenet Vasquez *disp. 63. cap. 2. § Deinde si non, & capite 3.* in principio; Antonius Perez *certamine 10. scholastico capite 12. & 13. a num. 62.* Sayrus *libro 1. capite 7. à num 4.*

Prima pars sententię huius probatur Argumētis factis dub. præd. secunda verò pars probatur primò. Quia obligatio charitatis, & Misericordię hoc postulare videtur, vt si proximo possimus certum remedium adhibere, non adhibeamus dubium, seu incertum, vt in incertum sit, an Sacramentum sic celebratum: vallidum sit, seu effectū habeat. ergo qui adhibet incertum sequens opinionem probabilem, & si satisfaciat Religioni Sacramenti, tamen non satisfacit obligationi charitatis, & misericordiæ.

Arguitur secundò cū Gabriele Vasquez, quod non videtur charitati, & misericordiæ consentaneum, cùm possim adhibere indigenti remedium aliquod certum adhibere ei remedium, quod non est citra periculum, solùm vt sequatur opinionem suo iudicio probabilem, quod maximè habet verū in administratione Baptismi, ex quo non solùm pendet Iustificatio, quæ suppleri posset proprio actu ex gratia Dei, sed valida susceptio aliorum Sacramentorum.

Arguitur tertiò, & desumitur hoc argumentū ex d. scrimine inter obligationem Religionis erga Sacramentum, & obligationem charitatis, vel misericordię erga proximum, ex quo deducitur satisfieri obligationi Religionis, sequendo quamcunque

camq; te opinionem probabilem, non verò obligationi charitatis vel misericordiæ erga proximum. Consistit autem discrimen in hoc, nam ex opinione, quæ affirmat hoc modo, aut illo integrum fieri Sacramentum, & cum effectu, planè Colligitur, nullam irrogari iniuriam Sacramento, cum probabiliter existimetur, adesse omnia, quæ ad eius Institutionem, & effectum necessaria sunt, & ita ex illa deduci potest rectum conscientiæ judicium ad sic conficiendam Sacramentum absque irriuerentia: at verò eadem opinio nō affirmat, nec ex illa colligi potest, eo modo proximo adhiberi remedium, quod charitas exposcit, & quia charitas exposcit, vt remedium præbeamus sine periculo, cùm possumus, sequens eam opinionem, non satisfacit Præcepto charitatis.

Conclusio. Prædicta hæc sententia, & doctrina, neque omninò est vera, neque accommodata ad dissoluendam hanc difficultatem. In primis quòd non sit omninò vera; probatur primò, quia vt suprà ostendimus, non semper possumus sequi quācumque probabilem opinionem circa materias, & formas Sacramētorum, attenta tantum Sacramēti reuerentia: & idem confirmatur ex dictis. Secundò, quia ex charitate proximi, & Misericordiæ, non semper tenemur adhibere certas materias, & formas in Sacramentorum administratione, sed insuper sæpe possumus, & tenemur ex isto capite vti materijs, & formis minus tutis, & probabilibus, vt infra videbimus, & suprà vidimus.

Tertiò sequitur ex contraria doctrina non posse pænitentem absolui cum sola attritione cognita, quod est contra communem sententiam, & contrà ipsum Vasquez. Sequela probatur, quia non adhiberetur ei remedium sine periculo, adhuc enim sub opinione positum est, an attritio cognita sit sufficiens materia ad Sacramentum Pœnitentiæ causantem gratiam. Similiter non posset pænitens absolui, qui priorem aliquam Confessionem fecit informem, nisi illam repeteret, eo quòd sub opinione manet, an Confessio informis sit repetenda, an non? Et ideò non adhiberet ei remedium sine periculo. Respondet Vasquez in vtroque casu esse absoluendum pænitentem, eo quòd in eis si aliquod est periculū, non se tenet ex parte Confessoris, sed Pænitentis non apponentis meliorem dispositionem. Sed hæc solutio friuola est, nam Confessor non solùm tenetur ex parte sua apponere debitam formam, sed videre, & examinare, an pœnitens ex parte sua illam ponat, & inducere adhoc, vel non absoluere, aliàs non satisfacit charitati apponendo remedium dubium.

Quartò sequitur ex prædicta opinione, quòd Confessor, vel doctus consultus de aliquo casu, an debeat restituere: si sunt diuersæ opiniones, non posit pro aliqua parte respondere, eo quod si cōtraria sententia fuerit vera, priuat partem sua pecunia contra certum remedium charitatis. Respondet Vasquez, quòd potest, eo quòd non magis tenetur ex charitate vni, quam alteri. Sed hoc non tollit, quin adhibeat remedium incertum.

Deinde huius sententiæ doctrina accommodata non est ad decisionem huius difficultatis. Nam in primis discrimen positum inter obligationem Religionis ad Sacramentum, & obligationem charitatis, & misericordiæ ad proximum, licèt locum habeat quantum ad hoc, quod si ad inuicem concurrant, cedat religio Sacramenti obligationi charitatis, vt dicemus; tamen dum non obuiant sibi, tanta cautela, & tam secura conscientia debemus procedere circa vnum præceptum, quam circa aliud, si ad mortale obligant: nam sicut conscientia prudenter formata ex eo, quod non est peccatum, excusat in vno, sic in alio, & sicut procedere in materia vnius cum conscientia infirma, est peccatum, sic procedere respectu alterius, erit peccatū. Si ergo sequendo opinionem probabilem potest sibi persuadere, rectè se gerere quoad Sacramentum, apponendo materiam, vel formam minus certam, quia sic conficit Sacramentū probabiliter, & sic potest sibi persuadere, quod adimplet obligationem charitatis, sequendo opinionem probabilem, & dando probabile Sacramentum.

Sententia ante Conclusionem citatā repudiata est Conclusione nostra, ex eo, quòd discrimen positum inter obligationem Religionis, & charitatis non subsistit, vt ibi vidimus. Vndè ad primum Argumentum. Dicimus, conuincere quidem ex charitate nos debere certum Sacramentum efficere, & non incertum, sed eodem modo conuincit ex Religione idem debere efficere, si commodè possumus.

Ad secundùm dico, quod sicut non videtur cōsentaneum charitati, & misericordiæ adhibere remedium incertum proximo, cùm possim adhibere certum: sic non videtur consentaneum Religioni efficere Sacramentum incertum, cùm possum efficere certum, vndè vel nil probat de charitate, & misericordia, vel idem probat de Religione.

Ad 3. dicimus, illam differentiam inter obligationem Religionis, & charitatis non consistere, nisi in verbis. Licèt enim maior sit obligationis, & charitatis, quam Religionis, vndè cędit hæc illi vt vidimus. Sed vbi non sibi obuiant, vnaquæque pro viribus est conseruanda: & sicut obligatio charitatis exposcit, quod non demus proximo remedium incertum, si possumus dare certum: sic obligatio Religionis exposcit, quòd non faciamus Sacramentum incertum, cùm possumus efficere certum, sicut etiam obligatio iustitię, quòd non faciamus restitutionem dubiam, si possumus certam. Et sic dicendum est de alijs virtutum actibus, cum præceptum virtutis viget.

Petes *An In Administratione Sacramentorū quæ sunt de necessitate salutis, vt Baptismus, &c. Teneamur sequi opinionem probabiliorem, non verò in reliquis Sacramentis.*

Est sentētia supponens, quod non omnia Sacramenta sunt æquè necessaria, sed latum est discrimen ex duplici capite. Primum est, quod quædā sunt de necessitate salutis vt Baptismus, Pænitentia post lapsum, alia non ita, vt confirmatio, Matrimonium, Ordo. Secundum est, quod quædam sunt iterabilia, vt Confessio, Communio, & ideò si aliquando contingit, quod nulla fiant, vel informia, & absque fructu, potest hoc damnum resarciri, cum alijs vicibus iterantur; alia sunt irriterabilia, quæ semel solum recipiuntur, vt Baptismus, Ordo, vnde damnum nullitatis efficitur irreparabile. Hoc supposito tria dicit hæc sententia.

Primum est. Sacramenta, quæ sunt irreterabilia, & de necessitate salutis, vt Baptismus, necessarium est, quod administrentur secundum opinionem tutiorem, ita quod peccaret mortaliter, qui circa materiam, & formam eius sequeretur opinionem minus tutam. Ratio est, quia sequen-

sequendo opinionem minus tutam, potest fieri damnum quasi irreparabile, si forte si non sit validum Sacramentum, cum Baptismus ex vna parte sit irriterabilis, & ex alia sit Ianua omnium Sacramentorum, taliter, quod non baptizatus sit incapax recipiendi omnia Sacramenta. Ita docent Lorca *disput.* 38. *membro* 2. *&* Montesinos *disput.* 29. *quæst.* 5. *num.* 233. vbi extendit hanc Doctrinam ad Sacramenta ordinis, quoad Episcopum ordinantem, qui tenetur sequi opinionem tutiorem, quia si fieret inualidum, redderetur ille, qui ordinatur impotens ad conficienda Sacramenta, quæ exigunt ordinem, & cũ non iteretur manet damnum irreparabile. eamdem sententiã sequuntur ex parte Martinez *hic dubio* 6. §. *Item notandum*, & Montesinos *disput.* 29. *quæst.* 5. *num.* 233. *&* 234.

Secundum dictum est, loquendo de Sacramentis, quæ non sunt de necessitate salutis, vt Confirmatio, Matrimonium, extrema vnctio satis est, quod minister in eorum administratione sequatur opinionem probabilem relicta probabiliori, & tutiori. fundamentum est, quod hæc Sacramenta non sunt de necessitate salutis, atque adeò non sequitur ex hoc, quod fiant irrita sequendo opinionem probabilem minus tutam, tam graue inconueniens, sicut in alijs, vt ratione illius teneatur minister necessario sequi probabiliorem, & tutiorem sententiam; sic Lorca *disputatione* 38. *citata, membro* 2.& Martinez *hic dubio* 6. §. *Item tandem*.

Tertium dictum sententię huius est, quod loquendo de Ecclesię Sacramento, quod secundum aliquos est omnino necessarium ad conseruationẽ vitæ spiritualis, & secundum omnes copiosiorem fructum gratiæ causat in recipientibus, & loquẽdo de Sacramento pænitentiæ, quod supposito peccato mortali post Baptismum commisso, est necessarium ad salutem, non esset peccatum semel, aut iterum sequi in eorum administratione opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori: sed id sæpè sic celebrare iuxta minus probabilem, & minus tutam opinionem esset, graue peccatum, iuxta maiorem, vel minorem frequentiam. Et fundamentum est, quòd hæc Sacramenta sunt iterabilia, vnde si quod damnum sequitur ex hoc, quod aliquando fiant irrita sequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam, facile potest reparari per iteratam susceptionem, ex quo etiam secunda pars probatur, Nam frequenter celebrationem talium Sacramẽtorum continuare valde notabile damnum potest causare, si fiant irrita, & salutem proximi periculo graui exponere, Sic Lorca *disputatione* 38. *membro secundo*.

Conclusio. Hæc sententia non est accommodata ad expositionem difficultatis huius. Primò, quia solùm attendit ad nocumentum Proximi ex confectione Sacramenti nulli, cum tamen ex ipsa Sacramenti sanctitate, & virtute Religionis tenetur Homo non efficere Sacramentum nullum.

Secundo: nam licet verum dicat in hoc, quod quanto grauiua nocumenta sequantur ex hoc, quod fiat Sacramentum nullum, tanto grauis peccat, qui se huic exponit periculo, nam ex maiori nocumento crescit grauitas peccati vt docet Sanctus Thomas *infra quæst.* 73. *articulo* 8. tamen ex hoc ipso, quod Sacramentum in se fit nullum, non attenta vtilitate, vel proximi nocumento, est graue peccatum Sacrilegij, quod non videtur reputate hæc sententia. Tertiò quia primum eius dictum vniuersaliter intellectum est falsum, nam Sacramentum Baptismi est de necessitate salutis, & irriterabile, & tamen in casu extremæ necessitatis moriente puero si non possit haberi aqua munda, quæ est certa materia, potest, & debet minister vti materia probabili, nempè lixiuio, vt videbimus.

Quarto, quia secundum dictum de Sacramentis iterabilibus verum non est. Licèt enim nocumentum sequutum ex eo, quod nulliter celebrantur, graue non esset (quod tamen falsum reputo, cùm priuari gratia Sacramentali non sit Leue, sed graue damnum) tamen quòd cùm constet de certa, & indubitata materia, & forma talium Sacramentorũ, minister absq; graui causa, solùm, vt sequatur suam opinionem, exponit se periculo irrita faciendi, graue sacrilegium existimo. Et quòd tunc priuet gratia Sacramentali, & fortè salute æterna, si ille homo erat in peccato mortali, & attritus, vnde iustificari poterat recipiendo tale Sacramentum, & maximè loquendo de extrema vnctione exhibita morituro. Et Confir. sequitur enim ex sententia, quam impugnamus, quod quilibet Episcopus pro libito posset conferre Sacramentum Confirmationis cum solo Oleo oliuarum absque Balsamo, ex eo quòd est probabilis opinio, oleum oliuarum solùm esse legitimam materiam Sacramenti Confirmationis; quod tamen nullus concesit extra casum extremę necessitatis in regione, in qua non posset Balsamum inferre.

Quinto, quòd in tertio dicto affirmat, nempe semel, & iterum adhibere formam, vel materiam probabilem in Sacramentis Pęnitentię, & Eucharestiæ, non esse peccatum, esse tamen sæpè id efficere, verum non est. Sequitur enim ex hoc, quod absque legitima causa, potest quis consecrare semel, & iterum panem ex tipha, sequutus opinionem probabilem asserentem esse materiam legitimam. Et iterum, quod posset consecrare vinum sub hac intentione, quod sola illa verba. *Hic est enim Calix sanguinis mei*, relictis sequentibus, quia est probabilis opinionis illa sola esse formam absque his, *qui pro vobis, & pro multis, &c.* Secundò non apparet probabile, quod aliquid semel, & iterum fiat sine peccato, & quod tertio vel octauo factum sit peccatum, quia sicut quomodo sæpè fit, exponitur Minister periculo non conficiendi Sacramentum, sic cùm semel, vel iterum fit. & licèt peccatum ex consuetudine fiat grauius, tamen non desinit esse peccatum, si simel fiat: nec quod semel peccatum non est, fit peccatum ex eo quod sępè fiat, vt apparet ex alijs materijs.

Licèt sententia posita in principio dubij satis diiudicata manet ex nostra hac Conclusione, tamẽ Respondeo ad omnia eius fundamenta, quod licèt ex nullitate Sacramentum in diuersis Sacramentis, pręcipuè, in illis, quæ sunt de necesitate salutis, & non iterantur, diuersa, & grauiora sequantur inconuenientia, ex quibus valde aggrauatur peccatum efficiendi illa nulla, vel se exponendi periculo nulla efficiendi, si materia, vel forma, quam apponimus iuxta probabilem sententiam Legitima non sit; sed vltra hoc ipsum, quod est exponi periculo non cõficiendi Sacramentum, est graue peccatum contra Religionem, & ex tali nullitate priuare suscipientem fructu Sacramenti est detrimẽtum grauis ponderis, & sic peccatũ graue contra Charitatem Proximi. Ex quo Colligitur

contra

non rectè hæc pensari ex solo maiori, vel minori nocumento nullitatis Sacramenti.

DVBIVM XXXI.

Quæ opinio debet circa Sacramentorum Administrationem iudicari tutior, & eligibilior, quæ fauet integritati, & Reuerentiæ Sacramenti, vel quæ fauorabilis est suscipienti Sacramenta.

PRima conclusio, si ad inuicem conferantur reuerentia, & integritas Sacramenti, & Salus seu vita spiritualis, & æterna recipientis, illa opinio erit tutior, & eligibilior, quæ fauet saluti spirituali, & æternæ suscipientis; dummodo circa Valorem, & Reuerentiam Sacramenti sequamur opinionem probabilem, & non alias. Prima pars Conclusionis huius est, quòd illa opinio debet iudicari tutior, & eligibilior quæ fauet suscipienti Sacramentum, quæ ex expositione tituli huius dubij satis patet. & hanc partem expressè tradunt Montesinos *hic disp.* 29. *q.* 5. *num.* 245. & Diana *secunda parte, tract.* 13. *resolut.* 13. vbi pro hac citat plures, qui expresse id non docent, sed aliquid inde ipse Diana colligit illos sic sentire, vt quod possit absolui, qui in articulo mortis petijt Confessionem, aut signa ostendit contritionis: quòd non rarò efficit, vt auiditati plurium satisfaciat.

Probatur primò, quia Sacramenta instituta sūt in fauorem suscipientium, & sic sunt propter suscipientes, & propter eorum vtilitatem, & non e contra, suscipientes propter Sacramenta. Ergò potiùs attendenda, & veneranda est ex voluntate instituentis salus, & vtilitas suscipientis, quam reuerentia Sacramenti; cedit enim Sacramentum quodammodo dignitati suæ in eo, in quo possibile, & rationabile est cedere, vt suo fini deseruiat. Antecedens ex se patet. & illud confirmat Sanctus Thomas *tertia parte quæst.* 61. per totam, probans Sacramenta esse media instituta ad salutem humanam: & Consequentia probatur, quia medium intantum est necessarium, quatenus conducit ad finem.

Et Confirmatur à simili ex verbis suscipiē Matthæi 23.16. *Væ vobis Duces cæci, qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti, & Cæci. Quid enim maius est Aurum, an Templū, quod sanctificat Aurum? &c.* Sensus enim est: id propter quod est Aurum, & Sanctitatis eius est Causa, anteponendam esse, & magis venerandum. si ergo santificatio Hominis est causa finalis, propter quam fecit Deus Sancta Sacramenta, santificatio Hominis præstat Sanctitati Sacramenti, & idem confirmant, quod dicitur Marci 2. 27. *sabbathum propter Hominem factum est, & non Homo propter sabbathum.* ex quo colligitur, Hominem, & eius necessitatem, etiam corporalem vitam sustentandi, de qua loquebatur, anteponenda esse Sabbatho. eadem ergo ratione nos dicimus, Sacramenta propter Hominem facta sunt, & non homo propter Sacramenta: anteponendus est ergo homo, & eius salus, præcipuè spiritualis, Sacramentis.

Secundò probatur ex innumeris Casibus, in quibus propter salutem suscipientis, & fauorem eius vtimur opinionibus minus fauorabilibus Sacramento; vt cùm quis infirmitate præpeditus non potest exprimere peccata, sed solùm signa Contritionis, & opinio fauorabilis sacramento negat esse absoluendum, quia non est sufficiens materia; alia verò minus fauorabilis Sacramento, sed magis infirmo dicit, absoluendum esse, ne fortè priuetur fructu sacramenti, & hæc in fauorem infirmi anteponenda est. Secundò cùm constitutus in magno periculo mortis, & quiectis, ac non loquendo medicamine egens, incipit confiteri, & in latitudine veniens Prudens Confessarius differt in aliud tempus reliqua dicere, & propter periculum Mortis absoluit. Tertiò cum vxorata decursu temporis cognoscit inualiditatem sacramenti Matrimonij, & quia Causa cedit in detrimentum famæ eius, vel vitæ, obtenta dispensatione, contrahit denuo Matrimonionum verbis generalibus, inducens maritum ad hoc, vt dicat, quòd si non esset cum illa coniugatus, eam tunc vellet accipere, & accipit, & illa idem repetit, qui modus extra hunc casum non esset sufficiens ad celebrandum matrimonium. & plura alia exempla in decursu materiæ huius adduximus, & adducemus.

Secunda pars Conclusionis est, quòd opinio fauens suscipienti sacramentum est tutior, & anteponenda in praxi, dummodo circa integritatem, & reuerentiam sacramenti sequamur opinionem verè probabilem, & ex consequenti tutam, & nō aliàs, quam partem tradit etiam Montesinos loco paulo ante citato. Probatur primò. Quia non licet facere mala, vt veniant bona, vt tradit Paulus Apostolus ad Romanos 3. 8. sed qui in effectione Sacramentorum non sequeretur opinionem saltem probabilem, peccaret procedens ex mala conscientia sequutus errorem, vel opinionē improbabilem in eorum effectione: ergò licèt procederet ex colore subueniendi proximo, vel cuiuscunque alterius boni peccaret.

Secundò probatur. nam si non procedat minister in apponenda materia, & forma debita Sacramento saltem iuxta opinionem probabilem iniurius est Sacramento, nec subuenit proximo. ergo ex omni capite malè operatur. Antecedens probatur; & quidem iniuriam facit Sacramento, & procedit ex mala conscientia, quia si, vt ipse sentit, non operatur probabiliter circa illud, nec saltem probabiliter censet Sacramentum efficere, vel procedit omnino dubius, vel certus, quod Sacramentum non efficiat, & vtroque modo malè procedit. Deinde eo ipso, quod Sacramentū non conficit, proximo non subuenit medio Sacramento; quia cum non habeat saltem opinionem probabilem conficiendi sacramentum, non potest illam habere subueniendi proximo medio Sacramento.

Pro Dubij vltima resolutione animaduertendum est, quòd in debita sacramenti administratione tria possunt distingui. Primum est, quòd Sacramentum conficiatur verè, ad quod concurrunt tria omnino necessaria, nempe, vera materia, vera forma, & vera intentio. secundum est, quòd Sacramentum non frustretur suo effectu, vt si fiat sacramentum informe, vel ex alio obice ponatur impedimentum gratiæ. Tertium est, vt ritus, & Ceremoniæ, orationesque approbandæ in Cælebratione aliquorum Sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ, de quibus omnibus dicendum est.

2. Conclusio. Circa Ceremonias, & Ritus obseruandos

obseruandis in administratione sacramentorum, potest quilibet licitè sequi quancumque probabilem opinionem, sicut in alijs materijs, iuxta dicta, vbi nomine, Rituum, non intelligo præsentiam Parochi, & testium respectu Matrimonij, quia supposito decreto Concilij Tridentini annullantis matrimonium aliter celebratum, iam pertinet ad substantiam eius. sed intelligo ea, quæ sunt ad extrinsecum ornatum, vt Exorcismû, & alia, quę pręcedunt Baptismum, ad monitiones ad matrimonium sic Montesinos *hic disp. 29 quest. 5. num. 242.* & Martinez *dub. 6. post. septimam cõclusionem*. Probatur; quia cum ea non pertineant ad essentiam sacramenti; neque ad eius effectum causandum, seu impediendum, sed solùm ad decentiam, & ornatum eorum, non est aliqua efficax ratio, quę conuincat, circa hæc vtendum maiori cautela, & securitate, quàm circa obseruantiam Dei, & Ecclesię, atque adeò ea probabilitas, quæ sufficit, vt circa hęc operemur licitè, sufficit ad operandum circa hęc ritualia,

3. Conclusio. Circa præcipuos Sacramentorũ effectus, vt character, & gratia, eodem modo videtur eligendam esse opinionem certiorem, & tutiorem, de quo dicemus esse necessariam ad substantiam Sacramenti. Probatur Conclusio. Non minorem iniuriam irrogat Sacramento, nec minus damnum recipienti, qui illud priuat suo effectu, quàm qui ex defectu legitimæ materiæ, vel formæ, aut intentionis reddit nullum, ergo tanta requiritur certitudo, & cautela, & tam secura, opinio ad hoc, quòd non priuemus Sacramentum effectu, & suscipientem fructu, quanta requiruntur ad hoc, quòd non fiat nullum ex parte materiæ, & formæ.

4. Conclusio. Sacramentorum ministri in eorum Confectione iure diuino tenẽtur ad apponẽdas materias, & formas à Christo institutas, quod si non faciant; grauiter mortaliter peccant. Videatur Suarez *tomo 3. disp. 16. sect. 2. in principio.* Prima pars Conclusionis est de fide; & conuincitur aperta ratione, nam tenetur efficere vera Sacramenta, qualia à Christo instituta sunt, non ficta, falsa, vel alia; sed non efficiet vera Sacramenta, qualia a Christo sunt instituta si immutat materias, & formas, quia lumine naturali cõstat hanc mutationem esse essentialem. Confirmatur, nam potestas instituendi Sacramenta, & determinandi eorum materias, & formas solùm fuit communicata Christo, vt probat Sanctus Thomas *3. parte, q. 64. art. 2. 3. & 4.* nullus ergò alius efficit Sacramentum, si mutat materiam, vel formam.

Colligitur ex hac Conclusione, grauissimè mortaliter peccare ministrum immutando in materia, vel forma Sacramentum aliquod substantiale, vel essentiale. Probatur, nam facta substantiali mutatione materiæ, vel formæ, non fit verum Sacramentum, & sic peccat sacrilegè contra Deum institutorem, & contra Sanctitatem Sacramenti, & insuper contra charitatem suscipientis, priuans illum Sacramento, & effectu eius. Hoc ergo supposito, quia de veritate materiæ, & formæ Sacramenti possunt esse diuersæ sententię, videndum restat, quam sequi teneamur.

Quinta Conclusio. Quando materia, & forma Sacramenti certò constant ex Sacra scriptura, & decisione Ecclesię, vel communi eius vsu; & tali materia, & forma Sacramenti possumus vti, & alia materia, & forma minus certa, & tuta. Diximus, *& tali possumus vti*, quia aliquando contingere potest, quòd non possumus vti illis, quę sunt certę vno ex modis dictis, vt si aliquo casu moritur infans, & non est aqua pura, sed solùm lixiuium ad Baptizandum, cùm non est alia materia ad cõsecrandum, nisi speita, vel amidus, in quibus casibus quid agendum sit, postea dicemus.

Primam partem Conclusionis huius tenent S. Augustinus libro de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. vbi dicit, etiamsi quis existimet Baptismũ collatum apud Donatistas legitimum esse Sacramentum, tamen peccaret relinquendo Baptismũ certum Ecclesię, eo quòd in hac re certum tenemur, incerto anteponere, eius verba sunt. *Quamquam etiamsi dubium haberet, illic rectè accipi; quod in Chatolica rectè accipi certum haberet, grauiter peccaret, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quòd certis incerta prapone ret*. Sanctus Thomas, tertia parte quest. *60. a. 5.* in corpore docet, quòd in Sacramentis intendit Deus sanctificationem hominis, & ideò determinare quibus rebus homo santificetur, pertinet ad solum Deum, & in solutione ad primum ait: *sicut iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis scripturæ locis res spirituales significentur, ita etiam debet esse diuina institutione determinatum, quæ res assumantur ad significandum in hoc, vel in illo Sacramento*. Et in solutione ad secundum concludit. *Oportuit diuinitus determinari, quibus rebus sensibilibus sit in Sacramentis vtendum*. Et loquens de formis sacramentorum *art. 7. concludit, dicens multò magis requiritur in eis determinata forma verborum*. Quam etiam Conclusionem tenent Auctores citati, & probant rationes pro illa ibi adductæ.

Secunda pars nostræ Conclusionis limitat primam, vt scilicet semper debeamus vti materijs, & formis à Christo determinatis, & in Ecclesia practicatis, communiter in confectione Sacramentorum, nisi sit casus, in quo Sacramentum sit necessarium, & talis materia, vel forma esset pro tunc impossibilis: vt si moriente puero non esset alia aqua ad Baptizandum, nisi, quæ dicitur lixiuia mediocriter cineribus infecta: si in casu necessitatis Eucharistiæ non esset panis triticeus, sed ex spelta, vel amido: si in necessitate Baptismi minister ex aliqua Infirmitate vel casu nesciret formã Baptismi, sed scriptam legeret hanc formam. *In nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque*, sic de forma aliorum Sacramentorum, de quibus postea dicemus. Solùm aduertimus, quòd quando ex necessitate fit prędicta variatio, non immutamus materias, vel formas Sacramentorum, non enim est talis potestas in Ecclesia, sed pertinet ad potestatem excellentię Christi institutoris Sacramentorum. Sed quod in eo casu cõtendimus est, quòd apponimus id, quod probabiliter est spetie idem cùm materia à Christo instituta, nempe, quod spelta est triticum imperfectum, quòd panis ex amido est triticeus, quod hæc fòrma. Ego te Baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque, in sensu idẽ est cum forma; quam Christus præcepit.



Dub. XXXII.

DVBIVM XXXII.

An quando vrget grauis necessitas vel communis boni, vel salutis alicuius, nec moralitèr potest apponi ea materia, vel forma, de quibus nulla est dubitatio, licitum sit cum materia, vel forma Sacramentorum conficere, quæ iuxta opinionem probabilem conficiant Sacramentum licèt iuxta probabiliorem non conficiant.

QVando vrget grauis necessitas, vel communis boni, vel salutis alicuius, nec moraliter potest apponi, ea materia, vel forma, de quibus nulla est dubitatio, licitum est Sacramentum conficere cũ materia, vel forma, quæ iuxta opinionem probabilem conficiunt Sacramẽtum, etiamsi iuxta probabiliorem, & tutiorem non conficiant.

Conclusionem hanc tenet Suarez *hic disp. 12. sect. 6. num. 11. & tertia parte, tomo 3. disp. 16. sect. 2. §. Dices ergo.* Salas *disp. unica de conscientia, sectione 5. num. 56. &* Martinez *hoc dub. 6. post Conclusionem 7. & §. notandum tamen.*

Hanc Conclusionem probant omnia Argumẽta posita in superiori dubio ad primam Conclusionem facta. Et vltra hoc probatur primò. Si cùm vrget magna necessitas, seu vtilitas proximi, nec possibilis est materia, vel forma indubitata, seù certa, non posset minister vti materia, vel forma probabili, maximè propter cultum, & Reuerentiam Sacramenti, ne fortè fiat irritum, sed hoc non obstat. ergo nulla remanet Ratio obquam tunc minister non possit vti materia, vel forma probabilibus. Maior est certa, non enim potest reperiri alia ratio obuians. & Minor probatur primò, quia in Casu magnę necessitatis vel vtilitatis proximi. Sacramentum condescendit, seù cedit illi vtilitati itaut quadammodo, si sic loqui licet permitat sequi opinionem adhuc minus probabilem, vt subueniamus homini, vt supra ostendimus. secundo probatur eadem minor, nam tunc potest Minister vti ad maiorem cautelã conditione, vel expresse apposita, vel implicitè intellecta volendi efficere Sacramentum, si fortè non est sufficiens materia, vel forma.

Secundò probatur ex multis casibus, in quibus sic debere fieri concordant Theologi. Primus est hominis iam iam morientis, qui vel solùm dixit Confessori se in genere peccasse, vel id nutibus indicat, nec potest aliquo modo speciem peccati declarare in quo casu sunt qui probabiliter censent esse sufficientem materiam, licèt alij multò probabilius existiment non esse sufficisufficientem materiam, & tamen communis sententia est, omnino absoluendum saltem sub conditione, ne fortè si illa sententia est vera, priuemus illum in Casu tam magnę necessitatis remedio Sacramenti. & aliqui putant etiam absque conditione aliqua debere absolui,

Secundus Casus est, cùm puero moriente fortè non adest certa materia Baptismi; sed solùm lixiuium, quod est materia incerta, sed est opinio valde probabilis, quod est vera materia, tunc enim, licet extra casum necessitatis, cùm aquam claram habemus, esset peccatum mortale Baptizare lixiuio, tamen in casu prædicto ob necessitatem liceret baptizare tali materia probabili. Tertius Casus est: si apud Regionem aliquam nõ potest reperiri Balsamum, quod simul cum oleo oliuarum est materia Sacramenti Confirmationis, ne tota illa Regio priuaretur sacramento tali, licitum esset, sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, asserentem solum oleum oliuarũ esse materiam sufficientem talis Sacramenti, & illa materia sacramentorum confieri.

Quartus casus; si aliquando non esset materia tritici ad consecrandam Eucharistiam, & totus Populus deberet audire Missam, vel communicare in Paschate aut essent infirmi communicandi, & solùm esset panis ex amido, vel spelta, quæ iuxta minus probabilem, & minus tutam sententiã sunt materia huius sacramenti, tunc illis posset confici, vt subueniretur tali necessitati. Quintus Casus est. Quando matrimonium fuit nullum ex aliqua causa, quam periculosum esset publicare, & tunc dispensatione obtenta, tenent Theologi iterandum esse verbis ambiguis, quęrendo à Marito, an si non duxisset eam, vellet nunc de nouo nubere, & sic assentiente vtroque fieri de nouo; cùm tamen talis forma contrahendi extra talem casum esse sufficientem, minimam habet probabilitatem.

Sed contra prædictam conclusionem, quod si semel est contra Religionem, & Reuerentiam debitam sacramento, vti forma minus certa, nequę ex necessitate, vel vtilitate possimus illa vti, tenet Vasquez *disput. 63. capitulo 2. §. Quòd verò asserunt.*

Primum Arg. est, quo Vasquez vtitur contra dictam Conclusionem, est ipsum quod sibi obijcit Suarez *3. parte, tomo 3. disp. 16. sect. 2. §. dices nempe,* in Sacramentorum administratione, ita ex se tenemur vti materia, & forma certis ex institutione Christi, declaratione, vel vsu Ecclesiæ, vt peccatum sit ommissis illis, iuxta quãcunque sententiam vti alia materia, vel forma, vt baptizare sub hac forma. *In nomine Iesu, vel in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque.* ergo numquam licebit vti materia, vel forma probabili, omissa certa in sacramento conficiendo, etiam vrgente quacunque necessitate, vel vtilitate. Ostensum est Antecedens sup., & consequentia probatur primò, quia si malum est, relicta materia, & forma certa in Sacramentorũ administratione, vti materia, vel forma probabili pro libito, debet esse intrinsecè malum; sed si est malum intrinsece non potest fieri honestum, vel bonum ex quacunque necessitate, vel vtilitate proximi: ergo data tali necessitate, vel vtilitate, si ex se est intrinsece malum, & illicitum, remanet semper malum, & illicitum. Maior probatur, quia si apponere materiam, vel formam probabilem, relictis certis extra casum necessitatis, vel vtilitatis, non esset intrinsecè malum, nõ esset cur in illo casu, sicut in alijs rebus non liceret vti opinione probabili. Secundò probatur eadem consequentia, quia tota ratio, propter quã extra casum necessitatis non licet apponere materiam, vel formam probabilem relictis certis, est, propter periculum nõ conficiendi sacramentum, si fortè illa sententia non esset vera; sed hæc eadẽ ratio, & idem militat periculum, cùm instat necessitas, vel vtilitas; ergo neq; instante, vtilitate, vel necessitate licebit. Minor probatur, nam etiam instante necessitate, vel vtilitate, si illa opinio probabilis fortè non esset vera, non conficeretur sacramentum, quia deficiente legitima materia, vel legitima forma, sacramentum non efficitur;

non

non suffragante ad hoc quacunque opinione: ergo eadem est ratio, & idem inconueniens, vteni materia, vel forma probabili in casu necessitatis, vel vtilitatis, vel extra illum.

Sed hoc Argumentum non habet vires, quas Vasquez existimauit, vnde Respondetur concesso Antecedenti, loquendo per se, & ex natura rei, negando consequentiam, quod nempe illicitum sit vti materia, vel forma opinabili in casu magnæ necessitatis. Ad primam eius probationem distinguo Maiorem: si est malum vti materia, vel forma probabili in sacramentis relictis certis pro libito debet esse intrinsece malum. si intelligas de intrinsecè malo ratione sui, nego, si verò de intrinsecè malo ratione periculi non conficiendi sacramentum, cui se exponit, concedo, & distinguo minorem illam; sed si est intrinsecè malum, non potest honestari, ex quacunque necessitate. si in se est intrinsecè malum, concedo, sic enim nō potest honestari odium Dei, Blasphemia, mendacium: si autem sit intrinsecè malum ratione periculi non conficiendi sacramentum, nego non posse honestari, quia plura huiusmodi ex rationabili causa honestantur, vt se exponere periculo Pollutionis, sic est intrinsece malum, & tamen honestatur ex honesta causa, vt ratione studij rerum venerearum, ratione audiendi Confessionē. Item ratione prædicationis fidei se potest aliquis exponere periculo, vt ab Hæreticis trahatur in suam sectam, vel à Tyrannis tormentis in discrimen adducatur, nemo enim negabit grauissima tormenta ponere hominem in discrimine retrocedendi à fide, & ideò se vltrò in gerere martyrio mori hominem, &, sine motione speculatissimi Auxilij Dei ad hoc mouentis, vel sine vrgenti causa esset temeritas. Ratione autem conuersionis Animarum, vel alia vrgēti efficitur actus valde laudabilis.

Vel secundò Respondetur, & redditin idem, quod vti materia, vel forma probabili in sacramētorum administratione absque rationabili causa non est intrinsecè malum, sed intrinsece ex volūtario periculo, cui se exponit, non conficiendi sacramentum, si forte illa opinio vera non est: hoc autem periculū honestatur, quando non voluntariè assumitur, sed ex vrgenti causa necessitatis, vel Charitatis, vt cùm quis se exponit periculo pollutionis ex hon esto fine studendi, vel Confessiones audiendi, vel curandi occulta feminæ.

Ad secundam probationem Antecedentis, cōcessa maiori, & minori negatur consequentia. & Ratio, est quia voluntariè & absque ratione se exponere periculo non conficiendi sacramentum, etiam sequendo opinionem probabilem, est inexcusabile, secus ex rationabili causa, cùm certa materia, vel forma adhiberi non potest. & vltra exempla data sit aliud exponere hominem vitā periculo absque aliqua causa peccatū est secus exponere illam periculo ex rationabili causa, vt ob defensionem substantiæ, Honoris, vel alterius boni proximi, vel proprij.

Secundum Arg. est ex hac conclusione sequitur, etiam extra casum necessitatis posse sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam. sequela probatur si in casu necessitatis licet apponere materiam probabilem, sed minus tutam, vt baptizare lixiuio, consecrare amido, ex eo est, quòd minister iuxta hanc opinionem existimat se verum efficere sacramentum; nam si sciret se nō efficere absque dubio peccaret, quia faceret iniuriam sacramento, & proximo non opitularetur, sed extra talem necessitatem idem potest opinari iuxta eandem sententiam. ergo potest eodem modo administrare sacramentum.

Ad hoc Argumentum nego sequellam. Ad probationem distinguo illam maiorem. *Si in Casu necessitatis liceret apponere materiam, vel formam minus certam, ex eo est, quod minister iuxta hanc opinionem existimat, se verum efficere Sacramentum*. Si loquaris de existimatione talis opinionis, quæ per se solam sufficeret ad assecurandam Conscientiā eius, nego, propter rationes, quibus negamus id licere extra casum necessitatis. Si autem loquaris de existimatione talis opinionis, quæ l. per se nō sit sufficiens assecurare conscientiam, vt existimet se certò efficere Sacramentum, sed adiuncto casu talis necessitatis, concedo; sed tunc extra casum necessitatis, iam non erit eadem securitas. Itaque Minister sequens illam opinionem in vtroque casu existimaret conficere Sacramentum probabiliter, & ex consequenti cum formidine alterius partis. Sed discrimen est, quod propter grauitatem materię actio est imprudens, & Minoris reuerentię, & sic peccaminosa sed cùm vrget magna necessitas, dictat prudentialis ratio, quod ob magnam proximi vtilitatem, ob quam instituta sunt Sacramenta, non temerè, sed prudenter se exponat illi periculo, & ideò in hoc discrimine licet, non extra similes casus. Sicut Homo licitè exponit vitam periculo ex rationabili causa non sine illa.

DVBIVM XXXIII.

An Quando neque ex Sacra Scriptura, neque ex Decretis, & Communi vsu Ecclesiæ constet de legitima Sacramenti Materia, vel forma, sed Reseft posita sub opinionibus; An possit sequi opinio probabilior, sed minus tuta.

Conclusio. Quando neque ex Sacra Scriptura, neque ex Decretis, & Communi vsu Ecclesiæ, seu quocunque alio Capite constat de legitima Sacramenti materia, vel forma, seu parte essentiali earum, sed res est posita sub opinionibus, etiam extra casum extremæ indigentię, seu necessitatis proximi, de quo supra diximus, licet sanum concilium sit sequi opinionem tutiorem tamèn licitum est sequi probabiliorem sententiam, præcipuè si sit Communior, etiamsi sit minus tuta, quam opposita. Sic Montesinos *hic disput. 29. quest. 5. num. 242. §. Dico secundo*.

Explicatur Conclusio. Diximus, quando ex nullo capite constat de forma, vel materia legitima Sacramenti, seu de parte essentiali eorum, &c. Nam cùm id constat, non licet extra casum necessitatis alijs vti, vt vidimus supra, etiam ostendimus in casu necessitatis, etiamsi constet de legitima materia, vel forma, si aliquo euētu nō posset appari, posset vti quibuscūq; probabilibus. Loquimur ergo in hac Cōclusione primò, quādo nō cōstat de materia, & forma certò, sed res est sub opinionibus, tūc dicimus posse rectè operari iuxta id quod probabilior docet sententia, præcipuè si sit communior. Si autem Inquiras, an tunc in materia, & forma sacramenti possimus sequi sententiam etiam non solum minus tutam, sed minus probabilem, dico quòd licèt non careat probabilitate,

litate, posse sequi quamcunque probabilem, nunc tamen, vt multo probabilius defendimus, debere sequi probabiliorem.

Probatur primò, non necessario esse sequendā tutiorem, quia sicut consulere tutiorem partem semper est Consilium valde prudens, ita exorbitat prudentia, & communi hominum vsu semper obligare ad id, quod tutius est, vt ostendemus infra.

Secundò probatur Conclusio. Nam maxima Reuerentia Sacramento debita, & maxima vtilitas ex Sacramento valido hanc materiam tam grauem, præcipuè circa aliqua Sacramenta, & occasiones, vt est Confessio in articulo mortis, Baptismus, & Sacramentum Ordinis, vt dato, quod non teneamur sequi quod tutius est in casu nostræ Conclusionis saltem, tenemur sequi quod est probabilius. *Confirmatur*; nam ille in re tam graui prudenter procedit, qui supposito, quòd debeo sequi sententiam probabilem, quia euidentiam habere non valet, sequitur quòd probabilius, & communius est; & imprudenter procedit, qui in re tanti ponderis absque vrgenti causa sequitur sententiam minus probabilem.

Tertiò probatur Conclusio, loquendo de materia requisita ad Sacramentum Pænitentię ex parte doloris: sicut enim ab antiquo duæ sententiæ, vna exposcit attritionem supernaturalem cognitam, affirmans hanc sufficere, vt ratum sit Sacramentum, & suum sortiatur effectum. Alia verò per oppositum ponit, quòd licèt ad Sacramentum informe sufficiat prædicta attritio cognita vt tali; tamē vt gratiam conferat, si homo non est verè contritus, requiri ad minus prædictam attritionem existimatam tamen contritionem. Inter quas sententias est discrimen primum, quòd secunda tutior est, vt ex se patet: nam si quis accedit cum vera attritione supernaturali existimata contritione, in omni opinione conficitur Sacramentum, & recipit gratiam, sed si accedit cum prædicta attritione cognita, res est sub opinione, an recipiat gratiā. Secundum discrimen est, quod secunda sententia, quę est tutior, est minus probabilis, prima verò semper fuit magis probabilis, præcipuè post Concilium Tridentinum *sessione 18. de Sacramento Pænitentiæ, cap. 4.* vbi loquens de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur, sic ait: *Et quamuis sine Sacramento Pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandum disponit.* In quibus verbis licèt aliqui intelligant Attritionem existimatam contritionem; sed voluntariè, cùm Concilium talem limitationem non apponat. Ex his sic conficio Argumentum. Quia Materia Sacramenti Pænitentię ex parte doloris non est ab Ecclesia determinata, vel saltem non erat ante Concilium Tridentinum viri timoratæ conscientiæ frequentes probabiliorem sententiam, solùm de necessitate exigebant attritionem cognitam, etiamsi contraria sententia probabilis exigens attritionem existimatam contritionem esset tutior. ergo, vbi ex decreto, vel vsu Ecclesiæ, aut alias non constat certo de materia alicuius Sacramenti, licitum est sequi opinionem probabiliorem, etiam minus tutam.



DVBIVM XXXIV.

Quam opinionem debet sequi Doctor, seu Magister in docendo.

Consequenter disputamus, quam opinionem debeat docere Magister, vel Doctor; & possumus loqui de eo dum docet in Cathedra, vel Pulpito, vel vbicunque exercet munus docentis in communi, vel dum consultus ab aliquibus Respondet Consultationi. De primo sensu dicemus in hoc dubio, & de secundo in sequenti. Circa primum est aduertendum, quod vel loquimur de doctrina practica, quæ ad Mores pertinet, docendo scilicet, quid debeat facere de facto homo in quacunque morali materia, qua ratione determinauimus dubijs superioribus, quid debeat facere Confessor circa opinionem Pęnitentis, quid Minister conficiendo Sacramenta: vel loquimur de doctrina practica non morali, vt qua ratione cōficienda sunt artifitialia, colendus ager, & Artes tam liberales, quam Mechanicæ exercendę: aut tandem de doctrina speculatiua diuersarum scientiarum, & Moralis Philosophiæ, vel Theologiæ non practicæ, sed speculatiuæ, vt cùm disputamus, an validus esset Baptismus factus lixiuio, vel sub hac forma. *Ego te Baptizo in nomine Genitoris Geniti,* & Procedentis ab vtroque, licèt enim vtrumque plures affirment speculatiuè, sed quòd praticè absque graui necessitate vtatur tali materia, vel forma non affirmant. Quo supposito sit:

Prima Conclusio Loquendo de veritatibus practicis, quę pertinent ad Mores, licitum est docere eam sententiam, quam licitum est sequi, iuxta dicta *in præcedentibus dubijs*, & dicemus in sequentibus: & nunc tum est etiam docere, vt practicè sequendam. Probatur. Nam licet alteri suadere, vt faciat id, quod facere non potest absque peccato; sed qui doceret opinionem, quam sequi non licet, tamquam practice sequendam, suaderet, vel saltem doceret facere, quod non licet: ergo non licet talem sententiam vt practicam docere. E contra verò licitè poteri docere sententiam probabilem practicè, quam sequi licitum est.

Secunda Conclusio. Circa ea, quę ad fidem, & doctrinam Catholicam pertinent, non licet docere opinionem aliquam contrariam, quantocunque censeatur probabilis, & Magnorum Magistrorum. Circa quam Conclusionem vide quæ diximus *sup.* Tertia Conclusio. Circa res speculatiuas, quæ licèt non pertineant ad fidem Catholicā, sunt tamen illi valde annexę, & magni momenti, tenetur Magister, vel doctor docere sententiam probabiliorem, & veriorem, & quantum ad hoc veram reputo tertiam sententiā citandam in pręsenti dubio. Quarta Conclusio. Circa alias materias speculatiuas, quę non valdè accedunt ad doctrinam Catholicam, & circa practicas, quæ non pertinent ad mores, sed ad liberales, vel mechanicas Artes, licitum est docere quamcunque probabilem opinionem, & quantum ad hoc, vera est secunda sententiā quam mox citabimus.

Quinta Conclusio. Falsum, & improbabile, quod in speculatiuis quantocunque sint parui momenti, vt Grammaticæ, Rheotoricę, Logicæ, & in practicis ad mores non pertinentibus, vt liberalium, vel mechanicarum artium, possit aliquis docere falsam, & erroneam opinionem, cognoscēdo, quod est falsa, & erronea. Hęc Conclusio est

contra primam sententiam hic citanda ex ea parte, qua asserit nullum esse peccatum. Probatur primò, quia docere opinionem falsam, & cognitam, vt falsam, est fallere, & docere falsum, vt verum, & ex consequenti mentiri; sed fallere, & mẽtiri etiam in rebus parui momenti est illicitum, & peccatum, ergo docere veras opiniones falsas, vt falsas cognitas etiam in rebus speculatiuis parui momenti, est illicitum, & peccatum. Secundò probatur. Omne, quod repugnat rectæ rationi, est peccatum, sed repugnat rectæ rationi, quòd aliquis præcipuè Magister doceat, vt veram opinionem, quam cognoscit esse falsam: ergo est peccatum. Tertiò omnis fictio, qua fallitur Proximus, siue consistat in verbis, siuè in factis, est illicita, & pecatum, sed docere, quod falsum cognoscitur, vt verum, est fictio fallens auditores verbis: ergo est illicita, & peccatum.

Prima sententia opposita est, quod in speculatiuis parui momenti, vt Grammaticæ, Rhetoricæ, potest docere, & sequi quælibet opinio, etiamsi sit, & cognoscatur falsa absque peccato aliquo. Sic Salas in *disp. de conscientia, sect. 5. post secundam Conclusionem*. Et Corneio *tractatu. 8. disp. 3. dub. 6. post initium*. Verum est, quod limitant docendo, quod nullum est peccatum, vel solum veniale. Probatur primò ex capite *in quibus 22. q. 2. vbi ait* S. August. In quibus mihi nihil interest ad capessendum Regnum Dei, vtrùm credantur, aut non vtrùm vera putentur, aut falsa: in his errare, aliud pro alio putare, non est arbitrandum esse peccatum; aut si est, minimum est, atque leuissimum.

Hæc prima sententia in eo, quod dicit docere falsam sententiam in rebus parui momenti peccatum non esse, repulsa est Conclusione quinta. Ad eius Argumentum ex Sancto Augustino dico, ibi Sacrum Doctorem nullatenus loqui de eo, qui docet, sed apertus est sensus huius, nempe quòd in rebus parui momenti non examinare eas, vnde contingit errare credendo verum, quod falsum est, vel nullum est, vel minimum peccatum. Quod nos confirmamus, quia durum esset obligare ad faciendam diligentiam, & examen ex actum circa ea. secus est docere fa.sa, non solum ex negligentia examinis, sed cognita vt falsa, hoc enim diximus apertè esse falsum.

Arguitur secundò. In rebus Grammaticæ, Rethoricæ, vel Logicæ assentiri opinioni falsæ, & eam docere, non videtur res alicuius momenti, nec pertinens ad rectum statum conscientiæ. ergo neque veniale peccatum erit. Respondetur; docere res falsas parui momenti esse, sicut mentiri in rebus parui momenti, in quibus leuitas materiæ minuit peccatum, sed non tollit, quia est quoddam genus Mendacij.

Secunda sententia opposita est, quòd in rebus speculatiuis quæ ad fidem non pertinent, cuiusque momenti sint, licitum est sequi quancumque opinionem probabilem, etiam si sit minus probabilis. Probatur primò ex illo ad Romanos 14. 5. *Vnusquisque in suo sensu abundet, vbi videtur* asserere, quòd quisque potest suam sequi sententiam.

Hæc secunda sententia moderata est Conclusione tertia, vt non intelligatur etiam de rebus, quæ valde sunt annexæ doctrinæ Catholicæ, & magni momenti, & Conclusione quarta in reliquis est admissa. Ad argumentũ Respondetur, quatenus potest militare contra secundam, & tertiam Conclusionem, dico, quòd cùm dicit Apostolus; *Vnusquisque in suo sensu abundet*, absque dubio debet intelligi, de sensu rationabili, esset autem contra rationem in rebus fidei, vel valde annexis, non sequi Ecclesiæ Magisterium, & vbi Ecclesia non definiuit, non maiori cura se conformare opinioni probabiliori, & quæ magis adhæret his, quæ ab Ecclesia, & Patribus instituta sunt.

Probatur secundò Auctoritate nam Sanctus Thomas quodlibet tertio, articulo 10. in corpore sic ait: Diuersæ opiniones Doctorum Sacræ scripturæ, siquidem non pertinent ad finem, & bonos mores, absque periculo Auditoris, vtramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Romanos 14. *Vnusquisque in suo sensu abundet*. Et Soto *lib. 3. de iustitia quæst. 6. art. 5. ad 4.* sic scribit: *in speculabilibus namque scholarum disputationibus, nullũ inde conflatur periculum, quod quispiam minus probabilia Ingenij gratia defendat. In practicis. verò qua* Salas *in disp. de conscientia sect. 6. num. 67. in quadam Confirmatione, & numero 69.* Cornejo *tract. 8. disp. 3. dub 6. in principio, & §. Confirmatur primò.* Respondetur eodem modo, quo Respondemus supra ad Argumentum secundum, ex qua Respons. patet ad hoc etiam.

Tertiò probatur. nam circa Actiones morales, etiam in materia peccati, quando non sequitur notabile damnum contra Religionem, vel Charitatem possumus sequi practicè opiniones minus probabiles, relictis probabilioribus, & tutioribus, vt supra ostendimus. Ergo idem erit licitum in rebus speculatiuis, seù etiam practicis, quæ non pertinent ad finem, nec mores, & sunt minoris momenti. Resp. quod etiam circa actiones morales diximus, aliquando non posse sequi quamcunque opinionem etiam probabilem, vt quando periclitatur salus temporalis, vel spiritualis proximi, & in alijs casibus, quos explicamus in his dubijs.

Arguitur quartò ex suo, & communi sensu sapientium; videmus enim quod cõmuniter discipuli sequuntur, & docent opiniones suorum Magistrorum, nec ad hoc solliciti sunt, quòd sint probabiliores. & Confirmatur; nam in aliquibus familijs, & vniuersitatibus, seù Collegijs infallibiliter sequuntur probabiles sententias suorum Magistrorum, & eas docent, vt Durandi, Scoti, Nominaliũ, nec sollicti sunt, an sint probabiliores. Respondetur, quod etiam circa opiniones Durandi, *Scoti* & aliorum Doctorum, si est quid in illis minus conforme fidei, Doctrinæ Catholicæ, vel annexis, non eas sequuntur eorum Alumni.

Tertia sententia opposita est, quod etiam in rebus speculatiuis, quæ ad fidem non pertinent, tenetur Doctor, seù Magister veriorem docere sententiam, præcipuè si sint res alicuius momenti, quod si non facit, peccat mortaliter, vel venialiter iuxta materiæ qualitatem. ita Suarez in hoc loco, *disp. 12. sect. 6. num. 9.* vbi cum dixisset, licerè consulenti sequi opinionem probabilem relicta probabiliori addit: *Secus verò est in docendo, nam tenetur Præceptor saniorem, & veriorẽ doctrinam docere. in quo potest per gradus peccare iuxta materiæ qualitatem. Rectè autem faciunt, qui licet sentiant moralem aliquam opinionem esse probabiliorem, simul docent, quando cõtraria est probabilis, & tuta in praxi, & ita obtinuit vsus, qui multùm confirmat conclusionem positam.*

positam. Idem videtur sentire Martinez *hic dub. 6. immediatè ante solutiones Argumentorum §. secundò sequitur; in fine;* sed limitat quando timet minus probabilem sententiam aliqua censura esse inurendam.

Probatur. Nam, qui docet, tenetur, inquantum moraliter potest mentem discipuli ad Notitiam veritatis informare, & luce eius illustrare, cui muneri non videtur satisfacere, qui sciens, & prudens docet opinionem minus probabilem, & ex consequenti minus tutam, & certam, cùm possit probabiliorem, & certã proximiorem docere.

Hæc Tertia sententia, Conclusione tertia admissa, est quantum ad ea magni momenti, quæ annexa sunt Catholicæ doctrinæ, & Conclusione quarta repudiata est quantum ad materias. Ad fundamentum eius, vt militat contra Conclusionem quartam dico, quòd docens tenetur veritate informare auditorem non secundùm vltimum potentiæ, & in quantum in summum potest, hoc enim esset onus intolerabile portare circa omnes materias, sufficiet, quòd id præstet in rebus fidei, & annexis, neque enim in alijs materijs obligatur homo operari in summo, sed sufficiet quòd id moraliter præstet, vt Argumentum dicit, quod efficiet si circa alias materias probabilia doceat.

DVBIVM XXXV.

An consulens teneatur Respondere iuxta opinionem probabiliorem, & Communem.

PRima conclusio. Consultus ita debet Respondere consultationi, vt neque ipse mentiatur, neque decipiat interrogantem. Hæc conclusio debet esse communis omnibus, de qua videatur Suarez *prima secunda, tract. 3. disput. 12. sect. 6. num. 9.* Salas *in disput. vnica de conscientia, sect. 6. num. 69. & sect. 9. num. 81. & sect. 10. num. 95.* Sanctius *in summa tomo primo, lib primo, capite 9. numero 21.* Alter Sanctius *in selectis, disput. 53. numero 42.* Beccanus *in 2. parte, tract. 1. capite 4. quæst. 9. numero 16.* Diana *parte 2. tract. 13. resolutione 14.* Franciscus de Lugo *in tract. de conscientia capite tertio nu. 48.*

Probatur; quia si ipse mentitur, iam peccat adminus peccato mendacij, & si decipit eo ipso peccat iuxta qualitatem materiæ, vnde in re graue erit Mortale.

Ex præfata Conclusione sequitur primò, quòd si consultans inquirat propriam consulti opinionem, non rectè Respondet iuxta aliorum opinionem etiam magis probabilem, quia mentiretur, & deciperet illum. Posset tamen rectè dicere talem esse suam sententiam, sed aliam talem esse probabilem, vel æque, vel minus probabilem. sequitur secundò, quod si interrogans quærat, quæ sit sententia probabilior, aut tutior, non rectè respondeat, iuxta opinionem, quam iudicat minus probabilem, vel minus tutam. sequitur tertiò quòd si inquirit, an liceat illi talem Contractum, vel actionem exercere, si est opinio verè probabilis, q. ã in practica ille potest sequi, quod licitum est exercere talem Contractum, vel actionem; non rectè Responderet iuxta opinionem etiam magis probabilem, & magis tutam, non illi licere; deciperet enim illum, & mentiretur: posset tamen rectè Respondere, licere quidem iuxta probabilem opinionem, sed probabilius esse iuxta aliam non licere.

Secunda conclusio. si consultans solùm interroget, quid possit licitè facere, seu quod liceat facere in aliquo casu, vel contractu? Consultus potest licitè ei Respondere iuxta eam, sententiam quam licitè potest consultans sequi quæ autem illa sit ex dictis, & dicendis in hac disputatione colligetur, nec alia meliori via possumus regulã Respondendi assignare, quia si descenderemus ad singulares casus, oporteret circa hoc nouum tractatum instituere. Probatur primò: licitè alicui demonstramus, quod ille licitè facere possumus, quia non est vnde tale responsum deficiat: ergo semper, quod consultus respondet iuxta opinionem, quam licite consultans potest sequi, rectè respondet. Secundo probatur. Id intendit consultus, quòd consultus suppleat scientiam, quam consultans non habet, ad hoc, quod licitè operetur. Sed docens illi sententiam, quam sequens licitè operatur; id præstat: ergo licitè procedit.

Prima sententia opposita est, quod consultus Doctor tenetur respondere iuxta communẽ opinionem. sententiam hanc profitentur pro maiori parte iuris prudentes, Catellianus, Cotta *in memorabilibus, verbo opinio ex lege 1. communiter ad hoc allegata. § de officio quæstoris.* Baldus *ibi* Alexander *consilio 134. in fine libri primi, & circa finem libri secundi, consilio 22.* Felinus *cap primo de constitutionibus, versiculo nonò. fallit.* Decius *consilio 139. in fine.* Paulus de Castro *lege vltima C. de institutionibus & substitutionibus & ibi* Baldus. Iason *lege sciendum §. vltimo, de iureiurando, columna 3.* & plures alij, qui ex diuersis Capitulis vtriusque iuris id probare contendunt, in quibus id significatur Ratio autem pro hac sententia esse potest, quòd consultus, vt sic, non tam videtur interrogare de hac, vel illa sententia, quàm de cõueniente, vt rectè operetur: talis autem debet iudicari communis, quæ plurium Auctoritate, vt conuenientior sit admissa, iuxta illam ergo dedet respondere.

Ad hanc primam oppositam sententiam Iuris prudentum, dico, illos intelligi de conuentiori responso, quod est iuxta opinionem probabiliorem, vt dicemus infrà, nisi in singulari casu aliud exposcant circumstantiæ, Iuristè verò eam probabiliorem existimant sententiam, quæ est communior, & plurium Auctoritate suffulta, eo quòd apud illos plurimum valet Auctoritas. nec obstat, quòd aliqui dicant, teneri respondere iuxta illam, non enim loquuntur de vera obligatione ad peccatum, sed dicunt teneri ex decentia, & conuenientia. Et ex his patet ad Argumenta pro ea.

Secunda sententia opposita est, quòd vir doctus consultus non potest respondere iuxta sententiam minus probabilem, sed tenetur consulere, seu respondere iuxta probabiliorem. sententiam hanc tenet Henriquez *lib. 4. de Pontifice, & legibus, cap. 18.* Et quòd sic debet fieri in practica, docet Salas *tract 8. disp. vnica. sect 9. nu. 84.*

Arg. 1. Consilium absolute potens, id videtur inquirere, quo absolutè est verum, seu vero propinquius, vt est certa sententia, vel si non adest certitudo, probabilior sententia; sed qui respondet iuxta sententiam minus probabilem, nec respondet verum certum, nec vero propinquius: ergo non rectè Respondet. Patet consequentia, quia non respondet iuxta quæsitum, sed defran-

dat bonum interrogantis desiderium, & decipit illum, quod non licet. Resp. ad primum fundamentum negando maiorem. Absolutè enim Cōsulens non inquirit veriorem, seu probabiliorem, sententiam, sed probabilem, quam scilicet tuta conscientia sequi potest: hæc autem non solùm est probabilior, sed verè probabilis, iuxta à nobis determinata in superioribus.

Arg. 2. Doctor est veluti oraculum veritatis; sed ad veritatis oraculū videtur pertinere, quòd inquantum fragilitas nostra patitur veritatē edoceat: ergò Doctor Consultus in quantū fragilitas patitur veritatē docere tenetur. Tunc sic, sed qui Respondet iuxta opinionem minùs probabilem, non accedit adveritatem, quantum potest, nam proximior vero est opinio probabilior; ergo non adimplet obligationem suam Respondetur eodem modo, quod Doctor debet vt Oraculum veritatem respondere, sed iuxta interrogationem, vnde si quis interrogaret, quid melius facere posset, teneretur respondere iuxta probabiliorem sententiam, sed si solùm interrogat, quid facere possit absque peccato, & verissimū est; quòd potest operari iuxta opinionem probabilē practicè, itaut etiam si in re esset vera, siue non esset vera, adhuc non peccaret, vnde si non interrogatur de maiori veritate speculatiua, non tenetur respondere iuxta opinionem magis probabilem.

Tertia sententia opposita est, quod consultus potest respondere iuxta quamcunque opinionem probabilem, etiam si sit minus probabilis. sic Medina *in summa, lib. 2. capite 3. in fine*; Ludouicus Lopez *prima parte cap.* 120. Suarez *prima secunda tractatu 3. disputatione 12. sect. 6. num. 9.* Vasquez *prima secunda 3. disput 62. num. 47. & disputat. 63. num.* 14. Sayrus *in claui libro primo, cap. 6. numero* 11. Salas *tractatu 8. disputatione vnica de conscientia, num. 69 & 85.* Montesinos *prima secunda disputatione 39. quæst. 5. num.* 202. Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 9. num.* 19. Ioannes Sanchez *in selectis, dispu. 43. num. 36. & 42. & disp. 44. nu. 50.* Layman *lib. primo tractatu primo, cap. 5. num. 9.* Villalobos *tomo primo, tractatu primo, difficultate 12. num. 2.*

Hæc sententia nobis opposita confirmari potest omnibus Argumentis, quibus supra ostendimus omnem probabilem sententiam posse in practica sequi; nam si licitum est iuxta illam operari, sequitur licitum esse iuxta illam consulere, quod operari est licitū. Sed Hæc 3. sententia opposita limitanda est iuxta Conclusionem secundā, & id solùm conuincit eius Argumentum, nam aliquando, vt ex dictis apparet, in materia Sacramentorum non licet operari, vel consulere, vt alias operetur iuxta quamcunque probabilem opinionem.

DVBIVM XXXVI.

An Consultus possit respondere contra propriam sententiam.

Dubiolum est; An Consultus possit respondere contra propriam sententiam? Sotus *in 4. distinctione 18. quæst. 2. art. 5. in fine* §. *At verò*, videtur negare. Eius est ratio, quòd Doctor Veritatis non debet mentiri: at verò si cōsultus, qui est Veritatis Doctor responderet iuxta sententiam contrariam mentiretur, quia ille reputat suam sententiam veram, & ex consequenti contrariam reputat falsam. Idem videtur sentire Vasquez *hic, disputatione 63. cap. 3. in fine*, quatenus asserit, quòd Consulens videtur interrogare propriam sententiam consulti, ex quo sequitur, quod si non responderet iuxta propriam, sed iuxta alienam fallit consulentem.

Conclusio Consultus potest Consilium dare, non solùm iuxta propriam opinionem, sed etiam, iuxta alienam verè probabilem in practica. sic Medina *in summa lib. 3. cap. 3. in fine.* Ludouicus Lopez *prima parte, capite* 120. Suarez *hic, tract. 3. disput. 12. sectione 6. num. 9.* Vasquez *hic, disp. 61. numero 47. & disput. 63. num.* 14. Sayrus *in claui libro primo cap. 6. nu.* 11. Thomas Sanches *lib. primo Decalogi, cap. 9. nu.* 19. Ioannes Sanches *in selectis, disput. 42. num. 36. & 42. & disputat. 44. num. 50.* Salas *tractatu 8. disput. vnica, num. 69. & 87.* Layman *libro 1, tractatu primo, capite 5. nu. 9.* Villalobos *tomo primo, tract. 1. difficultate 12. num. 2.* & Diana *parte 2. tract. 13. resolutione 14.*

Probatur primò, Ipse consultus, si vult, potest licitè sequi opinionem verè contrariam suæ opinioni; ergo potest etiam alteri consulere illam. Consequentia est bona, quia nemo tenetur magis prospicere conscientiam alienam, quam propriā. Et Antecedēs ostensum manet in hac disputatione. Secundò probatur. Si Consultus sciret illam opinionem alienam ab opinione consulti verè probabilem, posset eam licitè sequi: ergo consulens potest illam licitè consulere. Patet Consequentia, quia nullus peccat consulendo, quod consulens facere potest absque peccato.

Probatur tertiò, quia si propter aliquam rationem non posset consultus respondere iuxta alienam opinionem probabilem, maximè quia responderet contra mentem, id licitum esse, quod reputat falsum, vnde deficeret in veritate, quę videtur ratio Magistri Soto; sed hoc non sequitur: ergo non datur aliquod inconueniens. Minor probatur primò, quia in primis non est necessarium, quod sequens vnam opinionem, contrariā falsam reputet, sufficit, quòd reputet illam ęquè, vel minus probabilem, vt ostendimus dubio supra citato. Secundò, quia quicquid sit de iudicio speculatiuo illarum opinionum, consultus habet hoc iudicium practicum, qui operatur iuxta talem opinionem meę contrariam, sed probabilem, rectè operatur, & ex hoc iudicio format conscientiam, quòd si ipse habens contrariam, iuxta illam operetur, rectè operatur. ergo similiter posset efformare iudicium, quod consultans si operetur iuxta illam, rectè operabitur, & ex hoc iudicio consulere illi, sic operari. Nec contrariū docent Soto, & Vasquez, loquuntur enim in casu, quod Consulens inquirit propriā Consulti sententiā. sic autē iam diximus Cōclusione prima dub. pręced. quòd non potest Consultus respondere iuxta sententiā aliorum. Et ad fundamentum Soti dico, quod Consultus licèt suam opinionem fortè existimet probabiliorem, tamen contrariam potest reputare probabilem speculatiuè, & practicè, & sic iuxta illam respondere.

Petes 1. *An Consultus possit præbere Consiliū iuxta opinionem, quam ipse reputat esse falsam.*

Prima sententia est id non licere, quā videtur teneri Soto relatus in principio pręcedentis dubioli, & expresse tenet Thomas Sanchez *libro pri-*

mo

me Decalogi capite 9. num. 19. fundamentum est, quòd nemo potest consilium dare, quod reputat falsum. Secundò, quod nemo potest inducere alterum, vel illi consulere, vt faciat quod Consulens licitè facere non potest, cùm idem peccatum sit per se facere, vt causa physica & per alium vt causa moralis, præcipiendo, consulendo &c.

Secunda sententia est Consultum posse respondere, esse sententiam aliquorum probabilem, quā subinde consultans licitè sequi potest, quamuis ipse sic consultus prædictam sententiam speculatiuè esse falsam certò sibi persuadet, atque adeò ipse Consulens non possit sequi talem sententiam, quam tenet Layman *libro primo. tract. primo cap. 5. num. 9.*

Fundamentum eius est. Nam consulens ius habet in re dubia operandi iuxta quamcunque sententiam probabilem, quamuis aliqui Doctores contradicant, & speculatiuè censeant esse improbabilem. Ergo Doctor indicare poterit hoc ius consulenti. Nec est vnde Doctori consulto prohibeatur.

Et Confirmatur, quia quicquid alicui licet facere, alteri licet ei consulere, etiamsi consulenti licitum non sit. Sed consultanti licet operari iuxta opinionem aliorum probabilem, etiamsi consulto non appareat probabilis: ergo consultus poterit illi consulere operari iuxta eam sententiam, etiamsi ipsi probabilis non appareat. Consequentia est Bona, & Antecedens probatur, quia Religiosus, & quicumque impeditus ad negotiandū, ad militandum, vel nubendum, potest hæc consulere interroganti non impedito, ergo etiam si Doctor consulens sit impeditus ad sequendam aliorum opinionem, eo quòd illam reputat improbabilem, si tamen consulens non sic reputat, nec impeditus est, ex consequenti ad sequendā illam, vt verè probabilem, poterit consultus illam illi consulere, seu indicare, vt licitè sequibilem illo.

Prima Conclusio. Si consultus aliorum opinionem reputat improbabilem, non solùm disputatiuè, & speculatiuè, sed etiam practicè, vt potè, quia constat illi eius Auctores decipi, vel ex ignorantia alicuius legis, vel quocunque alio modo, non potest illi consulere talem sequi opinionem, vel consultantem ad Auctores, vel sequentes talem opinionem remittere: & hoc pacto debet intelligi prima sententia, id que probat eius fundamentum. Neque secunda sententia est cōtraria, loquimur enim in casu, quòd consultus speculatiuè, & disputatiuè solùm reputet improbabilem aliorum sententiam, sed practicè probabilem, & hoc conuincit eius fundamentum.

Secunda Conclusio. Semper, & solùm quando consultus potest consulere aliorum opinionem probabilem iuxta dicta, potest si vult consulentem remittere ad Auctores talis opinionis probabilis, vt ipsi iuxta illam informet interrogantis conscientiam. Communis debet esse hæc Conclusio. Et fundamentum est, nam ad alios remittere cōsulentem, idem est moraliter, quòd respondere consultanti per alios, sed semper, & solùm tunc possum per alios operari, quando etiam licitè possem per me ipsum. ergo semper & solùm quando consultus potest consulere aliorum opinionē probabilem, potest consultus remittere consulentem ad auctores talis opinionis.

Petes 2. *An consultus teneatur semper respondere cum opinione fauente interroganti?*

Dubiolum est. An consultus teneatur semper respondere cum opinione fauente interroganti? verbi gratia, consultar quis Doctorem, an in aliquo casu peccet, vel an teneatur restituere. Et sunt duæ sententiæ, vna affirmat, alia negat. Affirmatiua continet disfauorem consulentis, prohibet enim illum sic operari, vel compellit restituere. Negatiua autem fauet; negat enim esse peccatum vel obligationem restituendi, & cum liberum relinquet ad talem actum, vel à tali onere. Inquirimus ergo, An Doctor consultus possit respondere iuxta alienam opinionem probabilem, disfauorem continentem, vel semper, quòd non sequitur propriam opinionem, debeat respondere iuxta alienā fauorabilē, & liberantē interrogante.

Et suppono communem esse sententiam, quòd consultus potest respondere iuxta propriam suam opinionem, siue faueat, siue non faueat interroganti simpliciter. Dubium ergo est; an supposito, quod vellit loqui aliquando iuxta aliorum probabilem sententiam, possit respondere iuxta sententiam non fauorantem interoganti?

Prima sententia est, quòd tunc potest solùm cōsultus respondere iuxta alienam probabilem sententiam relicta propria, quando talis aliena sententia est fauorabilis interroganti, quod si interroganti fauorabilis non est, non potest illi respondere iuxta illam, sed debet respondere iuxta propriam, vel iuxta aliam fauorabilem, quam sententiam tenet Vasquez *hic disp. 62. num. 47.* Salas *tractatu octauo. disp. vnica, numero* 85. Diana *parte secunda. tract.* 13. *resolut.* 14. *in fine*, & *loquendo de Confessario* Villalobos. *Tomo primo, tractatu primo, difficultate* 2. *numero* 2. Fundamentum est, quòd inquam est, Auctoritate ficta, quemquam conuincere ad faciendum, quod alios non fecisset; sed non consulens in hoc casu non conuinceretur auctoritate facta consulentis, ad id, quod alias ille facere nollet, putans ipsum ita sentire: ergo iniquè ageret sic consulens.

Secunda sententia est, consulentem non solum posse consultanti respondere circa alienam opinionem probabilem, quando illa fauet ei, tum etiam quando illum ligat. Sic Thomas Sanchez *libro primo decalogi, cap. 9. num.* 21. Probat, quia sicut doctor consultus potest iuxta probabilem aliorum opinionem respondere, quando excusat interrogantem; ita poterit, quando ligat. Siquidem in vtroque casu tenetur iuxta sententiam probabilem respondere, in vtroque eodem modo Consultans Consulti sensum inquirit, & ille respondere æqualiter potest, sentire esse licitum vel illicitum, absque mendacio, cum iuxta alienā sententiam sentiat esse licitum, vel illicitum.

Prima Conclusio. Circa hanc difficultatem certum debet esse apud omnes. Primò quòd consulens expresse per sententiam doctoris consulti, tenetur respondere iuxta propriam sententiam, & si petat sententiam probabiliorem, tenetur respondere iuxta eam sententiam, siue propriam, siue alienam, quam putat probabiliorem. Tertiò quid si roget expresse consulens, an aliqua ratione, opinione, vel via possit licitè exercere talem actionem, seu contractum; & absque onere satisfaciendi, vel restituendi, vel quid simile, teneti consultum, vel tacere, vel si iudicat aliquam opinionem liberantem a tali onere, vel à peccato esse probabilem practicè, & sequibilem, iuxta illā respondere. Fundamentum omnium horum est quia nisi modo prædicto respondeat, mentitur, & fallit consulentem, vt paulo antè dicebamus.

Secunda

Secunda Conclusio. Si consulensfolùm inquirat à consulto, an liceat ei sic operari, vel anteneatur restituere? sufficienter respondet iuxta quamcunq; opinionẽ cũ verè probabilem, & sequibilem, siuè sit fauorabilis, siuè contraria commoditati consultantis. Atque adeò secunda sententia absolutè est vera, & eius fundamentum conuincit.

Ad fundamentum primæ sententię nego minorem, qui enim simpliciter interrogat, quid facere potest, non interrogat folùm sententiam cõsulti, alias neque rectè responderet cum opinione benigniori. Si ergo potest respondere cum opinione fauente aliena, etiam poterit cum opinione aliena non fauente.

DVBIVM XXXVII.

An in Materia Iustitia liceat Consilium dare iuxta opinionem minus probabilem.

Sit ca sus. Consultat aliquis; An ex tali actione, vel contractu teneatur restituere famam, pecuniam vel quid simile; & sunt duæ sententiæ Doctorum. Prima, & probabilior affirmat teneri facere compensationem, vel restitutionem. Secunda negat. Quærimus, an iuxta secundam sententiam minus probabilem possit respondere, quòd non tenetur.

Prima sententia est in materia iustitiæ compensationis, vel restitutionis, teneri consulentem cõsulere iuxta sententiam, quam probabiliorem putat, siue sit propria, siue aliena, & non posse sine iniuria partis consulere iuxta minus probabilem, quam tenet Valentia *tomo tertio, disp.* 5. *quæst.* 7. *puncto* 4. Pro quo est Argumentum. Doctor consultus in materia iustitię vel compensationis est iudex in foro interno, suo responso absoluens, vel ligans quodammodo. Sed iudex tenetur ferre sententiam iuxta probabiliorem opinionem, vt videbimus infra. ergo etiam consulens in materia iustitiæ.

Conclusio secunda sententia, & longè probabilior est, quòd etiam in materia Iustitiæ potest consultus dare consilium iuxta opinionem probabilem, etiam si sit minus probabilis, quam defendunt Vasquez *hic disput.* 63. *numero* 1. Thomas Sanchez *libro* 1. *decalogi. cap.* 9. *numero* 22. & Franciscus Lugo *in tractatu de conscientia, capite* 3. *num.* 56. Probatur primò. Consulens in materia iustitiæ potest sequi quamcumque opinionem probabilem, etiam minus tutam. Ergò qui dat consilium, potest dare iuxtà quamcumque opinionem probabilem, etiam in materia Iustitiæ. Antecedens ex supradictis constat, & cõsequentia probatur; nam vnicuique licet consulere alteri id quod ille alter potest licitè facere.

Secundò probatur, & confirmatur præcedens Argumentum. Munus consulti est supplere sciẽtiam, & notitiam, quam non habet consultans. Nam si consultans haberet exactam notitiam illius rei, quam consulit, frustra consuleret, sed quia ignorat supplet hoc scientia Doctoris consulti: atque adeò Doctor consultus gerit vicem scientiæ, quæ deficit consultanti, sed si consultãs haberet scientiam, posset licitè informari informando conscientiam suam opinioni probabili, & minus probabili, etiamsi esset in materia Iustitiæ, & tunc rectè procederet tam ex parte scientiæ, quam ex parte operationis. Ergò similiter rectè procedit consulens etiam in materia Iustitiæ iuxta opinionem minus probabilem. Patet consequentia, quia tunc rectè adimplet ministerium, quo fungitur nempe scientiæ dirigentis, operationem consultantis.

Tertio probatur diruendo fundamentum contrariæ sententiæ; nam hoc est discrimen inter Iudicem fori externi, vt est confesso, & consilium dans. Nam Iudex externi fori constituitur à Republica inter duas partes litigantès, vt secundùm id, quod magis conforme legibus, & magis æquũ reputat, sentẽtiã ferat. sed Iudex interni fori constituitur non inter partes, sed inter hominem, & Deum, vt Iudicium ferat medicinale, & componat hominem cum Deo, vnde si cum Deo componit hominẽ, rectè satisfacit propio muneri cõponit autem rectè hominem cum Deo, consulens illi opinionem probabilem, quia sequens illã rectè operatur. Ergò licèt Iudex fori externi teneatur proferre sententiam iuxta probabiliorem opinionem, non tamen Iudex fori interni.

Petes. *An expediat, quod Doctor consultus respondeat iuxta opinionem minus probabilem alienam vel semper iuxta propiã, vel probaliorẽ?*

Hucusque diximus quid possit Doctor consultus respondere interrogatus, modò, quia vt docet Paulus 1. ad corinthios 6. 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, videndum restat, quid expediat magis, seù deceat, quod consultus doctor faciat, an quod semper respondeat iuxta propriam sententiam, an quòd iuxta probabiliorem, vel quod iuxta quamcunque probabilem.

In hac re tot sunt Sententiæ, quot capita. Vasquez *hic disput.* 62. *num.* 47. dicit, quod melius est in præbendo consilium, semper sequi opinionem propiam, præsertim cùmquis consilium præbet in scriptis, ne varius deprehendatur sed hoc in conueniens faciliter potest euitari, si respondens verbo, vel scripto dicat: Hoc esse licitum, vel illicitum iuxta probabilem opinionem, licèt contrarium etiam possit sequi iuxta aliam probabilem, vel magis probabilem sententiam. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. & Salas *disput. sæpè citata de Conscientia, sect.* 6. *num* 69. docent, quod sæpè melius erit tacere, vel suam sententiam simpliciter explicare, vel remittere interrogantem ad Doctores contrariam sententiam habentes. Villalobos *tomo primo tract.* 1. *dubio* 12. *num.* 2. tenet saltem confessarium non solum debere, sed etiam teneri respondere iuxta opinionem fauẽtẽ confitenti interroganti.

Conclusio Licèt, regulariter loquendo, conuenientius sit iuxta sententiam probabiliorem, & propiam respondere, (vt in plurimum eam sequimur, quæ nobis probabilior apparet;) sed aliquando erit conuenientius respondere iuxta alienam etiam minus probabilem, attentis circumstantijs: onde hoc relinquendum est prudentiæ consulti, qui perspectis eis necessitati adaptauit consilium, seu resolutionem, interdum etiam exponendo vtramque esse licitam iuxta varias opiniones. Videatur Suares *hic tractatu* 3. *disput.* 12. *sectione* 6. *numero* 9. Salas *disputat. de conscientia, sect.* 6. *num* 69. Beccanus *prima secunde tractatu primo, capite* 4. *questione* 9. *num* 16. Thomas Sanchez *libro primo Decalogi, cap.* 9. *n.* 19 Diana *tractatu* 13. *resolutione* 14. §. *sed non in fine*. Et Franciscus Lugo *tractatu de conscientia cap.* 3. *nu.* 89. §. *certe nes*.

Probatur

Probatur, & explicatur conclusio. Et inprimis quod regulariter debeat Respondere iuxta probabiliorem sententiam ex eo apparet, quia consilians debet quantum materia patitur consilium magis sanum præberet: quod verè iuxta propiam sententiam, ex eo suadetur, quod consultus videtur ad litteraturam, & probitatem consulti attendere, & eius inquirere mentem, nisi aliud insinuat. Quod aliquando iuxta prudentiam debeat consulere iuxta opinionem fauentem, etiam minus probabilem, patet nam si prospicit fragilitatem interrogantis, & difficultatem adimplendi quod probabilior opinio dictat; tunc exponeret se periculo peccandi, & non adimplendi si significaret obligari iuxta illam ad restitutionem, verbi gratia, vel quid simile. Demùm si dubitat de dispositione eius, potest proponere licitũ esse, vel etiam illicitum, iuxta varias sententias, quod consulit facere, vel non facere, sed probabilius esse hoc, vel illud; tutius verò non sic operari. In quo etiam debet attendi capacitas interrogantis, plures enim non sunt capaces tantæ doctrinæ, & eligendi.

DVBIVM XXXVIII.

Quam opinionem debeat sequi Aduocatus in patrocinando.

CIrca causam, quam iustè, & rectè potest vel non potest patrocinari aduocatus, quædam sunt certa, de quibus nunc dicemus, quædam sublire, de quibus agemus sequentibus dubijs. *Est* tamen aduertendum, quod nomine Aduocati non solum intelligimus iurisperitum, sed & Procuratorem; vterque enim, saltem in Hispania patrocinatur causę. Agit autem de hac re Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 71.

Prima Conclusio. Aduocatus antequam patrocinium præstet, debet prudenter causæ merita perpendere, quòd si deprehenderit causam esse iniustam, non potest illi patrocinari, nec aliquo modo inducere partem ad prosequendam illam, seù in prosequtione fauere, aliàs peccat moraliter contra iustitiam, & tenetur restituere. Sed solùm potest quando causa est anceps, hoc est, in qua sunt diuersæ opiniones.

Probatur primò Auctoritate. Docent enim prædictam Conclusionem Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *& quæst.* 71. *art.* 3. Summistæ *verbo Aduocatus*. Sanctus Antoninus *Secunda parte, titulo primo* 19. *§.* 8. *post medium.* Soto *libro* 5. *de Iustitia, quæst.* 8. *art.* 3. *Conclus. prima.* Bannez *secunda secundæ, quæst* 71. *dubio* 3. *&* 4. *ex his, quos in prima parte disputat. Et ibi* Salon *art* 3. *controuersia* 2. *& ibidem* Aragon. Valentia *disp.* 5. *q.* 15. *puncto* D Vasquez *hic, disput* 64. *in cap.* 1. *§. cæterum*. Salas *dispu. vnica de conscientia, sect.* 11. *post initium.* Montesinos *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 206. Nauarrus *in summa, cap.* 25. *num.* 28. Antonius Perez *certamine* 10. *scholastico, dubio* 2. *cap.* 15. *num.* 67. Sayrus *libro primo, cap.* 11. *num.* 17. Toletus *libro* 5. *capite* 60. *Conclus.* 3. Rodriquez *in summa, parte prima, cap.* 2.

Probatur ratione. Nam qui gerit causam iniustam, & omnes, qui illum quoquomodo adiuuant, peccant iniustitiæ peccatum, vt ex se patet: ergo si Patronus quoquo modo illi fauet, peccat, & tenetur restituere; tenetur ergo admissum causæ patrocinium perpendere, an sit causa iniusta, nam ignorantia huius iniustitiæ non excusabit, cùm ipse id scire, & dirigere tenetur plusquam omnes alij. Addunt alij præcedenti Conclusione, quòd si causa est parum probabilis, vt rarò, vel numquam iudices in illam inclinent, non potest Aduocatus eius patrocinium suscipere, quia pro improbabili iudicatur. sic Bannez *secunda secundæ, quæst.* 71. *art.* 3. *dub.* 6. *Conclusione prima*. Salon *ibi, art* 3. *controuersia* 2. Salas *hic, tract.* 3. *disput. vnica, sect.* 11, *num.* 104. Sayrus *libro primo, capite* 11. *num.* 17. *&* 18. Thomas Sanchez *libro primo Decalogi, cap.* 9. *nu.* 54. & Antonius Perez *in certamine* 10. *Scholastico, dubio secundo, cap.* 15. *à num* 67.

Secunda conclusio. Si sub opinione est, an liceat, vel non liceat causam aliquam patrocinari, poterit Aduocatus sequi quam voluerit probabilem sententiam, hoc est, vel illam, quæ affirmat, patrocinando, vel illam, quæ negat abstinẽdo à Patrocinio. Sic Vasquez *hic, disput.* 64. *cap.* 1. *in principio*; & Lugo *in tract. de conscientia, cap.* 3 *num.* 71 Ratio est sępè recepta, quòd vbi sunt duę sententię probabiles practicæ potest quilibet in praxi quamcunque sequi. Tertia Conclusio. Qui recipit Patrocinium causæ dubiæ, præcipuè si est minus probabilis, debet esse paratus, vt quandocunque primùm cognouerit eius improbabilitatem, & iniustitiam, à prosequutione eius desistat, clientem sincerè monendo, ne vltra progrediatur. est S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 3. *ad* 2. Videantur Bannes *ibi dubio* 3. *&* 4. Salas *citata disput. de conscientia, num.* 108. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *numero* 18. & Probatur, quia alias esset paratus ad peccandum.

Quarta Conclusio. Patronus tenetur clienti aperire ius suæ causæ, præcipue si illa est minus probabilis aliàs si causam probabilem scienter dicit esse certam, & minus probabilem probabiliori, non solùm mentitur decipiendo eum, sed si aliàs non erat paratus causam prosequi, sed ex hoc prosequutus est, tenetur restituere damna vtrique sequuta. Videantur Syluester *verbo Aduocatus q.* 10. Vuasquez *hic, disput.* 64 *cap.* 1, Salas *disput. citata, sect.* 11. *in principio*. Nauarrus *in summa, cap.* 25 *num.* 28. Toletus *lib.* 5. *c.* 6. *num.* 2. Montesinos *disput.* 29. *num.* 207. Thomas Sanchez *lib* 1. *in Decalogum cap.* 9. *nu.* 51. Ioannes Sanchez, *quæst.* 44. *num.* 54. Palao *de Conscientia dubia. disput.* 2. *puncto* 11, *in fine*, Ratio est, quòd cum Aduocatus eligatur vt Consiliarius, & vt causæ iustitiam primò iudicet clienti, deindè defendat; si decipit, causa extitit omnium damnorum.

Petes *Quid facere valeat Aduocatus, quando Vtraque pars litis est æquè probabilis.*

Causæ, quas Aduocatur patrocinari potest, non sunt ęquales in probabilitate, sed quædam sunt improbabiles, aut tam minimam habent probabilitatem, vt probabiles in re non iudicentur, de quibus diximus, quædam sunt æquales, vel ferè æquales in probabilitate, de quibus agimus infra, & quædam se habent ita, vt vna sit minus probabilis, alia longè probabilior, de quibus infra dicemus; loquendo ergo nunc quando partium iura sunt ęquè probabilia.

Sit Conclusio. Quando ius vtriusquę partis est æquè probabile, licitum est Aduocato, quam voluerit patrocinari, siue sit pia, siue non, Et idẽ prorsus est, cum vtraque pars est dubia rigorosè, & negatiuè,

& negatiuè, itaut non magis appareat adhærendo vni; quam alteri.

Probatur primò Auctoritate, Tenent enim doctrinam conclus. huius S. Antoninus 2. *parte, titulo 1. cap. 19. §. 3. & 3. parte, titulo 6. cap. 2.* §. 14. *Summistę verbo Aduocatus*, Angelus *num.* 17. Syluester *quęst.* 10. *num.* 5. Tabiena *nu.* 13. Armilla *num.* 20. Soto *lib.* 5. *de Iustitia, quęst.* 8. *art.* 3. Bannes 2. 2. *q.* 71. *in prima parte Expositionis, dub.* 6. *Conclusione* 2. Nauarrus *in manuali, cap.* 25. *num.* 28. Vasquez *hic disp.* 64. *cap. primo* §. *Quare ego.* Salon 2. 2. *quęst.* 64. *art.* 3. *controuersia* 2. *ibi* Aragon Salas *tractatu* 8. *disput. vnica, sect.* 11. *in principio* Sayrus *in claui, libro* 1. *cap.* 11. *nu.* 17. Azor *tomo primo, lib.* 2. *cap.* 17 *quęst. vltima* Montesinos *hic disp.* 29. *quęst.* 5. *num.* 206. Toletus *lib.* 5. *cap.* 60. *num.* 2. Petrus de Ledesma *in summa, tomo.* 2. *tract.* 8. *cap.* 26 *post conclusionem sextam dub.* 1. Rodriquez *tomo* 1. *summæ, cap.* 2. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 9 *num.* 52. Castro Palao *tract. primo, disput.* 2. *num.* 11. Thomas Sanchez *libro primo Decalogi, cap.* 9. *num.* 51.

Secundò probatur ratione Magistri Bannez ex Communi omnium consensu Nam tales causę reputantur ab omnibus propria materia litis: & in eis omnes cōfugiunt ad iudicem tamquam ad iustum animatum, vt constituat medium inter actorem, & Reum in huiusmodi causis. Tertiò, in hoc casu Actor licitè agit contra Reum; ergo Patronus, seu Aduocatus, & quilibet alius licite agit contra Reum, Antecedens probatur, quia in casu dubio, seu ęquali vnusquisque potest, & debet sibi magis consulere, & prospicere, quàm alteri, maximè per media proportionata, quale est patronem sapientem, & Procuratorem peritum eligere. Et consequentia probatur. Nam si Actor licitè agit; Patronus, & quilibet alius licitè eum adiuuat patrocinando, & quocunque alio iusto medio.

Opposita prima sententia est, si Ius vtriusque partis est ęquè probabile, non posse Aduocatum fauere Actori (nisi sit causa pia, seu fauorabilis) potest tamen liberè fauere Reo vel omnino desistere à tali causa. sententiam hanc tenent Syluester *verbo Aduocatus, quęst.* 13. *num.* 7. *in fine.* Vbi licèt loquatur in causa dubia, per eam tamen intelligit, cùm non certò constet de Iustitia, vel Iniustitia alicuius partis. Et licet determinet principaliter non posse simul vtramque partem defendere; dicit tamen tunc illum debere desistere, ab vtraque, vel solùm posse defendere reum, non actorem, nisi sit causa matrimonij, testamenti, dotis, libertatis, vel quælibet pia, vt Ecclesiæ, vel Religionis cuiusque. Eidem sententiæ adhæret Valentia *tomo.* 3. *disput.* 14. *puncto* 4. *quæst.* 1. dicens, quòd licèt stando in iure naturæ possit vtramque partem defendere, sed nō stando in iure humano propter aliqua, quæ statim adducemus.

Probat Syluester suam sententiam diuersis iuribus. Pręcipuum est, *cap. cùm sint, de regulis iuris in sexto*, vbi decernitur, quòd cùm ius est dubium, fauendum est Reo, nisi causa sit pia. Dices: loquitur ibi de iudice, non de Aduocato. In primis, hoc incertum est, cùm absolutè loquatur, sed hoc dato ex eo, non leue desumitur Argumentum. Nemini licet petere, & persuadere id, quod alter facere non potest licitè; sed cùm causa est dubia, vel æqualis, iudex non potest ferre sententiā pro Actore, sed debet ferre pro Reo: ergo non licet patrono persuadere, vt pro Actore in tali causa ferat sententiam.

Ad fundamentum huius primę oppositę sententiæ dico, quòd ius in eo assumptum, & alia similia, vel solùm loquuntur cum iudice prescribendo cui debet rem adiudicare, vel si cum alijs etiam loquebantur consuetudine contraria abrogata sunt. Ad rationem verò, dico, quòd Aduocatus directè non intendit, nec suadet, quòd iudex, det sententiam quam non debet, sed sui muneris est partis iustitiam aperire, & iudici tamquā animato iuri relinquere, vt iustam det sententiā. in quo si absque fraude procedat, nil facit contra iustitiam, vel charitatem.

Secunda sententia opposita est, Aduocatum numquam posse fauere habenti ius probabile cōtra ius certum possessionis: si verò neutra pars possideat, & vtraque sit ęquè probabilis, fauere potest cuilibet, vt partem accipiat rei dubiæ, nō totam. Refert sententiam hanc auctore non nominato, Franciscus de Lugo *in tractatu de conscientia cap.* 2. *num.* 72. *in fine.*

Fundamentum videtur esse primò, quando constat certò de iure alicuius partis, non licet cōtra ius certum agere ex quacunque opinione ergo cum constat de iure possessionis vnius partis certò, non licet illam impugnare. Deinde quando res est æqualiter dubia, vel probabilis pro vtraque parte, ęquale ius habent vtraque pars, ergo tunc licet patrocinari alteram, vt partē rei recipiat, non verò vt totam, aliàs iniuriam patitur alia, quę cum æquali iure spoliatur.

Secundò; in dubijs melior est Conditio possidentis & iudex in eo casu tenetur ferre sententiā in fauorem possidentis, ergo actor, qui contra iustitiam conatur deturbare possessorem à sua possessione, & Aduocatus, omnesque qui illi fauent, peccant contra iustitiam, & tenentur restituere damna. Consequentia uidetur bona, & Antecedens probatur ex iure *in regula* 65. *de regulis iuris in* 6.

Ad primum fundamentum huius secundæ oppositæ sententiæ dico, quòd cùm certè constat de iure contrarię partis, non licet sine iniuria tale ius impugnare, sed non semper quòd constat de possessione contrariæ partis, constat, de iurę quo possidet, & cùm res est anceps, & dubia sub opinionibus fluctuans, licet cuilibet sine fraude suum ius ostendere iudici.

Ad secundum Respondetur primò, quòd cùm dicitur; *in dubijs melior est conditio possidentis.* Sermo est, non de quolibet dubio, sed de dubio rigoroso, & negatiuo, excludente scilicet assensum certum, vel probabilem, & vnam partem: nunc verò loquimur de dubio latè sumpto, & opposito omnimodę certitudini, quale est illud, quod admittit Opiniones. Secundò Resp. quòd est melior conditio possidentis quantum ad sententiam iudicis, qui considerata causa, si adhuc manet in æquilibrio debet pronuntiare pro possidente; sed hoc non tollit, quin actor eius, Procurator, & Aduocatus proponant suas rationes iudici vt ipse prouideat, de iustitia.



DVB. XXXIX.

DVBIVM XXXIX.

Quid liceat facere Aduocato, cùm vna pars litigantium est probabilior, alia minus probabilis;

PRima sententia distinguit: vel enim loquimur de causis magni momenti, vt sunt in quibus reus periclitatur vita, forma possessio omniū bonorum, vel magnus status, seu maioratus; vel de causis minoris momenti. Et loquēdo de prioribus dicit, non licere aduocato tueri partem actoris minus probabilem; licite verò loquendo de causis minoris momenti. ita Soto *lib. 5. de iustitia q. 8. art. 8. post secundam conclusionem.* Bannez 2.2. *q. 71. in prima parte expositionis eius, bub. 6. conclusione 3. & 5.* Salon. 2. 2. *q. 71. art. 3. controuersi* 2. Aragon *ibi*. Martinez *hic, dubio 6. conclus. 3.* Petrus de Ledesma *in secunda parte summæ. tract.* 8. 1. 26. *post conclus. 6. dub.* 1, Toletus *lib. 6. cap. 60.* 2. Manuel *tomo 1 summæ, cap. 2. n. 1.* & Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi c. 9. num 2.* Burgos de Paz *in proæmio Legum Tauri, num.* 421. Mercado *lib. 6 de contractibus cap.* 8. ex quibus Bannez, Salon, Petrus de Ledesma, Martinez, & Sanchez existimant, patrocinantem partem minus probabilem in causis magni momenti solùm peccare contra Charitatem, non contra iustitiam, & sic non teneri ad restitutionem aliquam: reliqui autem videntur ponere iustitiæ peccatum: sed Aduerte cum Martinez, quòd etiam in causis magni momenti permitterent hi Auctores patrociniū Actoris; quātùm ad hoc, quod peteret satisfactionem damni accepti, non condemnationem Mortis &c. quia licèt hoc sit circa res magni momenti, non tamen est res magni momenti.

Primum Argumentum est, quo vtitur *Soto*: Iniquitas, & iniustitia est iudicem in ea inclinare partem, contra quam tenetur sententiam ferre; sed hoc præstat patrocinium causæ minus probabilis suscipiens, sicut & ipse actor eiusdem partis: ergo peccant contra charitatem, ac contra iustitiam. Maior ex eo probatur, quia suadens, & inclinans aliquem ad aliquod peccatum eodem genere peccati peccat, quo suasus, secundùm illud ad Romanos 1. 32. *qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm, qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus*. Minor verò probatur, nam actor intendit condemnationem rei, & Aduocatus adiuuat intentum actoris suadens iudici sententiam in fauorem actoris, & contra Reum.

Secundum Argumentum, quo vtitur Bannez proximo existenti in grauissima, seu extrema necessitate, omnes tenentur, in quantum possunt succurrere, & adiuuare, sed cum periclitatur vita, fama, seu omnis substantia proximi, ille est in grauissima, seu extrema necessitate: ergo omnes tenentur illi auxilium præstare, contra quod facit Actor, & eius patronus non solùm non succurrentes, sed potiùs inducentes in talem necessitatem, præcipuè cum iustitię ratio potius assistat Reo, quam actori, vt supponimus.

Tertio Argumentum. Aduocatus ex Charitate tenetur patrocinium prestare proximo existenti in grauissima, & extrema necessitate, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. *q. 71. a. 3.* & ibi cura, & omnes Theologi. ergo si iste Aduocatus non præstat, imo inducit eum in maiorem necessitatem, peccat contra charitatem.

Quartum Argumentum. Nam si cùm ius est dubium, fauendum est Reo, vt præcipitur in capite, *cùm sunt de regulis iuris in 6.* & si cùm potest causa, melior est conditio possidentis, vt patet *ex regula iuris 65. in 6.* quanto magis cum iustitia non est æqualiter dubia, sed magis probabilis ex parte rei, qui etiam est possessor. Vnde iura declarare obligatione saltem ex charitate.

Secunda sententia est, quod licitum est aduocato patrocinari causæ minus probabili, dum verè sit probabili, & admissa, etiam in rebus magni momenti ciuilibus, & criminalibus, vt in causa priuationis magni maioratus, seu omnium bonorum, in causa sanguinis, & infamię; sententiam hanc tuentur Vasquez *hic disp. 81. cap. 1. § Quare ego* Antonius Perez *certamine* 10. *scholastico, dub. 2. cap. 15. à num. 67.* Salas *in disp. de conscientia. sect. 11. num.* 104. Montesinos *hic disp. 29. num.* 208. Azor *tomo 1. lib. 2. cap. 17. quæst.* Sayrus *in claui, lib. 2. cap. 11. num.* 17. Lessius *lib. 2. cap. 31. dubio 9. num.* 52. Castro Palao, *tractatu primo, disp. 2. punct. 11. num.* 5. Tho. Sanchez *lib. 1. Decalogi. cap. 9. num.* 53. Ioannes Sanchez *disp.* 8. 8. *num.* 54. Layman *libro primo, tractatu primo capite 5. num.* 17. & Villalobos *lib. primo, tractatu 1. difficultate 14. num* 5.

Primum Argumentum desumitur ex iure, nam in *Lege, rem non nouam, ff. Patroni, C. de iudicijs,* sancitur ab Aduocato deserendam esse causam desperatam, non dubiam. Videatur circa hoc *lex. 6. Castellæ, titulo 13. partita 9.* fauet ius Canonicum concedens inter dubias opiniones vnā eligere, *cap. Capellanus de ferijs, cap. si Virgo. 28. quæst. 2.*

Secundum Argumentum. Actor licitè procedit contra reum in causa probabili; etiamsi sit minus probabilis, quam causa rei. ergo etiam Patronus, seu Aduocatus, & Procurator. Antecedens probatur primò, nam id, quod probabile vnusquisque meritò censet, licitum est proponere iudici, vt sua sententia determinet. Secundò, quia vnicuique licet sequi sententiam probabilem sibi fauentem, quia non agit imprudenter informatus probabili sententia. Consequentia verò probatur, nam ad rem licitam cuilibet licet alium ad iuuare ex eo, quod licitè potest quis per alium facere id, quod per seipsum licitè potest, vt habet regula 68. *de regulis iuris in 6.*

Tertium Argumentum. Iudices aliquando pronunciant in fauorem causę quæ videbatur minus probabilis, vel quia sequuntur sententiam asserentem licitè posse sententiam ferre pro quacunque parte probabili, vel quia illis hęc pars, quę videbatur Aduocato minus probabilis, est probabilior, & sententia propria, vel quia in decursu litis, ea quæ in principio videbatur minus probabilis, adiuuentis nouis scripturis, & testibus, aut aliqua contrariæ partis confessione, ac visis, & ponderatis alijs iuris Capitulis, est effecta probabilior. ergo prudenter Patronus suscipit causam probabilem, etiamsi illi minus probabilis appareat, & imprudenter prætermitteret illam.

Confirmatur, quia hoc est discrimen inter patronum, & iudicem, quod iudex est medius inter partes, & libratis causæ meritis, debet iustitiæ auctoritatem interponere in fauorem illius partis, cui ius magis fauet, iuxta allegata, & probata. Patronus verò solùm partem clientis eius, iustitiā probabilem repræsentans, & iura in fauorem eius

alligans, doctrinasque & Auctoritates Doctorum. ergo etiamsi iudex teneatur inclinare in partem, cui magis fauet ius, quia probabilior, non inde sequitur, quòd Aduocatus teneatur in illam propendere, nec possit minus probabile ferre suffragium.

Quartò probatur idem ex communi omnium vsu: videmus enim, quòd in omnibus tribunalibus Ecclesiasticis, & Secularibus Italiæ, Hispaniæ &c. patroni suscipiunt causas probabiles contra probabiliores; non autem esse disciplinati ingenij omnes Aduocatos, & eorum Confessores condênare. Confirmatur, quia propria materia Aduocatorum, & litium est causa dubia, eo quòd sunt circa eam diuersæ opiniones, respectu eiusdem ingenij sunt æquè probabiles, sequeretur, quod rarò, vel numquã esset materia litis licita, tã respectu, clientium quàm Aduocati, & sic, quòd regulariter non esset materia licita litis pro vna parte; & quòd ex omnibus litigantibus vna pars illicitè litigaret, quæ videntur portenta, & absurda.

Quintum Argumentum. Distinctio illa contrariæ sententiæ rerum maioris, vel minoris momenti, & item vitæ, honoris, vel bonorum fortunæ omnium, vel aliquorum, conducit quidem ad hoc, quòd maius peccatum sit iniustè priuare illis, quam minoribus, non verò ad hoc, quod fiat licitè, vel illicitè, sicut quod iniustè auferas vitam, membrum, honorem, omnia bona, vel decem drachmas, conducit quidem ad hoc, quòd magis, vel minus peccet, & ad hoc, quòd sit diuersa ratio peccati, sed non ad hoc, quòd si in vna materia procedis iustè iuxta opinionem minus probabilẽ in alia iuxta eandem opinionem procedas iniustè, vel è contra, ergo, vel in omni materia erit iniquum patrocinari in fauorem sententiæ minus probabilis, vel in nulla.

Conclusio. licèt vtraque sententia propter eius Patronos, & fundamenta sit probabilis tam prima intellecta iuxta primum modũ de obligatione Iustitiæ, vel etiam iuxta secundum modum de obligatione ex Charitate, quàm secunda omnem obligationem negans; tamen sicut prima est magis pia, & valdè consulenda, sicut secunda in rigore Theologico videtur mihi magis probabilis. Verũmque patet ex fundamentis adductis.

Ad fundamentum sententiæ primæ, vt militat contra probabilitatem secundæ est satisfaciendũ. Ad primum Argumentum eius distinguo illam maiorem; *iniquitas, & iniustitia est, Iudicem in eam inclinare partem, contra quam tenetur sententiam ferre.* Si enim inclinet suadendo, vel quocunque modo efficiendo, vt id præstet contra propriam Conscientiam, concedo; si autem id solùm præstet ostendendo merita suæ partis, & allegando in fauorem eius absque dolo, & fraude, nego: aliàs tota forma iudiciaria tolleretur, & sic procedit patrocinans opinionem minus probabilem. Secundò illi, qui censent iudicem posse sententiã ferre iuxta quamcunque opinionem, etiam minus probabilem, concessa maiori, negabant minorem Argumenti, eo quod in casu, de quo disputamus, non iudicem, vt sententiam ferat contra partem, in cuius fauorem tenebatur illam proferre, quia liber erat Iudex, vt posset sententiam fere in fauorem cuiusque partis probabilis.

Ad secundũ Argumentum distinguo etiam maiorem illam *Proximo existenti in grauissima, seu extrema necessitate omnes tenentur in quantum possunt adiuuare*, si in illa grauem seu extremam necessitatem inducatur iustè, & iuridicè ab habente auctoritatem, vt à iudice iuxta merita causæ, nego maiorem, aliàs si aliquis ob sua demerita condemnetur ad mortem, omnes tenentur adiuuare, vt ab illa liberetur, & si condemnaretur, vt intereat fame, custodes, & omnes tenerentur illi prouidere cibos, & si condemnetur ad priuationem omnium bonorum, tenerentur omnes restituere illa bona, quæ sunt minus consentanea. si autem aliàs incidat in illam necessitatem, tenebuntur pro sua possibilitate illi succurrere, & sic si ex iusta sententia spoliatus est omnibus bonis, patitur extremam necessitatem, actor Aduocatus, & alij, qui operam dederunt sententiæ, non magis tenebuntur illi succurrere, quàm omnes alij homines, qua supposita tali extrema necessitate, quando adiutorium non est contra iustitiam sententiæ omnes homines æqualiter tenentur ex charitate, illi subuenire verum est, quòd ex quo maior probabilitas assistebat reo magis pium videtur non agere contra illum.

Ad tertium Argumentum dico, quod reo existente in extrema necessitate tenetur Patronus ex charitate assistere, si non adsit alius, qui assistat, & tunc non poterit agere patrocinium contra illũ, sed vbi sunt plures patroni, vt regulariter sunt, aliquis assistit reo, poterit alius, qui reo non tenetur assistere, eo quòd non indiget alio patrono, assistere actori habenti causam minus probabilem.

Ad quartum Argumentum dico primò, quòd illa iura solum loquuntur cum iudice causæ, cui informant modum ferendi sententiam non cum Aduocato. Secundò dico, quòd illa procedunt de dubio rigorosè cum scilicet est negatiuum excludens probabilitatem assensus non de probabili, tunc enim potest sequi actor, & aduocatus sententiam, quam maluerint, cum sit dubium probabile.

Ad fundamenta secundæ sententiæ vt aduersantur probabilitati primæ restat satisfacere. Ad primum dico, quòd in ea lege decernitur, Aduocatum debere desistere à desperata causa, sed ex hoc, quòd non decidit, desistendum esse à minus probabili, non licet colligere approbasse eius defensionem, eo quòd Argumentum petitum ex hoc quòd non prohibet, nullius momenti est, maximè cùm sit sufficiens causa, cur non prohibuerit patrocinium causæ minus probabilis, nempè quia difficilè reducitur ad forum exterius, quæ opinio existimata sit à Patrono magis, vel minus probabilis. *cap.* autem *Capellanus*, concedit inter dubias sententias vnam eligere, ne scilicet mens vaga maneat, supponens vnumquemque eam debere eligere quę ei probabilior apparuerit. Deinde loquitur de electione ad sequendum, & operandum, non ad procedendum contra proximum, maximè in causa grauissimæ necessitatis, quando illi assistit maior probabilitas.

Ad secundum nego Antecedens, ad primam eius probationem dico, quòd licèt absolutè liceat vnicuique proponere iudici id, quod probabile censet, non tamen ad hoc, vt faciat contra alium, cui probabilior ratio iuris assistit, hoc enim in rebus multi momenti, non solum videtur esse contra Charitatem, sed etiam contra iustitiam; est enim procurare, vt pars vincens in iustitia vincatur in sententia. Ad secundam probationem dico, quòd licèt prudenter procedat quis sequens rationem probabilem, & licitè

licitè quantum ad actiones proprias, sed nô quantum ad impugnandam proximum, & deturbandum à sua possessione, quando illi assistit probabilior sententia, & ratio, ideò enim diximus supra dub. quod non semper licet sequi opinionem minus probabilem, quando ex ea sequitur aliquid contra Iustitiam, vel Charitatem,

Ad tertium nego consequentiam, nam ex hoc, quòd iudex, vel alius quispiam probabile iudicet, quod ego iudico minus probabile seu quocunque ex capite mihi non licere, non possum licitè illud facere, nisi sententiam, vel conscientiam immutem. deinde ex eo, quòd decursu temporis fortè erit licitum, quod modò licitum non apparet, non possum de præsenti illi operam dare quousque, veniat tempus, in quo ex maiori probabilitate vndecumque comparata, fiat magis probabile, & sic licitum.

Ad quartum nego Antecedens, immò regulariter in tribunalibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus litigantes tam actores, quàm Patroni existimant suę partis causam esse probabiliorem. Et hęc est deceptio, & causa innumerabilium litium, & malorum, quod facilè sibi persuadent, tam actores, quàm eorum Patroni, suam causam esse vel certam, vel probabiliorem, quod si semel demus, etiam minus probabiles iure defendi, quis erit finis litium, & malorum? sicut enim modò probabiliores videntur certę; & probabiles probabiliores, sic deinceps etiam improbabiles apparebunt saltem minus probabiles, & sic litigabiles.

Ad Confirmationem, ad misso discrimine inter Iudicem & Patronum adhuc negamus Patronum & actorem licite posse insurgere in reum seu possessorem, cui adest probabilium ratio iuris, quia inquietare pacificè possidentem cum maiori Iustitię assistentia, & probabiliori, obligare quę ad litis molestias discrimina ex aliqua negligentia, & expensas, non solùm videtur esse contra charitatem, sed etiam contra Iustitiam.

Ad quintum dico; quòd licèt distinctio maioris, vel minoris damni ex se non faciat peccatum, vel licitum, sed maius peccatum, generalitèr loquendo, benè tamen in aliquibus casibus. Et primò conducit ad hoc, quod homo constituatur in extrema, & maxima necessitate, cui subuenire ex charitate teneamur sub peccato, cùm extra talem statum, non esset vlla obligatio. Deinde vt etiam saluemus obligationem iustitię, illa extrema, vel maxima necessitas tantorum damnorũ fuit causa, quòd iura statuerent standum esse pro reo, & possessore: & ideò consuetudine prescriptum est quòd in rebus maioris momenti abrogātur illæ leges, & posset agi contra reos possidentes in pari causa, vel etiam in causa, in qua sunt probabiles opiniones, etiam si opinio actoris sit minus probabilis, quod nefas esset extendere ad grauissimas causas vitæ, & honoris, & priuationis omnium bonorum, & adminus esset contra charitatem Rei tam multipliciter affecti. ex quo intelligi poterit discrimen illud maioris, & minoris momenti causæ, tam intelligibile Gab. Vasquez. ex dictis sequitur, quod Aduocatus potest patrocinari causam probabiliorē, vel etiam minus probabilē contra propriā sententiā. Primò quia, potest vnusquisque, non obstante propria sententia, operari iuxta alienam, maximè si sit probabilior, vt latè ostendimus in superioribus dubijs. Secundò, quia patrocinari non est aperire propriam mentem, vel conscientiam, sed fundamenta clientis elucidare, & proponere iudici.

DVBIVM XXXX.

Quam Opinionem debeat sequi Iudex

SI omnia, quæ ad iudicem pertinent, dum incipit procedere contra Reum, cum comprehendit, maximè in alieno territorio, vel intra Ecclesiam, dum eum interrogat, examinat testes, & similia facit; deberemus nunc pro dignitate tractare, non dubium, sed materiam integram teneremus. Relictis ergo difficultatibus huiusmodi suis locis, & præcipuè ad tractatum de vitijs oppositis commutatiuæ Iustitię circa iudicium, vt est Iniustitia iudicis, Accusatoris, Rei, testis, & Aduocati, de quibus agit Sanctus Thomas 2.2. *à quest. 67. & deinceps.* in præsenti iuxta subiectam materiam solùm disputabimus, an Iudex possit ferre sententiam iuxta quamcunque opinionem probabilem, sed cum opiniones possint esse, vel circa Iurisdictionem Iudicis, vel circa causam, & Ius causæ, vt hoc de Iurisdictione decidamus, sit.

Conclusio. Quando opiniones sunt circa Iurisdictionem an scilicet possit, vel non possit iudicare, potest sequi iudex quam voluerit opinionem verè probabilem, quia cum vtraque pars sit probabilis, licitum illi erit, vel suum ius probabile sustentare, vel cedere illi: neque inconueniens est, regulariter loquendo, quòd in hac materia, sicut in alijs sequatur probabilem opinionem. sic Vasquez *hic disput. 64. cap. 2. in principio*, & Corneio *tractatu* 8 *disput* 2. *dubio* 6. §. *circa materiam* Sayrus *in claui, libro primo, capite* 11. *num.* 8. Ioannes Sanchez *disputatatione* 48. *num* 52. *&* 53. Thomas Sanchez *libro primo Decalogi cap. 9. num.* 43. Diana *parte* 2. *tract.* 13. *resolutione* 3.

Et hæc conclusio vltra rationem dictam potest probari omnibus Argumentis, quibus supra ostēdimus, quòd quando opiniones sunt circa Ius, vt nunc, licitum est sequi quamcunque probabilem, etiam relicta probabiliori, nisi euidens sequatur inconueniens, vel scandalum.

Veniamus modò ad opinionem, quam debet sequi Iudex in iudicando, sed vt maiori procedamus claritate, circa duo potest Iudex ferre sententiam, & possunt opiniones versari. Primum est circa factum, vt an probatum sit, hunc hominem commisisse hoc crimen, vel solùm semiprobatum? An probatum sit hanc possessionem esse vinculatam vel non? An probata sit possideri ab isto, vel ab illo? secundum, circa quod fertur sententia, & possunt versari opiniones, vel circa ius, vt supposito, quòd quis sit probatus, vel semiprobatus reus talis criminis, qua pœna possit, vel non possit condemnari, supposito, quòd hæc possessio est probata, contineri sub vinculo, cui est addiudicanda? supposito, quòd hæc domus est probata, possideri potius ab vno, quam ab alio, cui per sententiam adiudicanda est? de qua re videantur Martinez *prima secundæ quæst.* 19. *art. 6. dub. 6. conclusione* 2. *&* §. *Quanta ergo* Palaus *de conscientia opinante, disput.* 2. *puncto* 10. *num.* 1. Ouiedo *tract.* 5. *controuersia* 3. *num.* 96. & in vtroque ex his potest considerari duplex status, vnus in quo sunt opiniones inæquales, idest, vna alia probabilior: alter, in

quo sunt opiniones æquales, idest, vna non est altera probabilior notabiliter; & de his omnibus dicemus sequentibus dubijs.

Petes. *Quam sententiam debeat iudex sequi, quando iura partium sunt inæqualiter probata.*

Ante sententiam finalem causæ debet præcedere probatio, quia iudex non procedit sine iuridica causæ cognitione, si ergo sit in criminalibus, debet delictum prius constare, deinde aliquem probari delinquentem, vel plena probatione, & indubitabili, vel minori: Et circa hoc debet ferre iudicium iudex, declarareque esse conuictum, vel semi probatum, vel suspectum, & deinde si opus est, iuxta leges pœnam taxare. Similiter in ciuilibus, qui litigant possessionem, vel maioratum, primò probant testibus, & scripturis ius suum; & de hac probatione iudex iudicat, quæ sit maior & plenior, quæ minor: & postea iuxta leges adiudicat illi, cui debetur possessio, vel dominium rei. Loquimur ergo nunc de iudicio iudicis circa has probationes, & merita causæ, inquirendo, an probabiliter vni parti faueant, sed pleniùs, & probabiliùs alteri cui parti deberet iudex adhibere assensum illi, quæ reuera probat, & conuincit duobus, vel tribus testibus, aut instrumentis, an illi, quæ idem probabilius probat decem testibus, & pluribus instrumentis; seù æquali numero testium, & instrumentorum, sed in qualitate excedunt testes, & instrumenta contrariæ partis, & postea dicemus quam sententiam probabilem debeat sequi, cum omnino sunt probabiliores æquales. Possunt enim circa hæc omnia versari variæ sententiæ, & apud aliquos maioris ponderis est testium depositio, quàm scripturæ, vel e contra.

Posset aliquis Opinari iudicem licitè posse ferre iudicium circa quamcunque partem probabilem, omissa probabiliori, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus. v. g. si quis probat sufficiēti probatione, se possidere agrum, & alius maiori probatione id conuincit siquidem vtraque probatio est probabilis, & probabile iudicium potest inferre, licitum videri iudicem posse iudicare hanc partem probasse possessionem, etiam si contraria maiori, & probabiliori probatione idem probauerit. Videntur huic sententiæ subscribere, plures Auctores, qui censent non minus iudicem, quam reliquos homines priuatos, relicta probabiliori sententia, posse licitè minus probabilem sequi, quos & eorum Argumenta referemus inferius.

Fundamētum sententiæ huius est, quòd vnusquisque, etiam in rebus, quæ cōcernunt peccatū mortale, potest sequi quamcunque opinionem probabilem, dum non est euidentia, etiam relicta multo probabiliori, quia vbi deficit euidentia sufficit probabiliter operari, nec tenemur operari modo probabiliori possibili, vt *supra* ostendimus. Cum ergo probabile sit, domum, vel pallium esse illius, qui legittima probatione probat suum esse, licèt probabilius sit esse alterius, qui idem probat maiori probatione, poterit iudex iudicare esse illius, qui minus probabilem affert probationem, sed tamen verè probabilem, etiam si alter affert probationem probabiliorem, quia sufficit illi sequi opinionem probabilem; sit tamen.

Conclusio, Iudex quicunque, siuè in criminalibus, siuè in Ciuilibus, tenetur proferre iudicium, & sententiam in fauorem illius sententiæ, quæ maiorem inducit probationem, seù quæ melioribus, maioribus, & efficacioribus vtitur probationibus, siuè testium, siuè instrumentorum, atque adeò si circa hęc sunt diuersæ opiniones, tenetur sequi probabiliorem, & si non facit, peccat contra iustitiam, & tenetur ex consequenti restituere. Conclusionem hanc in primis tenet à fortiori Soto, & omnes illi quos infrà citabo, asserentes semper iudicem debere iudicare iuxta sententiam probabiliorem; sed etiam circa ius possit sequi sententia minùs probabilis, circa factum debere semper teneri, & sequi probabiliorem, docent in primis Medina *prima secunda, q. 19. art. 1. q. 6.* ex his quas ipse disputat *in solutione ad vltimum*, vbi dicit oppositum non esse probabile. Immò Vasquez *disput. 4. cap. 2. nu. 6.* postquam quandam suam opinionem parum probabilem protulit ad certa rediens ait. Iudex probabiliorem opinionem in iudicando sequatur præmisso sufficienti examine probationem &c. Aragon 2. 2. *q. 63. art. 4. §. ad iustitiam* Petrus de Ledesma, *tomo 2. tract. 8. cap. 22. post conclusionem 11.* Aluarez *hic, disput 80. num. 11.* Sayrus *in claui lib. 1. cap. 11. n. 8.* Diana *parte prima, tract. 13. resol. 3.* Filliucius *tract. 21. cap. 5. num. 145.* Bonacina *tomo 2. disput. 2. de peccat q. 4. puncto 9. proposit. vnica, num. 14.* Ioannes Sanchez *in selectis, q. 44. num 51.* Villalobos *tomo primo, tract. 1 difficultate 15. num. 3.* Palao *tomo primo, tract. primo, disput. 2. punc. 10. num. 2.* Martinez *prima secunda, quæst. 19. art. 6. dub. 6. concl. & §. Quarta ergo.* Ouiedo *tract. 5. controu. 3. num. 93.*

Et ratione probatur primò Iudex attendere tenetur merita causæ, & de illis ferre iudicium secundùm allegata, & probata. Igitur illam partem debet meliùs declarare, seù efficaciùs probare, quæ meliùs, & efficacius probauit, aliàs nō iudicat iuxta merita causæ.

Secundò probatur. nam licèt licitum sit cuilibet, sequi quamcunque opinionem verè probabilem practicè absolutè, non verò quando sequitur ex hoc aliquid contra honorem Dei, charitatem, vel iustitiam proximi, vt ostendimus suprà; sed cum iudex non attendit ad maiorem probabilitatem causæ, & opinionum in iudicando aliquid, agit non solùm contrà Charitatem, sed etiā contra iustitiam proximi, quia partem superantem aliā, siuè in probationibus, siuè in probabilitate deserit & anteponit illi partem inferiorem, quod expressè inordinationem habet.

DVBIVM XXXXI.

An quando circa Ius ipsum sunt opiniones probabiles inæquales, possit iudex minus probabilem alienam sequi.

PRima sententia absolutè affirmat circa Ius, seù intelligentiam eius, ex diuersis sententijs posse iudicē quemcumque sequi quamcūque opinionē etiam alienā, & minus probabilē, tàm in ciuilibus, quam in criminalibus, relicta propria, & probabiliori, Tenent sententiam hanc Medina *hic, q 19. art. 6. q. ex his* quas ipse disputat, *sexta.* Petrus de Ledesma *in sūma, tomo 2 tract. 8. cap. 22. post conclusionem 11. dub. 2.* Villalobos *tomo primo, tractatu primo, difficultate 15. num. 1.* Hyeronymus della Rua, *tomo 2. controuers. 6. Scholastica, dubio 6. §. dubitant 2.* & demum Ouiedo *tractatu 5. controuers. 3. nu. 105.*

Probatur

Probatur primò; nam si opinio aliqua est probabilis practicè, sequitur, quòd, praticè potest sequi à iudice; vel ergo practicè non est probabilis, vel praticè potest sequi, quia illa opinio est practicè probabilis, quàm vnusquisque sequi potest in practica.

Secundò probatur. Nam si iudex petat consilium ab Assessore, vel a quolibet alio docto viro, potest illi respondere iuxta probabilem opinionē. Immò si aliquis alius extra litem peteret de eadem re consilium ab ipso iudice, posset iudex cōsilium dare, iuxta quamlibet probabilem opinionem. Mirabile ergo videtur, quòd idipsum consilium ipse sibi sumere non posśit. Confirmatur, quia, reliqui homines operantes etiam circa materias peccati mortalis, possunt sequi quas volunt probabiles opiniones. Cur ergo iudex in iudicando idem non poterit facere? Tertiò. In materia restitutionis, & in alijs materiis, potest quis sequi opinionem probabilem, quæ non sine damno illius, qui restituit, & illius, cui non restituitur, potest ad praxim reduci; sic ergo in hac materia fieri potest.

Secunda sententia per oppositum docet, non posse iudicem aliquem etiam circa ius ipsum, & varias eius intelligentias sequi sententiam minùs probabilem, relicta probabiliori absolutè, siuè sit propria, siuè extranea, sed semper teneri iudicium ferre iuxta sententiam probabiliorem. Et intelligitur quandò vna sententia est notabiliter alia probabilior, nam si parua est differentia, pro æqualibus reputantur, nam in moralibus non exigitur mathematica mensura. sententiam hanc tenent Soto *lib.* 3. *de Iustitia, q.* 6, *art.* 5. *ad* 4. Bānes 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dub. primo*; *& multi alij.*

Probatur primò ratione Magistri Soto. Hoc est discrimen inter iudicem ferentem sententiam, quę subditum liget, & personam particularem operantem in suis negotijs, quòd cum iudex positus sit tamquam lex, æquibus viua inter actorē, & reum, vt ex iustitia reddat æquale, in eam partem debet propendere, quando iudicium non est euidens, in quam propendit lex, & æquitas: sed persona particularis cùm non sit constituta inter duos, vt ex iustitia inter duos declaret, nulli facit iniuriam si sibi eligat commodiora, si probabilia sunt. Sed si iudex ferat sententiam iuxta opinionem minus probabilem, non reddit æquale, & iniuriam facit vni parti: ergò iudex non potest sequi opinionem minùs probabilem, etiā si posśit illam sequi in suis negotijs persona vt particularis. Maior satis constat ex sepisa: minor verò probatur primò, Inequalitas, & iniustitia est partem vincentem declarare victā, & partem Superiorem declarare inferiorem, sitque iniuria parti vincenti, & Superiori, Sed pars, cui fauet ius iuxta probabilem sententiam, quantum ad hoc excedit, & vincit aliam, est quę illa superior, excedit enim illam in illo: ergo si iudex det sententiam in fauorem contrariæ, cui fauet minus probabilis opinio, inæquale facit, & iniuriam irrogat illi. Secundò probatur ex hoc ipso, quòd iudex est quasi Ius Animatū, & ex ipso suo munere debet propendere in eam partem, in quam ipsum ius propendit, & fauere illi, & si inclinet in contrarium, & faueat parti, cui minus fauet ius, deuiat à suo munere, & fidelitate iustitiæ, sicut falsa esset statera, quæ apposito quantocunque minimo onere non declinaret in illam partem, sed in contrariam. Ergo si iudex per sententiam inclinet in opinionem, in quam minus probabiliter inclinat ius, & illi fauet, deuiat ab æquitate Iudicis.

Confirmatur. Nam hoc est discrimen inter medicum in curando, & peculiarē personam, quòd peculiaris persona, si sequatur opinionem probabilem in suo particulari opere, nulli iniuriam facit, Medicus si relicta probabiliori Medicina, vtatur minus probabili, iniuriam facit ægroto, qui rationabiliter vult curari quanto probabilius posśit, ergò idem pariter erit dicendum de iudice.

Secundum Argumentum. Iudex siuè inferior, siuè superior ex proprio munere, & iustitia tenetur iudicare secundùm quòd exposcit munus iudicandi; sed munus iudicandi exposcit, quòd iudicet iuxta probabiliores sententias: ergo ex iustitia tenetur iuxta eas iudicare. Maior ex eo patet, quod vnusquisque tenetur ex iustitia adimplere obligationem sui muneris. Minor, in qua est difficultas, probatur, quia munus iudicandi tale est, quale institutum, & optant, est Reipublicæ optimè institutę, nam eorum munerum quæ homines instituerunt, naturam, & obligationes ipsi homines instituentes constituerunt, sic enim diuersa sunt munera Pretoris, Consuli, Proregis &c. Sed Respublica benè instituta nil aliud magis intendit, & optat, quàm quod iudices iudicent iuxta id, quod verisimilius & probabilius est, nec prudenter institueret iudices, qui iudicent iuxta minus probabiles sententias. ergo munus ipsum iudicis ex intentione Reipublicæ instituentis, est iudicare iuxta id, quod probabilius est.

Tertium Argumentum. Ex hoc, quòd Iudex posśit iudicare iuxta quamcunque probabilem opinionem, sequuntur plura, & grauia inconuenientia, ergo illa sententia in praxi non est admittenda. Sequela probatur. In primis enim sequitur, quòd Iudex pro libito suo, vt faueat Amico, & vt cedat intercessionibus, posśit licitè iudicare iuxta quamcunq; ex innumeris sententijs, & placitis iuristarum, immò modò ad petitionem amici iuxta vnam sententiam, & paulò post in simili causa iuxta aliam, ex quo non solùm litigantes sed plures alij scandalizantur, credentes iudices potestate sibi tradita abuti.

Respondent Auctores contrariæ sententiæ, concedentes posse iudicem modò pro vna parte, modò pro alia iuxta diuersa placita iudicare, etiam ob intercesśionem, & gratiam Amici, sed si prospiciunt, quòd sequeretur scandalum peccabunt peccato scandali, sed non contra iustitiam, & sic non tenebuntur restituere.

Sed hæc solutio est insufficiens. Primò, quia hoc scandalum non erit aliquando, sed semper, cùm enim ab Aduocatis obseruentur exemplaria sententiarum in similibus causis, necessariò generatur scandalum ex hoc, quod causa similis illi, quę reportauit fauorabilem sententiam, modò per sententiam eiusdem iudicis maneat condemnata. Secundò quia hoc scandalum fundatur in hoc, quòd contra ęqualitatem iustitię, communi hominum sensu reputatur, vt eadem causa modò vincat, modò sit victa, pręcipuè apud eundem iudicem.

Secundum inconueniens est, quòd iudices nō tam declaratores iustitię, quam domini rerum, de quibus litigatur, per contrariam sententiam constituuntur, vt posśint illa dare cui quanque voluerint litigantium. Nam cum sint ferè infinitæ doctrinę, & opiniones Iuristarum, maximè ex quo consiliorum innumera exierunt volumina, vix erit

litigium,

litigium, in quo non allegentur pro vtraque parte opiniones apud illos probabiles. Et sic si quamcunque probabilem potest sequi iudex, poterit dare sententiam, pro quacunque velit parte, ex quo prodeunt in dies tot monstra sententiarum, immò in eadem sententia suffragia aliquorum iudicum adeò diuersa, vt non minimi scandali sint causa.

Tertium inconueniens est, quòd contraria sententia cum aperit ad peruertendum omne iudicium, cùm enim naturale sit homini, quòd voluntas ad suum placitum valdè alliciat intellectũ, si iuxta nostram sententiam, quod probabilius iudicatur, sit sententia exprimendum, difficile poterit voluntas iudicem trahere in partem iustitia destitutam, & causa iustitia carens difficile apparere potes probabilior, & nisi homo omnino perditus, cum onere restituendi non audebit in eam declinare suffragio, sed semel hoc magno ostio aperto, quod scilicet potest pro quacunque sententia probabili licitè iudicare; quod verè improbabile est, induet faciem probabilis, (probabilioris enim non poterit, quia inter extrema maior est distantia, quam inter proxima) & sic hæc res fauente cõtraria sententia in dies diluet in peius.

Tertia sententia distinguit de iudice superiori à quo scilicet non est appellatio, & iudice inferiori, a quo potest appellari, & dicit, iudicem supremum ferre debere sententiam secundùm opinionem, quam ipse putat probabiliorem esse, nec satisfacere muneri suo, si iuxta opinionem aliorum, quam putat esse probabilem, sententiam ferret. Iudicem verò inferiorem posse secundùm opinionem aliorum iudicare, quando aliorum opinio magis recepta in praxi est. Sententiam hanc ferè his eisdem verbis tradit Vasquez *hic, disp. 63. cap. 2. §. In qua quidem*, & pro ea citat summas Rosellam, & Tabienam *verbò opinio*. Sequitur sententiam hanc Antonius Perez *in Laura, certamine 10 scholastico, dubio 2. cap. 16. à num. 71.* vbi dicit, quòd Iudex superior non potest sententiam ferre in aliquo casu iuxta aliorum opinionem, etiamsi illi appareat probabilior, & communior: iudicem verò inferiorem posse quando timet dispendium ex appellatione, & antea Adrianus *quodlibeto secundo art. 3.* docuit, iudicem non posse iudicare contra propriam opinionem. Sequuntur Vasquez, Torres *de iustitia, disp. 48. dubio 4. num. 9.* Thomas Sanchez *libro 1. summæ, cap. 9. num. 47.* Sed paulo post constituit Vasquez tamquam regulam generalem, *vt Iudex probabiliorem opinionem in iudicando sequatur*. Vnde si discursus eius attentè perpendatur, potiùs disputat ibi, an iudex possit iudicare iuxta alienam sententiam probabilem, vel teneatur semper iudicare iuxtà propriam? Et determinat, iudicem superiorem teneri iudicare iuxta eam, quam ipse reputat probabiliorem, hæc enim est propria, quia vnusquisque sequitur id, quod sibi apparet probabilius, minor verò iudex, inquit, poterit iudicare omissa propria sententia, quam forte existimat non secuturum iudicem, ad quem appellatur iuxta communiorem, iuxta quam iudices, ad quos appellatur, solent iudicare, & hoc licèt illis appareat minus probabilem in re, & vtrumque apertè colligitur ex fundamentis, quos hic Auctor adducit, quæ sunt sequentia.

Primum Argumentum, quo primam partem confirmat, est eo ipso quòd Iudex superior iudex constituitur, hoc ipso, iudicio ipsius committitur illius, & aliarum causarum definitio prout ei melius, & magis consentaneum rationi videbitur. ergo contra id, quod ipse iudicat esse iuri, & rationi magis consentaneum, non poterit sequens aliorum opinionem, sententiam ferre: si enim iuxta aliorum opinionem iudicaret, non tam ipse, quam alij, quorum opinione duceretur iudices essent, & quamuis prudens iudex polit, & aliquando debeat consulere peritos, & doctos; tamen nisi eorum opinionem putet esse probabiliorem, & eam sibi, vt talem persuasam habeat, non poterit secundum illam sententiam ferre, ob ratione dictam.

Secundum Argumentum, quo suadet, quòd quando opinio propria, quæ iudici inferiori videtur probabilior, non est admissa communiter, sed opinio aliorum, etiam quę illi videtur minus probabilis, poterit sequi illam communem, etiã minus probabilem iudicio suo, ex eo quòd periclitatur talis iudicis opinio, cum facta appellatione à iudice, ad quem videtur retractanda, quam iacturam non videtur, quod teneatur pati, eo quod iudex est, præcipuè cum sententia ipsa, vt pote reuocanda nullius vtilitatis causa existat.

Prima conclusio. Tertia sententia quantum ad vtrumque eius dictum falsa est, & improbabilis. Reijciunt illam Salas *tract. 8. sect. 12. num. 114* Montesinos *hic disput. 29. quæst. 5. à num. 211.* Martinez *hic dubio 6. post. secundam conclusionem. §. Tertia sententia*, vbi dicit, quòd nullam apparentiam habet. Castro Palao *de conscientia opinante disput 2. num. 7.* Ouiedo *tract. 9. controuers. 3. num. 105.*

Probatur primò quantum ad primum dictum nam durissimum est auditu, & verè irrationale, quòd iudex, etiam supremus, si videat alienam opinionem esse communiorem, & probabiliorẽ, & talem iudicet, dummodò ipse illam non sequatur, non possit iuxta illam sententiam ferre.

Secundò, intolerabile videtur, quòd si plures valdè sapientes, & probi, omnique exceptione maiores, omninòque alieni ab interesse partium, consulant iudici debere iuxta aliquam opinionẽ sententiam ferre, etiam si ipse iudicet illos rectè consulere non possit tamen sententiam ferre pro illa parte, eo quòd ipse vt particularis persona adhæret sententiæ contrariæ, minus etiam probabili, nec vult ab illa discedere, quia fortè fuit sui Patris, vel Magistri.

Tertiò, quia fundamentum contrariæ sententiæ est nouum figmentum ex proprio cerebro ad hanc stabiliendã opinionẽ adductũ, nempe ad hoc esse iudices supremos cõstitutos, vt iudicent omnino iuxtà proprias opiniones, cum nihilominus intendat respublica; & ęquitas iuris, vt iudicent iuxta alegata, & probata sũt enim plures iudices, vt si quòd forte ab vno nõ est certè constitutum, emendatur ab alio; & sunt supremi iudices, à quibus non est appellatio, vt litibus finem imponant, ne sint ęternæ, sed quòd ita constituti sint, vt necessario debeant iudicare iuxta proprium cerebrum, nihil minus immò constituit eos, & omnes iudices Respublica, optans, & vehementer expetens, vt semper iudicent iuxta opiniones probabiliores, & communiores, quas non cerebrum vnius, vel alterius excitauit, sed longa experientia examinatas, & approbatas habet.

Deinde improbatur cõtraria sententia quãtum ad id,

ad id, quod singulare habet circa iudicem inferiorem, nempe, quòd & si teneatur iudicare iuxta propriam sententiam, quam ipse reputat probabiliorem, tamen excusatur vt possit sequi etiam minus probabilem, si est magis in casu apud iudicem ad quem, ne patiatur detrimentum, si sententia reuocetur, (nam quòd absolutè possit sequi probabiliorem, aut minus probabilem sententiam, ad duas priores opiniones pertinet.) & primò nam iudex inferior scire non potest qualem sententiam iudex superior iudicabit probabiliorem, vt iuxta illam confirmet, vel reuocet eius sententiam. immò cùm iudex superior teneatur, iuxta Vasquez, sequi propria sententiam, quam non potest relinquere, etiamsi alia sit communis, & probabilior, non euadet periculum talis retractationis iudex inferior. Secundò, quia ex hoc, quòd eius sententia reuocetur, & retractetur a iudice ad quem, nullum sequitur damnum iudici inferiori, nulla que iactura, cum id quotidiè contingat. Immò si iudicat semper inferior iuxta id, quod probabilius est, maioris integritatis, opinionis nomen aquiret.

8. Conclusio. ex duabus prioribus sententijs eligo secundam, asserentem, teneri iudicē quēcunque semper iudicare iuxta probabiliorem, & communiorem sententiam, etiam relicta propria, si est minus probabilis. Moueor ad hanc conclusionem, quia secunda sententia, & eius fundamenta magis accedunt ad æquitatis, & iustitiæ rigorem iudicum, quę conseruant integritatem tantopere in Republica necessariam: contraria verò largam operit viam, ad hoc, quòd iudices peruertant iudicia, & inflectant in Amicorum, & intercessorum placita; dumque eius Auctores arbitrium iudicum dilitant, potius facultatem libere disponendi rerum, quàm iuris, dicendi circa eas concedunt.

Ad primum Argumentorum ex factis pro prima sententia positum supra dico, quòd illud Argumentum a Medina inductum causa est, quare in omni materia auctoritate contrariæ sententiæ conuincantur, probabilem quamcunque sententiam licitè posse sequi; cùm tamen non omnis materia admittat æqualem probabilitatem in moralibus, sicut neque in naturalibus omnes scientiæ admittunt eandem probabilitatem, neque eandē euidentiam, expostulant enim maiorem mathematicè, quam physicè. Cùm ergo dicitur: *Opinio illa verè est probabilis, que licitè, & prudenter sequi potest*, latet sub herba anguis. Potest enim esse probabilis respectu alicuius finis, & materię, non respectu alterius, v. g. quòd hæc forma Baptismi sit legittima. *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque*, est probabilis sententia, & tamen non est probabile, quòd quilibet minister Baptismi pro libito possit illa vti. Item, quòd lixiuium sit sufficiens materia Baptismi, & amido Eucharistiæ, est probabilis sententia, sed non est probabile quòd liceat cuilibet illis materijs semper vti. dices, sententias esse probabiles speculatiuè ad deputandum, sed non practicè ad vtendum, sed nos modò loquimur in Argumēto de opinione practica, seù practicè probabili, qua eò ipsò licite vti possumus. sed neque ex hoc capite soluitur hæc questio, sed manet eadem ambiguitas, nam etiam loquendo de opinione practica, poterit esse licita in vno casu, & non in alio, vt enim exemplum ponamus in eadem forma Baptismi, & materia eius, & Eucharistię, in aliquo casu licitum erit, imò & necessarium sequi prædictas probabiles sententias practicè, vt si in casu, quo moritur puer, fortè non recordetur alterius formæ Baptismi, qui potest eum baptizare, vel non habeat aliam aquā, nisi lixiuium. Et in casu magnę necessitatis Eucharistiæ non sit alia materia nisi amido: pro his enim tām necessarijs casibus, opinio illa erit probabilis practicè, & licitum vti illa, vnde ex eo, quòd probabilis sit, non licet inferre, quòd regulariter debemus illa vti. Item vt accedamus magis ad rēm, de qua disputamus, aliqua opinio non solùm iuris, sed etiam facti, potest esse probabilis, etiam practicè ad aliquem finem, & respectum alicuius personę, quæ non sit probabilis respectu alterius finis, & personę, itaut possit illa vti: Nam ad hoc, quod Actor licitè agat contra alium, tam criminaliter, quàm ciuiliter, sufficit quæcumque probabilis opinio. & item ad hoc, quòd Procurator, & Aduocatus patrocinetur causę. Et tamen iuxta nostram sententiam non erit sufficiens ad hoc, quod iudex iuxta illam proferat sententiam.

Supposita hac doctrina, ad argumentum in forma respondetur distinguendo illam propositionem: *Opinio probabilis practicè est, quam quilibet prudenter, & practice sequi potest*. si enim intelligas de opinione, quæ est probabilis practicè quòd possit sequi ab illo, qui potest sequi quācumque probabilem, vt est actor in conueniendo reum; procurator, & patronus in patrocinando, concedo; si vero intelligas de persona, & patronus in patrocinando, concedo, si vero intelligas de persona, & negotio, in quo id non sufficit, vel respectu cuius non est probabilis, nego; quia iudex debet sequi maiorem probabilitatem, quam aduocatus, & minister ordinarius Baptismi, vel Eucharistiæ extra casum necessitatis maiorem, quam in casu necessitatis.

Vel secundò respondetur, quòd aliqua opinio est probabilis secundùm se sed nō respectiuè comparata ad aliam probabiliorem, sicut aliquis est dignus beneficio absolutè, sed non comparatiue respectu dignioris. Sicut ergo non potest beneficium dari digno, existente digniori, quia tunc cessat dignitas illius, sic opinio probabilis respectu iudicis amittit probabilitatem in conspectu probabilioris, & sic non potest sequi à iudice in sententia.

Ad secundùm Argumentum dico, quòd Iudex ab assessore, & quocunque viro docto, & probo potest consilium accipere, sed illa non possunt illi consulere, quòd sequatur sententiam, quam nō reputant probabiliorem, vel æquè probabilem, quia non licet alicui consulere id, quod ille licitè facere non potest, debent ergo illi consulere, quod probabilius reputant, vel saltem æquè probabile. Quòd si id quod illis probabilius videtur, ipsi appareat minus probabile discussis fundamentis, rem meditetur iudex quousque siue ex proprio marte, siuè ex consilio prudentum assentiatur aliquam esse opinionem probabiliorem, vel non inferiorem in probabilitate, & tunc pro illa ferat sententiam.

Ad Confirmationem dico, discrimen esse inter hominem operantem proprium opus, & iudicem, quòd ille solùm debet rectificare factum cum sua conscientia, & dum probabiliter operatur, rectè se gerit. Sed iudex est medius inter partes, & rigorosè debet inclinare in eam; in quam factum,

vel

vel ius inclinat; & aliàs iniuriam irrogat.

Ad primum Argumentum pro tertia sententia nego Antecedens; nam eò ipso quòd communi auctoritate constituitur committitur illi, vt iudicet quantò conformiùs legibus, & æquitati potuerit, siue sequatur propriam sententiam, quia ea illi videtur probabilior, siue conformando se alienæ, si illa æquior apparet. Committitur ergo supremo iudici res iudicanda, sed non secundùm eius spetialem opinionem, sed secundùm eam, quæ pluribus, & doctioribus probabilior videtur, & hanc debet sibi deligere vt probabiliorem, hoc enim est quod populo, & litigantibus conueniètius est, & quod Regno, & Regi magis placet.

Ad secundum in primis dico, quòd nullum inconueniens sequitur iudici, si eius sententia à superiori reuocetur, vt passim videmus. Secundò, quod & si aliquod sequeretur inconueniens, non vitatur à contraria sententia per hoc quod iudex sententiam ferat iuxta communem opinionem minus probabilem, quia cùm iudex, ad quem teneatur proferre sententiam iuxtà probabiliorē, & non iuxta communiorem, si est minus probabilis, certiùs reuocabit illam, & hoc inconueniens etiamsi eueniret, non est tanti momenti, & obligationi deesse debeat.

DVBIVM XXXXII.

Quam sententiam sequi debeat Iudex, quando sunt æque priobabiles sententiæ tam circa factum, quàm circa Ius.

Diximus quid circa factum, & circa Ius debeat sequi iudex, cùm probationes facti, seu etiam opiniones, tam circa factum, quàm circa ius sunt inæquales: nunc restat idem explicandum in casu, quòd siue probationes, siue opiniones circa factum, vel circa ius sunt æquales, quia probationes siue testium, siue scripturarum sunt pares, atque adeò res est sub dubio litigioso, aut sub æquali opinione, & opiniones doctorum sunt omnino, vel ferè æquales Pro quo sit.

Prima conclusio. In criminalibus existente æquali dubio, vel æquali opinione, pro vtraque parte, debet iudex inclinare in eam, quæ fauet Reo: quod non solùm intelligendum est circa ius, vt eam opinionem circa Iuris intelligentiam sequatur, quæ fauet reo, sed etiam, & multò magis circa factum. Vnde si dubium est, Titium perpetrasse hoc crimen, etiam si probabilius appareat ipsum perpetrasse, si tamen probabile est non perpetrasse, huic sententiæ licèt minus probabili standum est, eo quod nemo præsumitur nocens, nisi probetur. Ita communiter doctores, Syluester *verbo dubium*, *num.* 2. Corneio *tract.* 8. *disputatione* 3. *dub.* 6. §. *dico secundo* Salas *tract.* 8. *num.* 115. Mascardus *de probationibus*, *verbo delictum*, *conclus.* 4. 97. *num.* 1. Salon 2. 2. *quæst.* 63. *art. d. conclusione secunda.* Villalobos *tomo primo summæ*, *tract.* 1. *difficult.* 25. *num.* 2. Palao *de conscientia opinante, punct.* 10. Ouiedo *tract.* 5. *controuers* 3. *n.* 98.

Probatur, nam vt dicitur de regulis iuris in 6. *cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quàm actori, de qua dicemus* disput. sequenti. Confirmatur quia Iudex in dubio neminem debet damnare, vt habetur cap. *habuisse* 33. *distinct.* & *cap. graue* 11. *quæst.* 3. & fundamentum est, ne Iudex se exponat periculo irrogando iniuriam. Ex quo Auctores colligunt, ad hocquod reus condemnetur, probationes debere esse lucedariores, eò quòd nemo præsumitur nocens, nisi probetur.

Secunda conclusio in ciuilibus in pari causa, vel dubio circa factum fauendum est possidenti, quæ conclusio apud omnes debet esse communis probatur primò ex iure. Nam *regula* 65. *de regulis iuris in* 6. *deciditur, quod in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis* quam ex professo exponemus inf. & *c. ex litteris de probationibus*, determinatur, quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessores testes præferuntur, & confirmatur. Nam possessor se habet vt reus, & qui ab illo postulat, vt actor, & in pari causa, fauendum est reo vt ostendemus inf. secundò probatur ratione, quia cùm partes sunt æquales ex parte cui accessit possessio accrescit hic titulus, ratione cuius vincit aliam.

Sed circa præcedentem conclus. est exceptio, quòd scilicet, quando actor contra possidentem est causa matrimonialis, dos, libertas, peregrinus, vidua, & quælibet alia causa pia, inquibus etiam si actores sint, si cetera sunt paria, possessio alteri parti non fauet. Colligitur hoc *ex cap. finali, de sententia & reiudicata, & ex* lege *semper de regulis iuris*, vbi dicitur in dubijs semper benigniora præferenda esse sed hoc intelligendum est cæteris paribus. Nam si opinio verior, & magis probata staret in contrariam, non deberet iudicari pro causa pia, sed pro alia, & colligitur ex textu *in l. si pars ff de inofficioso testamento*, & rationem reddit Mascardus *de probationibus verbo opinio nu.* 14. *conclus* 113. nam ita *de litores sumus causis fauorabilibus*, vt alijs iniustitiam non faciamus. videantur Nauarrus *in manuali c.* 27. *nu.* 287. Siuellier *verbo opinio*, Corneio *tract.* 8. *disput.* 6. *dub.* 3. *§. dico primò*. Palao *de conscientia opinatiua disp.* 2. *puncto* 10. *n.* 3. Ouideo *tract.* 5. *contro. n.* 98.

His constitutis si in alijs, in quibus, nec causa criminalis: nec possessio, nec causa pia interuenit, quid faciet iudex si ex parte facti, vel precipuè Iuris causa est pro vtraque parte dubia, vel æquè probabilis? inqua re sunt duæ sententiæ.

Prima sententia tenet; quòd Iudex pro sua voluntate potest rem adiudicare, cui voluerit, quando tam ex parte facti, quàm iuris est æquale dubium, vel æqualis opinio, nec altera pars possidet, nec in criminalibus, nec altera pars est pia. Ita tenent Salon 2. 2. *q.* 63. *a* 4. *contr.* 2 *conclus. prima* Aragon *ibi dubio vltimo in fine*. Valentia *tomo* 3. *disput.* 5. *q.* 7. *puncto* 4. *dub.* 3. Petrus. de Ledesma *in* 2. *tomo summæ tract.* 8. *cap.* 22. *post conclus.* 11. *difficult.* 1. Rodriquez *tom.* 1. *summæ lib.* 1. *c.* 6 *nu.* 1. *clauclus.* 1. Fillutius *tomo* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *n.* 144. Bonnacina *tom.* 2. *disput.* 2. *q.* 4. *puncto* 9. *propositione vnica num.* 14. Thomas Sanchez *lib.* 1. *summæ, c.* 9. *n.* 45. Ioannes Sanchez *disput.* 44. *num* 51. Salas *tract.* 8. *n.* 115. Villalobos *tom.* 1. *difficult.* 15. *n.* 4 Palao *de conscientia opinatiua disput.* 2. *n.* 2. Ouiedo *tract.* 5. *contr.* 3. *numero* 100.

Precipua ratio pro hac sententia, est, quod si probationes sunt æquales, & ius æqualiter fauet, licet iudici operari iuxta quam voluerit opinionē, & tunc, iustè, & rationabiliter operatur. Secundò, iudex tenetur sententiam ferre, sed non est maior ratio ferrendi pro vna, quàm pro alia parte: erg.

et: ergo in suo arbitrio remanet. Tertiò nam Glossa *in c. per venerabilem* verbo *fauere, de electione ait.* Cùm causa fuerit ambigua iudicem cui parti fauere voluerit iustè posse, iuxta legem, *si quis seruum* §. *si inter duos ff. delegatus.* 2.

Secunda sententia est, in hoc casu iudicem rem inter partes diuidere teneri, sed si diuisibilis non est, alteram partem cogere, vt cum alia rem componat quocunque modo possibili: quòd si hæc omnia sint impossibilia, vt contingit in collatione beneficij, detur parti conuenientiori. Sic Bannes 2. 2. *q.* 64. *a.* 4. *dub.* 1. Salon *ibi, concl,* 2. Suarez *de charitate, disp.* 13. *sect.* 6. *num.* 4. Salas *tract.* 8. *nu.* 118. *&* 240. Sayrus *in claui, lib.* 1. *cap.* 11. *nu.* 22. Coninch *de matrimonio, disput.* 34 *dub.* 10. *n.* 94. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 16. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *num.* 1. *& lib.* 1. *in Decalogum. c.* 9. *num.* 45. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficul,* 15. *num.* 2.

Probatur, quia cùm opiniones sunt æquè probabiles, æquale ius partium est. Ergo quod iudex declinet in aliam, est absque ratione, & acceptio personarum, cùm procedat potius vt Dominus, quàm vt iudex. Secundò quia in eadem causa poterit iudex modò pro vna parte, & paulò post pro alia sententiam ferre cùm populi scandalo. Tertia Conclusio. Et si vtraque ex duabus relatis sententijs probabilis sit, tamen secunda accedit ad æquitatem: eo enim ipso, quod datur iudici optio inter opiniones æquè probabiles, cùm omnia iam ingeniorum luxuria sub opinione sint, facilè æquales iudicabunt opiniones, & potius vt Domini, quàm iudices amicis, & melius procurantibus concedunt. Vnde pernicies Reipub. certa promanat.

DVBIVM XXXXIII.

Quam opinionem debeant sequi Principes Supremi in iustitia causa bellandi.

QVantò supremi Reges, seu Principes sunt maiores, & eminentiores personę in mundo, tantò magis interest, vt in administrãdo personæ publicæ munere rectè segerant: ideóq; de re hac disputare ad communem bonum valdè conducit. Supremi autem Principes duo præcipuè munera exercent, nimirum, & Bella, ac pacem cum extraneis gerere, & cùm proprijs probè gubernando iustitiam ad ministrare. sed quia bella ordinantur ad pacem, & conuenientiam Reipub. ideò agentes de iustitia belli, prius dicemus de iusta causa mouendi bella ex parte Principum. secundò de iusta causa exequendi illa ex parte militum, nam de iusta administratione Regni, non pertinet ad locum hunc disputare, nisi quantum ad iudicandum, de quo diximus supra.

Bella sunt, suprema mala, que Reipub. & orbi obuenire possunt, nam è cribus indigentibus dãnis, à quibus Ecclesia in litanijs à Deo liberari exposcit, dicens. *A peste, fame, & bello, libera nos Domine,* mea quidem sententia, supremum est bellum, eo quod non minus, quàm pestis interimit, & continuò famem, omniumque rerum penuriam inducit, aliaque plura damna, non solùm Corporis, sed etiam animę occasionat, vt plusquã expediret in cõfinibus regni Hyspaniæ in contentione cum Francis experimur; necessarium continuò efficitur, vt tam exitiale medium non sine maturo iudicio, & iusta, ac vrgenti causa exequendum videtur. de eius iustitia, disputare habet proprium locum apud Angelicum præceptorem 2. 2. *q.* 40. vbi post *S.* Th. Caiet. & Bãnes alijque antiqui expositores, & Victoria *in relectione de iure* belli, quę est secunda de Indis, ac Soto *in lib. de iustitia, & iure,* materiam iunioribus Theologis in hac re disputandi copiosã reliquerunt. Sed quia in tract. de conscientia cõmuniter eius exaratores non nulla de belli iustitia immiscent, ne huic parti deesse videamur, nõ pro dignitate materiæ, sed eam suo loco relinquentes, præcipua sumatim perstringemus sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Ad supremas potestates non habentes in temporalibus superiorem in terris, vt sunt Respub. liberæ, Imperatori, Reges, & alij Principes non recognoscentes Superiorem, vt Dux Moscobitarum, pertinet licitè iusta de causa, & recta intentione bellum indicere, & gerere.

Multas partes continet hæc Conclusio. Prima est licitum esse, & iustum aliquando bellum gerere. Veritatem hanc contra plures hereticos illam negantes, (quos referunt castro contra hæreses *lib.* 3. *verbo Bellum, haresi prima, & secunda,* & Victoria *in relectione de iure belli; n.* 1. & Bannez 2. 2. *q.* 40 *art.* 1. *dub.* 1. § *in hac quastione)* docent, Sanctus August. *epist.* 5. *ad Marcellinũ,* cuius verba refert S. Th. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *argumento, sed contrà.* & idem August. *serm.* 19. *de verbis Domini, & lib.* 22. *contra Faustum cap.* 24. *&* 75. cuius verba refert Caietanus, *cap. militare, & cap. quid culpatur* 23. *q.* 1. S. Ambrosius *lib.* 1. *officiorum cap.* 27. 29. 40. *&* 41. & S. Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. & consentiunt vniuersi Theologi, quia est veritas de fide deducta ex varijs locis Testamenti veteris, & ex eo quod *Luca* 3. 14. Ioannes Baptista militibus interrogantibus, quòd facturi essent ad Salutem, non imperauit militiam deponere, sed, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti, estote stipendijs vestris.* vt põderat Sanctus August. locis citatis. Et in Ecclesia fundatæ sunt Religiones militares ad bellandum. iustum ergo, & piũ est bellare. & ratio naturalis suffragatur. Nam iure naturæ concessum est vnicuique, uim vi repellere, & se, suaque tueri, quod multò certius licebit potestati publicæ cui interest auctoritate Dei rempublicam à malis defendere, & ad bonum promouere, quòd sæpè sine bellis fieri non potest. Videantur Bannez 2. 2. *q.* 40 *art.* 1. *dub.* 1. Candidus *disquisitione* 27. *art.* 1. *dub.* 8.

Secunda pars Conclus. ius indicendi, & gerẽdi Bellum residere apud Respub. non habentes Superiorem, apud Imperatorem, & Regem, & alios Principes supremos, & non apud alios pro cuius explicatione notandum, quòd facta iure gentium rerum diuisione, constitutaque Republica, apud illam ipso naturæ lumine postulante concedit gladium: & potestas gubernandi, & puniendi, resistendi contrarijs, propria vindicandi, & conseruandi, sine quibus Respub. cõseruari non potest. Deinde Respub. quia omnia eius membra non erant apta ad gubernandum, nec poterat ad hoc vacare, commisit quibusdam è populo, vt consulibus, senatui suam auctoritatem, & talis mansit Respub. libera, vt quandam fuit D. Romanorum, & nunc Venetum Genuensium Allobrogorum, . Vel commisit Prin-

cipi à se semper eligendo, seu semel electo, & successionibus eius, ne ratione electionum rei tanti momenti scandala orirentur, vnde potestas Principis secularis immediatè est illi collata a Repub. & ipsa potestas Reipub. vnde non est maior, quam ea, quam Respubl. habebat. & in hoc differt ab ea potestas spiritualis Summi Pontificis quòd facta eius electione non recipit potestatem Spiritualem à Respub. vel Electoribus, sed à Deo, sed potestatem quam habent, vt temporalis Princeps, sicut alij, recipit à Republica: de qua re videatur Victoria *relectione prima de potestate Ecclesiæ, quæst. 3.* Soto *libro. 4. de iustitia, quæst. 4. art. 2. & in 4 distinct. 20. q. 1. a. 4.* Bannez 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 2. §* *secundò notandum.*

Probatur primò hæc pars conclus. sic explicata ex sacris litteris, in quibus approbatur iurisdictio, & ius bellandi inprimis Reipub. nam Iudicũ cap. 1. 1. fil j Israel Iosue mortuo, & manentes sine capite decreuerunt bellum indicere Chananæo, & dubitantes quem Ducem belli constituerent, *consulerunt Dominum, dicentes: quis ascendet ante nos contrà Chananæum, & erit dux belli Dixitque Dominus: Iudas ascendet* Vbi. Dominus bellum ab illis decretum approbans reuelauit, quem ducem belli deberent eligere. & cap. 20. cum Israel cunctus non habens Principem, congregatus in Maspha, sumpta notitia criminis oppressionis, & necis Vxoris leuitæ perpetrati à Beniamitis decreuerunt bellum contra ipsos, & post diuersa bella approbante Domino debellauerunt Tribum Beniamin, itaut paucissimi remanerent. Deinde Reges varia bella gesserunt, vt Dauid, & reliqui etiam pijssimi; & similiter supremi Principes, vt Moyses, Iosuæ, & iudices ferè omnes.

Secundo, id docent Sanctus August. *lib. 22, contra Faustum cap.* 75. dum ait: *Ordo naturalis moralium paci accommodatus, hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principes sit* & Sanctus Thom. 2. 2. *quæst. 40. art. 1. ait*: Cum cura Reipub. commissa sit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam ciuitatis, vel Regni, seu Prouinciæ sibi subditæ tueri. & sicut licitè defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt, secundùm illud Apostoli ad Rom. 13. 4. nõ sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui malum agit, ita etiam gladio bellico ad eos pertinet Rempub. tueri ab exterioribus hostibus. Vnde & principibus dicitur in Psalmo 91. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Concordant in hac re vniuersi Theologi & Iurisperiti de quo spetialiter disputant Caiet 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 1. præcipuè §. ad confirmationem* Bannez 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 2.* vbi latè probat, & argumẽtis in contrarium satisfacit. Syluester *verbo Bellum 1. num. 1. & 2.* Candidus *disquisitione 27. dubio 1.*

Tertiò, ratione conuincitur, bellum gerere aliquando est licitum, & necessarium; sed non est alius, qui tunc possit gerere bellum, nisi Respublica suprema, vel eius Princeps. ergo ad huiusmodi spectat bella gerere. Maior ostensa est conclusione præcedenti, & minor probatur. Nam bellum gerere non pertinet ad particulares personas, neque ad Respub. quæ Auctoritatem suam in Principem contulerunt. ergo pertinet ad Respub. supremas vel ad Principes supremos. Consequentia est bona, quia non datur alius, ad quem possit pertinere. Et Antecedens probatur, & inprimis id pertinere non potest ad priuatas, & subiectas personas, quia ius commune Reipub. nõ habent, vnde sicut non possunt procedere ad vindictam particularis malefactoris, multò minus ad vindictam alterius Reipub. vel Regis; & ita quia conuocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri non pertinet ad priuatam personam & insuper quia habet superiorem, apud quem potest iustitiam exigere, & contrarium esset omnia perturbare. Deinde id non potest spectare ad Rempub. habentem superiorem, quia talis omnem suam Auctoritatem in superiorem contulit, & sic manet sicut particularis persona, & militant de illa rationes factæ

Quartò probatur idem. Nam Respub. suprema, siue per seipsam gubernet, siuè per Principem, est corpus politicum sibi sufficiens ad repellendum mala, & conseruandum bona, aliàs non esset perfectum, sed quandoque sine bello non potest repellere mala, vt cùm inuaditur, nec recuperare ablata, emendationemque iustam consequi sine bello. ergo debet habere vim apud se, cum est absoluta, vel apud Principem cùm apud eum transtulit suam Auctoritatem gerendi Bellum ad huiusmodi consequenda. Nam nisi posset licitè de extraneis populis, & Principibus se vendicare, valdè esset imperfecta, & deficeret, Nam Tyranni, & iniusti occidentes capientes, & quomodlibet iniuriam facientes alienæ Reipub. ciuibus, remanerent naturaliter impuniti, & naturalis ratio deficeret in naturalibus.

Sed est aduertendum, quod licèt Respub. habens Superiorem, vt ciuitas, vel regnum, & et à Princeps Superiorem recognoscens, vt Comes, Marchio, Dux Regi Subiectis, non possunt bellum aggressiuum mouere, quia huiusmodi se habent vt particulares persone, quæ non possunt iustitiam sibi sumere, sed petere apud superiorem aliàs vsurpant iurisdictionem, & Principi iniuriam irrogant; Sed tamen repentina aggressione, siue ab alia ciuitate, vel Principe eiusdem ditionis, siue ab extraneis possunt bellum defensiuum gerere, & armis se tueri si periculum est in mora expectandi, vt à Supremo Principe defenditur. Quòd primò patet, nam in tali casu est virtualis licentia Principis meritò præsumpta. Secundò *quia iure naturæ licet vim vi repellere, ff. de iustitia. & iure. l. vim vi.* Quia ratione persona particularis licèt per se non possit emendationem vindictæ exercere, sed potest se, & sua armis defendere, etiam in defensionem occidendo aggressores, ergo id multo magis licebit ciuitati, & Principi habentibus superiorem. Sic Syluester *verbo bellum. 1. n. 2. versù, sufficit etiam* Bannes 2. 2. *q 40 a. 1. dub 2. concl. 1. Caiet. in eodem articulo §. ad euidentiam.* Victoria *in relect. de iure Belli in secunda quæst.* Candidus *disquis. 27. dub. 2.*

Tertia pars conclus. est quòd Bellum exposcit iustam causam, vnde S. August. super Iosue *q. 10. in medio, ait: Iusta bella solent diffiniri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* & S. Thom. 2. 2 *q. 40. art. 1 ait. Secundò requiritur causa iusta, vt scilicet illi, qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem*

tionem mereantur. Ratio verò fundamentalis est, quia bellum est actus iustitiæ vindicatiuæ, seù punitiuę atque adeò exposcit causam. Causę verò iustitię Belli ad duas videntur reduci, quas ex *S.* August. relato adducit caput *Dominus* 23. *q.* 1. & *S.* Thom. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. vide licet iniuria illata. ob quam 2. Regũ *cap.* 10. Dauid debellauit filios Ammon. Secunda, recuperatio propr.j iniustè ablati, vel detenti, propter quam plurima legimus bella, tam apud sacras, quam communes scripturas. Videantur Syluester *verbo bellum.* 1. *num.* 2. *versu, secundum quod requiritur.* Victoria *in relectione de iure belli* ponit esse iniuriam illatam, eo quod omnes causę ad iniuriam reducuntur, vt retinere alienum, impedire iustam possessionem, & Candidus *disquis.* 27. *nu.* 6. §. *Dico octauio*, octo causas enu merat, quę ad prædictas reducuntur.

Sed circa hoc tria sunt Aduertenda. Primum eoipso, quod bellum est punitio non solùm exigere causam iustam, sed proportionem cum causa, vt si in vindictam gestum est, non excedat limites iustæ vindictæ, iuxta illud Deuteronomij 25. 2. *Promensura peccati, erit, & plagarum modus*. Victoria in relectione de iure belli, n. 14. secundum cum Caiet. 2. 2. *q* 40. *a.* 1. §. *in eodem articulo*: Quod cùm Amici, & cognati, ac socij idem quodammodo nobiscum censeantur iniuriæ eorum, & damna propria reputantur, & ideo pro illis sicut proprijs potest Respub. & Princeps Supremus bellum gerere. Tertium est, quod licèt Princeps habeat iustam causam mouẽdi bellum, si tamen prudenter perpendit multò maiora futura esse incommoda Regni sui, vel Ecclesiæ Catholicæ, quam sit vtilitas satisfaciendi se, tenetur sub mortali desistere à Bello, quia Bella fiunt ob communæ bonum, sed tunc hęc conditio de est, quod pertinet ad rectam intentionem. Deinde ex iustia tenetur prospicere vtilitatem, seu bonum suę Reipub. & ex charitate bonũ Reipub. Christianę. Videatur Victoria *in relectione de iure belli, num.* 33. Valentia *tomo* 3. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2. §. *Octauò certum* Bonacina *tomo* 2. *disp.* 2. *q. vltima. puncto vltimo* §. 2. *n.* 9. Candidus *disquisitione* 27. *numero octauo.*

Quarta pars conclusionis est; quòd ad iustum bellum requiritur; recta intentio, quam conditionem ex S. August. ponit S. Thom. 2. 2 *q. art.* 1. citato, his verbis: *Tertiò requiritur, vt sit intentio bellantium recta, qua scilicet intenditur, vel vt bonum promoueatur, vel vt malum vitetur*. Sed hæc conditio communis est omni actui bono, sed in bello specialiter aduertitur, eo quòd appetitus vindictæ, ambitionis, & auaritię solet in illis grassari. Syluester *verbo Bellum* 1. *num.* 2. *in fine*. Posset hic dubitari, an infidelitas sit causa legitima, propter quam Pagani, Sarraceni, seu Turcæ, & Hæretici debeant iustè debellari? de qua re videatur Candidus *disquis.* 27. *art.* 3. *per totum*.

DVBIVM XXXXIV.

An Quando quacunque de causa instet Bellum, quid spectabit facere ad Rempublicam supremam.

PRima Conclusio. Quacunque de causa instet bellum, ad Rempubl. supremam, vel supremum Principem spectabit, in primis adhibitis pijs, & doctis personis, etiam suæ ditionis causa diligenter examinata, ponderatis etiam rationibus contrarię partis maturo consilio resoluere, & declarare, an reuera iniuriam resarciendam acceperit, anquę ablata, vel detenta sunt, sint de iure restituenda, an habeat ius ad ciuitatem, Principatum, vel Regnum. An hoc ius sit dubium probabile, vel certum, & an excedat ius prætensum à contraria parte, vel ab ipso excedatur, & super his firmam resolutionem statuere. Qua diligentia non pręsupposita, quicquid contra aliam partem exercuerit, erit grauissimum mortale peccatum. Ita censent Victoria *in relectione de iure belli, q.* 2. *pro indis num.* 20. & 21. Bannes 2. 2. *q.* 80. *art.* 1. *dub.* 5. *concl.* Molina *tomo* 2. *de iustitia, tract.* 2 *disput.* 102. §. *quando inter duas.* Candidus *disquis.* 27. *art.* 2. *num.* 2. Ouiedo *tract.* 5. *contr.* 3. *num.* 85.

Probatur primò. Persona priuata non potest litem mouere, vel quocunque modo alium lite vexare, nisi iusta de causa, vt satis notum est, & persona Principis non potest sine eadem causa iusta bellum mouere; sed iustitia causa constare non potest sine consilio personarum intelligentium, & diligenti discussione causæ ponderatis fundamẽtis vtriusque partis. ergo huiusmodi discussio à personis intelligentibus, & rectis, præcedere debet quamcunque resolutionem. Minor probatur; nam vt vidimus supra, consilium includit inquisitionẽ rei dubię, & iudicium circa illa, & vt docet S. Th. 2. 2. *q.* 51 *a.* 3. rectum iudicium pertinet ad speciem prudentiæ, quæ dicitur Synesis: iudicium verò est terminus Consilij, quod Consilium pertinet ad aliam speciem, prudentiæ, quæ dicitur Eubolia, vt ibi *a.* 1. ostendit S. Thomas, si ergo consiliũ quantum ad vtramque partem præcedere debet omnem electionem alicuius momenti, vt cum S. Th. supra vidimus, quantò magis resolutionem tanti momenti debet præcedere maturum consilium, ex quo resoluatur iustitia causæ, & belli.

Probatur secundò. Respub. vel Princeps supremus non habet in terra ad quem reccurrat, vt declaret suam iustitiam, nisi per viam Consilij ergò adhibitis debitis consiliarijs, & sufficienti examine pręmisso, debet apud se decernere iustitiam, quam habet vel non habet antequam moueat litẽ. Patet Consequentia, quia si ipse med js consiliarijs id non decernit, non est, qui id possit decernere, & maneret res in confuso, quod est absurdũ. Confirmatur: nam ad vnumquemque pertinet, antequam litem aggrediatur, apud se etiam peritis consultis statuere, si habet iustitiam, & qualem, alias cæco modo procedet. ergò id multo magis debet præstare Princeps in re magni momenti.

Tertiò Princeps, qui debet bellum mouere, se habet vt iudex procedens ad emendationem, & punitionem iniuriæ; sed omnis iudex ante sententiam, & executionem debet causam examinare, ergo id debet præstare Princeps. Maior ostendetur infra, & minus per se patet.

Adde Conclusioni præcedenti, quòd etiam Princeps, qui pacificè possidet ciuitatem, vel prouinciam, si incipit dubitare de iustitia, qua possidet, tenetur rem modo prædicto discutere: vt si fortè certò deprehenderit, ad se non pertinere, vero domino restituat, vt aduertunt Victoria *in relectione de iure belli, num.* 2.

Secunda Conclusio. Quacunque resolutione ex consilio inito facta in suum fauorem, non debet Respubl. suprema, vel Princeps statum mouere

bellum, sed tenetur medijs nuntijs contrariæ parti sua instantiam aperire, satisfacere eius fundamentis, & omnibus modis procurare, vt sibi fiat debita satisfactio, restituatur ablatum, seu pacifica possessio restituatur atque permittatur. Quod si id non fecerit, quando est aliqua spes conuenientiæ, vel saltem publicæ satisfactionis sui iuris, sed statim bellum moueat, grauissimè peccat.

Probatur primò Auctoritate. Nam *Deuteronomij* 20. 10. dicitur. *Si quando accedit ad expugnãdam Ciuitatem, offeres ei primum pacem; si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo.* Et iudicum 20. 17. cum cunctus populus Israel scelere occisionis vxoris leuitæ comprobato, bellum decreuisset contra malefactores Beniamitas, sic scribitur: *& miserunt nuntium ad omnem tribum Beniamin, qui diceret: cur tantum nefas vobis repertum est? Tradite homines de Gabea, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum Israel. Qui noluerunt; &c.* & S. August. relatus c. *noli* 23 q. 1. ait, *Pacem habere voluntatis est, bellum verò necessitatis*, quasi dicat est vltimum remedium, quando aliud non est, necessitate cogente. Et est communis conclusio. Videantur de ea Caiet. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *in resolut. dub.* 1. Victoria *in relectione de iure belli secunda pro Indis.* Bannes 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 4. *§. Quare est notandum.* Nauarrus *in manuali c.* 25. *num.* 4. Vasquez *disput.* 64. *c.* 3 §. *hoc tamen, in fine*; Candidus *disq* 27. *art* 2. *num.* 3.

Secundò probatur, quia bellum est exitiale dãnum tam propriæ quàm alienæ Reipubl. imò totius orbis Christiani. ergo saltem ex charitate tenetur illud euitare, si alio modo potest ius suum illæsum custodire. Aliàs voluntariè tanto periculo exponit orbem.

Tertiò probatur ex Caiet. 2. 2. *q.* 40 *a.* 1. *in resolut. dub.* 1. Nam ea Iustitiæ intimatio, de qua loquitur Conclusio, non ideò est exequenda, quasi ex illa aliquod nouum ius aquirat pars illa faciens, sed vt actus actiuorum fiant in patiente disposito. Postquam enim dispositum ad hoc, vt cõtra ipsum bellum fiat, est nolens satisfacere, eo quod dum de hac eius nolitione non constat, voluntariè geritur bellum, cum accedente eius voluntate, & satisfactione, absque tam pernicioso medio, vt est bellum, recipiatur satisfactio, & reparetur ius lesum.

Tertia Conclusio. Si litigium sit de Principatu subiecto alteri tertio Principi, vtraque pars tenetur iustitiam prosequi coram illo tertio Principe, cui ditio, de qua est litigium, subditur, & tenetur stare eius sententiæ. Sic Vasq. *disp.* 64. *n.* 18. Castro Palao *de conscientia disp.* 2. *puncto* 7. *num.* 8.

Probatur primò, quia licèt in hoc casu litigantes ex se non sint subditi illius tertij Principis, tamen res, de qua litigant, est subdita, & ratione illius quodammodò illi, inquantum Prætensores sicut qui obtinuerit ratione illius Principatus quodammodo subditus tali Principi.

Secundò, quia cum Principatus, de quo loquimur, sit subditus Principi tertio, debeantque illi parere, & gubernari legibus illius Regni, iniuriã pateretur talis Rex, si occuparetur armis ab alio, ipso non annuente iustitię eius: debet igitur consilare de iure illius, qui illum prætendit, & voluntate eius possessionem inire, quòd nisi sententia lata commodè effici non potest. Tertiò, nam cùm controuersia duorum Principum litigantium diffiniri debeat aliqua regula, hæc debent esse leges illius Principatus, de quo litigatur. Earum verò interpres non potest esse alius magis legitimus, quam supremus Princeps illius prouinciæ, qui eas condidit. ergo iudicio eius standum est.

Quarta Conclusio. Si Contentio est de Principatu vacante inter duas personas subditas eidem Principatui coram iudicibus, quibus talem Principatum debent, de eius iustitia litigare, & eorum stare sententiæ. Ita Molina *tomo* 1. *de Iustitia, tract.* 2. *disp.* 103. §. *Quomodo autem mortuo Rege*, ; vorsi Vasquez *disp.* 64. *num.* 3. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3. *punto* 7. *num.* 88. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 17. *num.* 3. circa finem. Palao *de conscientia disp.* 2. *puncto* 7. *num* 7. Probatur, quia in hoc casu, vtraque persona est subdita Reipubl. illi; ergo. apud eos gubernatores debet ius suum petere. Nam hæc est differentia inter personam subditam, & supremam, quòd subdita dum infertur illi violentia, potest quidem se defendere, cum moderamine inculpatę tutelæ, sed emendationem, seù punitionem iniuriæ non potest exequi, sed procurare apud superiorem: sed persona publica vtrumque potest facere.

DVBIVM XXXXV.

Quid facere debet Princeps, quando vna pars est certa, & altera dubia. Quidue si vtriusque pars iure fuerit dubia æqualiter de Principatu subiecto.

Si maturo consilio habito decretum fuerit, causam vnius partis esse certam, & euidenter iustam, & hac re denuntiata contrariæ parti; si altera pars non vult, quod ęquum est exequi, potest pars, cuius causa est certa, armis negotium exequi. Ita tenent Molina *tom.* 1. *de iustitia, tract.* 2. *disp.* 103. §. *Quando inter duas.* Vasquez *disp.* 64. *c.* 3. *§. Hæc tamen*, vbi dicit hanc Conclusionem esse apud omnes certam. Salas *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 13. *num.* 123. Palao *de conscientia, disp.* 2. *punct.* 7. *num* 13. Probatur primò. Quando vna pars habet ius certum, ac indubitatum propositum iuxta dicta in sup. dub. & altera pars non vult condescendere, sed friuolis rationibus, & cauillationibus rem deturbat, vel omninò contemnit condescendere; tunc pars illa, cuius ius est certũ, patitur iniuriam ab ista, & violentiam, atque adeò cùm non habeat superiorem, ad quem prętendat iustitiam, poterit illam bello vindicare, nam non debet pars iniusta manere immunis, & pars lesa irreparata. Probatur secundò nam si bellum non licet, quando ius est certum, & euidens, sequitur quòd numquam liceat.

Sed quid si altera pars etiam iudicet ius suum esse certum? In hac re in primis certum est, quòd altera pars fallitur ignorantia, quia non datur aliàs bellum iustum ex vtraque parte. Deinde sanum consilium certe rem inter se componere, vel ad arbitros remittere, sed ad hoc non tenetur, qui inuincibiliter iudicat suum ius esse certũ, vnde iuxta Conclusionem quælibet pars potest armis negotium prosequi. Sic Molina *tom.* 1. *de iustitia*; *tract.* 2. *disput.* 103. §. *Quando inter*; sed vna pars procedit ex ignorantia, & tamen nõ ideò, quia illa ignorat, & non peccat bellando, debet altera ius certum amittere, sed bello vindicare. Castro Palao *loco immediatè ante citato*.

Se-

Secunda Conclusio. Si vtriusque partis iure fuerit dubium æqualiter, & altera pars est in possessione; pars posidens iustè retinet, & si inuaditur iuste se defendit; & si possessum vi auferatur, iustè illud repetit armis: & altera pars non potest licitè illam inquietare: quod si bellum moueat, peccat contra iustitiam, & tenetur satisfacere omnia damna, & idem à fortiori dicendum est si ius dubium posidentis inclinet magis in eius fauorem, vel fuerit probabile, & contrarij solum dubium. Ita tenent communiter Auctores. Victoria *in relect. de iure belli* sæpè *citata num.* 27. *&* 30. Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 103. §. *Quando inter duas.* Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 5. *Conclus.* 2. Vasquez *disp.* 64. *c.* 3. *num.* 10. Candidus *disq.* 27. 2, 2. *num.* 4. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3 *puncto* 7. *num.* 25.

Probatur primò; quia iustitia in eo casu stat ex parte illius, qui posidet, & si res iudicanda esset, illi deberet adiudicari, nam, vt dicitur de regulis iuris in 6. regula 65. *In pari delicto, vel causa melior est conditio posidentis*, & regula vndecima; *Cum iura partium sunt obscura, reo potius fauendum*: ergo frustra aliquid contenditur contra eum, cui ex iustitia res est tribuenda. Secundò probatur, quia pars posidens modo dicto iustè defenderet id, quod posidet: ergo qui illum vellet à possessione deturbare, iniustè ageret, ex quo sequitur, quod peccaret, & teneretur omnia damna restituere. Sequitur ex præcedenti Conclusione, quod si in casu præcedentis Conclusionis, posidens ab alio spolietur re possessa, licitè posit illam, & omnia damna armis, & bello recuperare, quia certum, & euidens est, quòd iniustè fuit spoliatus. Bannez 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 5. §. *ex quo sequitur.*

Contra præcedentem Conclusionem videntur sentire Suarez *de charitate, disp.* 13. *sect.* 6. Nauarrus *lib.* 2. *de restitutione c.* 3. *num.* 205. vbi insinuat, Principem posse bellum gerere, etiam aduersus possidentem bona fide, quando probabiliter opinatur, vel dubitat de iustitia belli; Deinde, quòd si res est dubia, licèt vna pars possideat, tenetur possidens rem cum alio diuidere iuxta quantitatem dubij, vel aliter recompensam facere, quód si diuisioni, aut recompensationi nō consentiant, oppugnari posse. Aliorum fuit sententia, pro qua refert Palao *disp.* 1. *de conscientia, punct.* 7. *num.* 6. Dominicum Bannez 2. 2. *q.* 46. *art.* 1. *dub.* 4. *conclus.* 3. *&* *dub.* 5. *conclus.* 3. & Rodriquez *in summa cap.* 114. *num.* 3. *Concl.* 2. & Villalobos *tom.* 1. *tract. primo difficultate* 17. *n.* 4. sed quantum ad Bannez fallitur, nam in priori loco nihil de hac re dicit: in secundo expressè loquitur in casu, quod neuter posidet.

Sed vtraque sententia est falsa. Prima, quia iuxta ea, que *infrà* dicemus; quando ius non est euidens, vel iniuria illata patens, non debet bellum moueri, nisi disperato omni alio medio pacis; & tunc pars, quę non admittit, facit iniuriam patentem alteri, pro qua debellari potest, & vtraque est falsa, quia in dubio sempre præualet conditio posidentis; dum contrarium non declaratur.



DVBIUM XXXXVI.

An si vtriusque partis Ius fuerit æquè dubium, & vtraque per partem posideat rem, seù Principatum, de quo est Quæstio si contendatur Armis posiit Iustè se defendere, & bello repetere possessionem partis, qua spolita est.

Prima conclusio; si vtriusque partis Ius fuerit æquè dubium, & vtraque per partem posideat rem, seu principatum, de quo est quęstio; quæcunque pars iustè posidet, & si inuadatur armis, iustè defendit, & si spoliatus, iustè bello repetit possessionem partis, qua spoliata est, & quæ armis aliam aggreditur, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere damna. Tota hæc conclusio sequitur ex *præcedentibus dubij vltimi*.

Secunda conclusio. si vtriusque partis ius fuerit dubium, sed magis propendat in fauorem actoris, vel ex parte nec fuerit dubium, & ex parte actoris probabile; vel ex vtraque parte fuerit probabile, sed probabilius ex parte actoris, siue reus posideat siue non, in omnibus his casibus non potest actor (multo minus reus) mouere bellum, sed ratione, & iustitia, vel debet agi vno ex modis iudicandis infrà. Et idem est, si dubium est æquale pro vtraque parte, & neutra posidet. Conclusionem hanc tenent Vittoria *in relect. citata de iure belli n.* 28. Nauarrus *in manuali c.* 25. *n.* 4. Bannes 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 5. *concl.* 3. *&* §. *Notandum est* §. *dubium tamen est &c. & concl.* 4. Molina *tom.* 1. *de iustita controu.* 2 *disp.* 103. §. *quando inter duas.* Vasq. *disp.* 64. 1. 3. §. *Hac tamen doctrina, &* §. *deinde si.* Salas *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 13. *n.* 122. *&* 128. Montesinos *hic disput.* 2. *n.* 29. *&* 30 Turrianus *disput.* 90. *de charitate dub.* 2. Palao *tomo* 1. *tract.* 1. *disp.* 25. *nu.* 9. Gaspar Hurtado *hic disp.* 4. *difficul.* 12. Ouiedo de *Consciētia controu.* 3. *{n.* 89. Candidus *disquis.* 27. *a* 1. *num.* 9. *& art.* 2. *num.* 4. S. *dico quarto, & dico sextò.*

Probatur primò conclusio. Ad bellum requiritur causa iusta, sed in nullo ex casibus propositis in concl. datur causa iusta: ergo in nullo licet bellum inferre. Maior est communis sententia, et patet ex dictis. Minor vero probatur, nam iusta causa belli est, quod illi, qvi impugnātur propter aliquam culpam, impugnationē mæreantur, sed in nullo casu ex propositis, aliqua ex partibus culpam aliquam habet, ergo in nullo datur causa iusta belli. Maior est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *articulo* 1. & probat. ex S. Augustino *super* Iosue, *q.* 10. asserente *iusta bella, solent definiri, que vlcisc untur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quòd à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* Et ratione conuincitur, quia actus debellandi, seù vindicandi iniuriam, quando fit rectè, debet esse actus iustitię vindicatiuę, alterius enim virtutis esse non potest. Iustitia verò vindicatiua necessariò supponit culpam. Minor verò probatur discurrendo per omnes casus Conclus. in nullo enim ex eis reperitur debellari, immò in omnibus illis, quęlibet ex partibus habet sufficiens fundamentum ius suū defendendi.

Probatur secundò, nā omnis controuersia, quę inter

inter opiniones citra certitudinem versatur circa ius aliquod, non potentia, & armis sed iustitia & iudicio dirimenda est; sed in omni casu ex propositis in Conclus non est euidentia, sed ius dubium, vel probabile. Ergo non armis, & potentia, sed iustitia, & iudicio debet dirimi. Minor apparebit iusta discurrendo per casus conclus. & Maior probatur, quia Barbarorum mos videtur, relicta ratione, & iudicio, ius negandi in potentioribus armis constituere. Tertiò probatur, quia si inter particulares personas habent circa rem aliquam tale ius, quale ponimus in casibus conclus. vtraque pars haberet ius prosequendi corā iudice ius suum, nec alteri iniuriam faceret, neque alicui liceret, rem, de qua est litigium, subripere, & occultare, sed tenerentur expectare declarationem iustitiæ à iudice. ergo eadem causa posita inter Principes, vel partes non habentes iudicem, æqualem statum habet, & non armis, & potentia est gerenda, sed iudicio, & ratione, non à iudice, quia non habent superiorē, sed modo explicando.

Quartò probatur, quasi Princeps, qui iudicat se habere ius in dubio æquale, vel magis ad se propensum, aut æquè, seu magis probabile, posset rem iustè armis aggredi, alius iustè posset idē sentire, & iustè ad arma procedere, & sic omnia essent turbata. & Respubl. Christiana dissiparetur bellis intestinis, & infidelium incursionibus. Quintò probatur. nam bella, vt vidimus, sunt suprema mala, quę orbi possunt obuenire, perniciosa non solùm illis, contra quos mouentur, sed reipubl. bellanti, immò omni populo christiano; non ergo debent assumi ex voluntate, vel luxuria ostentandi se, sed ex omnimoda necessitate, ne iuriam relinquant impunitam, vnde detur occasio aliàs patiendi, vel propria negligentur ergo dum alio medio conuenientiori possunt res commodè componi bellare non licet. Sextò probatur, Dum non est certitudo de iure pro quo bellant., sed solùm opinio quantumcumque probabilis, non est certitudo infallibilis; sed forte ius competit parti contrarię ergo sub hoc dubio latè sumpto, etiam vt compræhendit opinionem, non dictat recta ratio, quòd medium adeò perniciosum statim assumitur, quando sunt in promptu alia conuenientiora, per conuenientiam, arbitros, &c.

Contra hanc conclus. plures censent, in primis quod quando vna pars debitè inito consilio resoluit, se habere ius æquè probabile, vel probabilius, quam pars contraria, nisi illi restituatur potest armis illud vindicare, omisso tractatu cōueniendi se vel compromittendi. Tenent hanc sententiam Suarez *de charitate disp.* 13. *sect.* 6. *num.* 2. Nauarr. *lib.* 2. *de restitut. c* 3. *num.* 265. *& lib.* 3. *c.* 1. *nu.* 237. Ioannes Sanchez *disp.* 44. *num.* 517. & Diana *part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 8. Lugo *tract. de conscientia. cap.* 3. *nu* 87 & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 17. *num* 8. *& probabilē censet* Palao *de conscientia disp.* 2. *pūct.* 7. *num.* 5. & Candidus *disquis.* 27. *num.* 6. §. *iustam*.

Fundamentum est 1. quod opinio probabilis circa ius format conscientiam rectam, quam sequi licet cuilibet personæ: sed Respubl. vel Princeps supremus non est deterioris conditionis, quoad vsum Opinionū, quam cæteri. licet ergo eis iuxta probabilem opinionem, quòd suum reputant armis recuperare etiam si altera pars eadem probabilitate idem intendat licitè; eo quòd posita ignorantia vincibili ex vna parte, dari potest bellum iustum ex vtraque parte vt censent. Victoria *in relect. de iure belli num.* 28. Reinardus *tom.* 2. *lib.* 21. *num.* 98. *Couarruuias super regulam peccatum, parte* 2. §. 10. *nu.* 6. Thom. Sanch. *lib.* 6. *Decalogi c.* 3. *num.* 7. Fillucius *tract.* 40. *nu.* 266.

Confirmatur primò; nam opinanti probabiliter ex testamento minus solemni adquiri ius ad rem legatam, & illam posse clam à possidente tolli, licitum est illam auferre auctoritate priuata, secluso scandalo, vt sentit Ioan. Sanch. *disp.* 44. *num.* 6. ergo eodem modo licebit Principi in nostro casu. Confirmatur secundò. nam licet nemo possit auctoritate priuata capere rē ab alio possessam, quamuis secundum opinionem sibi probabiliorem putet se habere ius ad illam; si tamen probabiliter opinetur licere sibi possidentem spoliare, poterit licitè illam accipere, quod est dicere: quoties opinio versatur circa factum, non licet possidentem spoliare, sed id licere, quando opinio circa ius versatur. ergo similiter in nostro casu dicendum erit. Antecedens docent Thom. Sanchez *lib.* 6. *Decalogi c.* 3. *n.* 7. *&* Suarez *lib.* 5 *de legibus c.* 18. *n.* 20. Consequentiam verò esse bonam tenent Palao *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 7. *nu* 1. & Ouiedo *tract.* 5. *disp.* 3. *punto* 7. *num* 83.

Confirmatur tertio. In nostro casu quælibet ex partibus habet ius, vt rem de qua est dubium, vel opinio prosequatur; sed supremę Reipub. seù Principes non habent superiorem, coram quo iustitiam prosequantur. ergo possunt armis prosequi.

Sed his non obstantibus dicendum est, hanc opinionem esse falsam, & communi bono, ac toto orbi perniciosam, atque adeò nullo modo admittendam. Sic omnes qui citati sunt *pro Concl. præced.* Sed specialiter Vasq. *hic, disp.* 64. *c.* 3. *n.* 51. vbi affirmant nil probabilitaris habere, & non in paruam Reipubl. Christianæ perniciem, & detrimentum fuisse. Et §. *Quod si dicas,* absurdam appellat contrariam sententiam: & idem habet Salas *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 13. *n.* 123.

Ad fundamentum contrarię sententiæ paulò ante positum dico, quòd licèt quantum ad hoc, quod est resoluere, an Princeps habet ius ad regnum, nec ne? possit sequi opiniones probabiles, vt argumentum ponit, & nos constituimus superius, sed vt ibidem ostendimus circa factum, seu circa res, quando ex illa sequitur notabile detrimentum contra Deum, Poximum, vel nos ipsos, non semper licet sequi opinionem probabilem, sed sæpè tenemur sequi opinionem probabiliorem, vel tutiorem; Iam verò debellare hostes est factū, ex quo contra omnia prædicta sequuntur irreparabilia damna, atque adeò in tali re non potest sequi quælibet probabilis opinio.

Ad primam confirmationem, quicquid sit de Antecedenti, de quo modò non disputamus, negamus consequentiam, eo quòd si secundùm illam opinionem, si est scandalum, non licet tollere rem legatam dicto testamento, cum à bello scandala separari non possunt, & infinita damna, non erit licitum bellum ex quacunque opinione circa ius ad rem.

Ad secundam confirmat. dico in primis, propositionem illam. *Si probabiliter opinetur licere sibi possidentem spoliare, poterit licitè id efficere,* plena

plena est amphibologia, potest enim inuincibiliter sic opinari, & tunc poterit licitè sequi conscientiam erroneam, sed si non est talis Ignorantia iuxta nostram sententiam explicatam supra, non licet tunc circa factum, seu possessionem sequi quamcunque opinionem eadem amphibologia vtitur Palao *de conscientia disp. 1. punct. 7. n. 1.* & Ouiedo *tract. 5. controu. 3. n. 83.* quod scilicet si est probabile, vel homo probabile reputat, posse ciuitatem ab alio possessam armis expugnare, id poterit efficere. Dicimus enim id probabile non esse in praxi, nisi ex inuincibili ignorantia, quia in pari dubio melior est conditio possidentis, & quia & si habet aliquod ius probabile non armis, sed ratione transigendum est iuxta dicta. Nec est ad propositum, quòd confirmatio addit de iure, & facto, quia spoliare per bellum re possessa factum est, & non solùm ius.

Ad tertiam confirmationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam, quia licet Princeps non habeat Superiorem, coram quo iustitiam prosequatur, sed sunt alij modi pacifici, quibus potest satisfactionem consequi, de quibus infra dicemus.

Secundò contra praedictam conclus. secundam, quod quando iustitia partium est dubia pro vtraque parte (nomine dubij etiam opiniones comprehendo) si nulla pars possidet, regnum manet liberum ab vtroque praetensore, & potest ex illis vel alijs, quem voluerit eligere, vel etiam sub libertate Reipub. permanere probabilissimũ videtur Ioanni de Salas *tract. 8. disp. vnica sect. 13. n. 128.* vbi dicit hanc esse opinionem Victoriae, quam tamen apud Victoriam non vidi. Hoc tamen probabile censent Palao *de conscientia disp. 2. puncto 7. n. 10.* Sed hanc sententiã qua parte ponit relictis illis, qui habent ius aliquod, posse alios eligere, loquitur absque fundamento aliquo, cùm enim vtraque pars ius aliquod habet, quod iuste potest prosequi, vel compositione pro alia parte, vel diuisione, vel ad arbitros remittendo, qua ratione contra ius vtriusque partis Republ. poterit de se disponere.

Tertiò quod si vtraque pars est probabilis, & vna possideat, ista iustè manet in possessione, nec tenetur rem ad iudicium aliquod transigere, sed armis ius suum defendere, & altera pars non possit eam bello, vel quocunque alio modo inquietare. Tradunt Suarez *de charitate disp. 13. sect. 6. nu. 2.* Gaspar Hurtado *disp. 169. de charitate §. 59.* Villalobos *tom. 1. summae, tract. 1. difficult. 17. nu 6* & probabilem censent Salas *tract. 8. disp. vnica sect. 13. num. 128.* & Ouiedo *tract. 5. controu. 7. puncto 4. num. 87.* & hi duo citant pro hac sententia Victoriam, quod tamen apud ipsum non vidi. Fundamentum eorum est, quòd in pari causa melior est conditio possidentis, vt habetur *regula 65. de regulis iuris in sexto*; atqui aequalitas opinionis par causa est Et Confirmatur, quia opinio quodam genus est dubij, in dubio verò praeualet cõditio possidentis, vt diximus supra.

Caeterum non admittimus hanc opinionem cum auctoribus citatis pro concl. 2. & vltra ratione sibi assignatas. Probatur primò, quia regula possidentis in dubio non debet extendi ad opinantes. Secundò quia aliàs peioris conditiones essent Principes supremi; quàm personae plebeae quarum si vna habet probabile ius cõtra aliam, quae iure probabili possidet, posse mouere litigium, & fortè obtinere. Ergo idem non est denegandum Reipub. vel Principi absoluto. & ad praecedens fundamentum ex hac Doctrina. Respondetur, quòd regula illa intelligitur de dubio rigoroso, vt ab opinione distinguitur. Vnde licet opinio sit quòd ammodo dubium inquãtum non est euidentia, sed alia spetie est distincta à dubio rigoroso, in quo intellectus non adheret determinat ad vnam partem

Quartò alij opinantur, quod dum ius vtriusque partis iudicatur aeque dubium, vel aequè probabile, si neutra pars possideat diuidendum, est inter partes, quod si est magis fauorabile vni parti vel ex parte illius magis probabile iuxta inequalitatem iuris, erit inaequalis partitio. Ita censent plures, & meritò, sed huiusmodi partitio, vel conuentio est vnus ex hismodis, quibus sine bello trãsigi potest, de quibus dicemus dub. sequenti, quia enim talis diuisio, & equalitas iuris difficile à partibus adaptatur, ideò suppetunt alij modi, vt per compromissum per iudicium ipsius Regni.

DVBIVM XXXXVII.

Ad in casu dubij praecedentis possit Lis inter supremas Respublicas, vel Principes ratione, & iustitia definiri.

CONclusio: in casibus praecedentis lis inter supremas Respub. vel Principes (& eadẽ est ratio si ex vna parte est persona priuata, sed non subdita Reipub. vel principi, cum quo litigat.) potest iustitia, & ratione definiri. Primò si partes inter se etiam medijs nuntijs possint se cõcordare, vel rem diuidendo vel quomodolibet alias recompensam alteri parti faciendam. Secundò iudices arbitros deligendo, quibus facultas detur re iudicandi, siuè iuxta rigorem iustitiae, siue iuxta amicabilem compositionem. Tertiò iudicium relinquendo his, qui gubernant statum, de quo est litigium, vel illis, qui ab illo fuerint nominati, cũ hoc tamen, quod si aliquis ex his fuerit alicui parti suspectus, possit illum recusare, vt fit in alijs causis, & alius a tali statu loco illius nominetur.

Prima pars conclus. huius est, quòd medijs nuntijs, vel aliquo conuentu congregato ex personis ab vtraque parte nominatis rem ad aliquam capitula conuenientia redicant, ex quibus partes cõtrariae, vel ipsi videntes, vel per literas, vel nuntios in aliqua conueniant, vel rẽ diuidendo, vel si id habet in conueniens concordando in hoc, quòd altera pars rem possideat, sed in alijs terris vel rebus faciat recompensam alteri iuxta ius, quod habeat. & iste modus sicut est decentior maiestati, & generositati Principum, sic est conuenientior paci. & tranquillitati partium, & Principatus, de quo est dissidium. Proponũt modũ hunc Victoria *in relectione de iure belli n. 28.* Nauarrus *in repetitione super caput quando, de consecratione, distinct. 9. n 90. & in manuali c. 25. n. 4.* Suarez *disp. 13. de charitate, sect. 6. n. 2.* Ouiedo *tract. 5. disp. 3. num. 91.*

Tertia pars. concl. est, quod iudicium relinquatur Regno, Principatui, vel Ciuitati, de quibus est iudicium, vt si quidem viuat Rex, vel Princeps, eius absque successore, (ex quo dissidium oritur,) ipse declaret, ad quam partem

successio

successio pertinet? Quòd si datus Principe caret, illi relinquatur, vt rem vel per illos, qui gubernant, vel per alios ab illo designatos idem decernat. quod si inter illos fuerit alicui parti suspectus recuset illum ratione ostensa, & alius eius loco nominet. Modus hunc tradiderunt Vasqoez 1. 2. *disp.* 64. 1. 3. §. *deinde* Palao *de conscientia, disp.* 2. *punct.* 7. *num.* 7. licet hic coartet sententiam ad casum, quòd ex vna parte litigent Principes Supremi, ex alia persona subiecta, illa persona subiecta illi regno. Môtesinos *c.* 2. *disp.* 29. *nu.* 240. Villalobos *tom* 1. *tract.* 1. *difficult.* 17. *num* 4. Hurtado *disp.* 169. *de charitate*, §. 5. Ouiedo *tract.* 5. *disp.* 3. *n* 91.

Et prima quidem pars præcedètis dicti, quòd scilicet viuente Rege, de cuius posessione dependet litigium, ad ipsum pertineat rem decidere, apud omnes videtur certa, quia declarare legittimum successorem, ad nullum potest pertinere; neque illo viuente aliud medium tentare fas est.

Tertia verò pars (quod scilicet competat ipsi Regno, seu eius gubernatoribus, & iudicibus selectis a Regno rem decidere,) non placet Molinæ *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 103. *Aduerte*, & Suarez *de charitate disp.* 13. *sect.* 6. *nu.* 6. & probatur, quia sæpè Princeps supremus suspectos habere potest iudices illius regni, quod ad se existimat pertinere, nec ipse tenetur stare iudicio ipsorum, quos non constituit ad iudicandum.

Sed per oppositionem, quòd hoc medio omnino sit vtendum, non obstante prædicta sententia, probant inprimis ex Vasq; *hic disp.* 64. *c.* 3. §. *Deinde* Primò quia sic factum videmus in Hispania tempore Sancti Vincentij ordinis Dominicanorũ in Regno Aragoniæ, litigatores enim coacti sunt stare iudicio Regni. Secundò, quia ius illud successionis, quod in controuersia, & opinione positum est, definiri debet regula aliqua: regula verò alia non potest esse, quam legis ipsius regni, de quo est controuersia: nemo autem Legum ipsius legittimus interpres, nisi regnum ipsum mortuo ipso rege, neque enim ad extraneos pertinere debet legitima interpretatio. ergo illi debent iudicare & ad rationem in contrarium Respondent cum Vasq. loco citato, quòd si forte aliqui sunt suspecti, recuset illos, & alios assignet, sicut fit in causis particularium personarum. sed quid dicent si fortè omnes illius regni habet suspectos, eo quòd apertè fauet contrariæ parti?

Dicendum est ergo cum nostra conclus. quòd hoc medium, vnum est ex his, quos partes eligere possunt ad decidendam causam, sed velle partes Ad hoc medium determinate obligare, est præter rationem, cùm res vno ex alijs modis assignatis conuenienter decidi possit. Ad primum argumentum dico, quod illi Regni Aragonũ inter variòs pretensores coronæ, eius addiudicatio à nouem personis, è tribus præcipuis Regnis, inter quos fuit Sanctus Vincentius Ferrerius, nõ fuit à præsentibus electa, vel lege aliqua Sancita, sed voluntati ipsius regni eis præfixa, de quare, & circa eam eximia maiorum nostrum virtute luculentè agit noster Hyeronymus Blancas in commentarij Aragonensium rerum circa quartũ inter regnum.

Sed hoc medium potius videtur pertinere ad ipsum Regnum. Cùm enim rector possidet, & ius partium est obscurum, nec magis declinans ad vnam, quàm ad aliam partem, & Regnum diuidi est perniciosum bono communi, nec est recompensa equiualens possibilis, si potentia Regni id efficere valeat exemplo Regni Aragonum poterit per arbitros rem iudicare. Cui rei etiam præstat exemplum catholica ecclesia, quæ scismatis tempore sibi assumit iudicium decernendi, quis sit Papa. Ad secundum dico, quod Regnuum iura, etiam eis, qui non sunt de regno, possunt esse nota, & partes contendentes, vtentes etiam viris doctis eiusdem Regni, satis in fauorem suum allegant, vnde ex hoc capite, redditur hoc medium vnicum, & necessarium, sed conueniens.

Petes. *An in casibus dub. si vna parte offerente alteri, vt res pacificè agatur, altera noluerit aquiescere, sed non armis prosequi, pars quæ obtulit prædicta media possit iustè armis se defendere, & occupare partem talis Principatus quam iudicat sibi competere de iustitia.*

Conclusio. In casibus *dubij* 45. si vna parte offerente alteri, vt res pacificè agatur, vnum ex modis concl. precedentis dubij, seu aliud simile, altera noluerit aquiescere, sed rem armis prosequi, pars, quæ obtulit prædicta media, iuste armis defendit, vel occupat talem Principatum, vel sa tem partem, quam iudicat sibi competere de iustitia, & satisfatione omnium sumptuum. Et idem est dicendum si postquam res vno ex dictis modis fuerit determinata, altera pars stare decretis noluerit, quòd scilicet pars in cuius fauorem decretum est, potest, quod sibi, addiudicatum est, armis capere, defendere, & omnia dãna illata resarcire, altera verò pars, quæ non vult acquiescere decretis, iniustè procedit, & tenetur omnia damna restituere. sic Nauarrus *in receptione capitis, quando, de consecrat. distinct.* 1. *notabili* 9. *num.* 90. & *in manuali cap.* 25. *num.* 4. Victoria *in relectione de iure belli nu.* 28. Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 3. Molina *tomo* 1. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 103. §. *Quando inter duas*. Vasq. *hic disp.* 64. *c.* 3. *n.* 10. Salas *tract.* 8. *disp. vnica, sect.* 13. *nu.* 128. Palao *de conscientia disp.* 2. *punct.* 7. *nu.* 11. Ouiedo *tract.* 5. *disp.* 3. *num.* 91. *in fine*.

Probatur conclusio. Nam in casibus concl. qui non vult acceptare iusta media; vel acceptatis non vult stare resolutioni, apertè facit iniuriam alteri parti; ergo altera pars ratione illius manifestæ iniuriæ potest procedere contra iniuriam facientem, & vindicare id, ad quod iudicat conuenienter, se habere ius, & omnia damna illata, & altera pars manifeste facit iniuriam, ideò iniustè procedit, & tenetur restituere omnia damna prouenientia ex sua iniustitia, Antecedens satis patet. Nam qui se conformat debito iustè siue admittendo media inquirendi, quod iustus est, siue stando resolutioni, ex parte sua iuste procedit, & qui vel non admittit media pacis, quibus iustitia dubia declaretur, vel admissis non vult se conformare resolutioni, aperte facit, quod iustum non est, & irrogat alteri parti iniuriam. Consequentia verò est apertior, quia omnia mala sequuta ex iniusta actione tenetur restituere, qui saltem actionem perpetrat.

Dices. si bello iam incepto, pars contumax offerat satisfactionem tenetetur acceptare, quæ bellum infert? Caet. *in summa verbo, bellum*, quem sequitur Bannes 2. 2. *q* 40 *a.* 1. *dub.* §. 5. *sed in oppositum*, & in solutione ad 8. tenent satis

tis probabiliter, quòd quando res est femi confecta, & plures mortui, non tenetur acceptare, quia ad versarius non est iam in statu satisfaciendi, sed satis patiendi. Et sicut Iudex sententia probata non tenetur recipere satisfactionem, sed potest punire. *Sic* Rex offensus causa ad executionem perducta. Sed probabilius est dicendum, quòd inquocunque statu vna pars offerat debitas satisfactiones, & securitatem eius, alter debet acceptare, quia tunc continuatio belli, quæ noua damna minatur, iam est Voluntaria absque iusta causa. Syluester *verbo bellum*, 1. *q.* 10. *conclus.* 5. Bannez 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 8. *conculs.* 2. Candidus *disq.* 27. *n.* 7. §. *dico decimò* sed quid dicendum, si resolutio, siue sententia, siue ab arbitris, siue ab ipso Regno lata, habet legitimas appellationes poterit ne pars, in cuius fauorem fertur non expectata vltima sententia statim ditionem occupare, etiam armis, si est resistentia. Perez *certamine* 10. *Scholastico num.* 101. affirmat: quia tunc iam huius partis ratione sententiæ excedit ius alterius, in quo casu ipse existimat licitum esse bellum, & omnes, qui existimant idem cum Suarez *disp.* 13. *de charitate, num.* 2. 2. idem debent sequi. Sed dicendum est, quòd si fortè secunda superest sententia, vsque ad illam, non possit ditionem armis occupare quia aliàs frustra expectaretur vltima sententia; quando vnius potentia rem iam propriam efficit. Videatur Palao de conscientia *disput.* 2. *punct.* 7. *num.* 11.

DVBIVM XXXXVIII.

An quando qualibet Respublica non habens superiorem, & quilibet supremus Princeps in declarando, quandò iustè debet bellum inferre, talis declarationis actus sit quoddam genus sententiæ, & Bellum ipsum actus iustitiæ punitiua.

COnclusio. Qualibet Respubl. non habens superiorem, & quilibet supremus Princeps in declarando quando iustè debet bellum inferre, & in exercendo tale bellum procedit quoddammodo vt iudex, & actus talis declarationis est quoddam genus sententiæ, & bellum ipsum actus iustitiæ punitiuæ. dixi, *quoddammodo*, quia in hoc casu reperiuntur omnes conditiones rigorosæ iustitiæ, inquantum Respubl. suprema, vel Princeps absolutus procedunt contra partem rigorosè non subditam, in quo actus iustitiæ huius degenerant à rigorosa ratione iustitiæ, sicut etiam alij plures actus iustitię, vt patet in iure paterno, & dominatiuo, de quibus agit Sanctus Thom. 2. 2. *q.* 57. *a.* 6. Item posui prædictam limitationem, eo quòd non semper, & in omni statu potest vt iudex procedere ad sententiã contra alienam partem sibi nõ subditam, sed quando nõ est aliud mediũ componendi, seu vincendi ius suum. Quando enim Principatus, de quo litigatur, subditur alteri Principi, eius sententiæ standum est iuxta dicta. Item cùm ius est æquè dubium, & altera pars possidet, non potest quid contra illam attentare iuxta dicta. Et item in multis alijs casibus licèt fortasse posset dici etiam tunc esse iudicem, sed debere rectè iudicare, rem debere componi pacificè iuxta dictas Conclus. in præced. dubijs. Sed maiori proprietate procedi iudex, quãdo meritò potest declarare iuxta dicta, certã esse suam iustitiam, vel certò recepisse iniuriam, & illã debere armis vindicare. Conclusionem hanc tenent Caiet. *in summa, verbo Bellum* Bannez 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 1. §. *Tertiò notandum, & dub.* 2. *Conclus.* 4. Puente Hurtado de charitate, *disp.* 169. *sect.* 7. *§.* 66.

Probatur primò, qualibet Respubl. perfecta, seu Princeps eius ius habet declarandi, quando passus est iniuriam etiam ab extraneo, etiamsi aliter non potest habere satisfactionem indicandi bellum; sed vtrumq; horum spectat ad iustitiam: ergo qualibet Respubl. perfecta seu eius Princeps est quoddammodo iudex illius, à quo patitur iniuriam, & quem debellat. Maior ex eo patet; quòd Respubl. perfecta, seu Princeps eius debent habere omnia necessaria ad eius gubernationem, & sustentationem; aliàs non esset sibi sufficiens, & perfecta, vt dicitur *lib.* 3. *Politicorum*, ergò cùm non habeat superiorem ad quem recurrat pro declaratione, & emendatione iniuriæ illatæ, ipsa poterit declarare, & emendare etiam bello, cum aliud medium non suppetit. Minor etiam probatur, quia declarare iniuriam esse receptam, vel ius ad regnum ad se pertinere, & iniustè impediri ab alio, & multo magis bello iniuriam punire, ad iustitiam pertinet. Cùm enim sint actus recti, ad aliam virtutem non possunt spectare; & Consequentia probatur, quia declarare cui ius pertineat, & in quo iniuria sit facta, & multò magis punire delictum, ad iudicem pertinet, & ad iustitiam punitiuam. Qui ergo huiusmodi exercet, quantum ad aliquid, munus exercet iudicis, licèt desint aliæ conditiones ad rigorem rationis iudicis spectantes.

Secundò, nam præliũ, & executio armorum in bello iusto, est actus iustitiæ vindicatiuę; sed iustitia vindicatiua est virtus Principis, seu iudicis respectu rei: ergo in bello inducens illud, se habet iudex puniens reum. Maior ex eo patet, quod cum bellum fit iustum, est actus alicuius virtutis, nec potest alia assignari. Et item quia occidere ob delictum, in seruitutem redigere, bonis spoliare, apertè sunt actus iustitiæ vindicatiuæ. Minor verò quòd scilicet hæc virtus sit propria superioris, in quantum vt iudex punit, est expressa sententia S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad primum* de quo videantur Caiet. ibi, & Bannez 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 8. §. *sed in oppu.* Tertiò probatur. Nam licèt aliquis nõ sit subditus respectu alicuius Principis, sed tamen ratione delicti commissi contra eum, contrà eius territorium, vel subditos, efficitur iurisdictionis eius quantum ad punitionem, & emendationem talis delicti.

Sed prædictam Conclusionem aliqui negant, existimantes Rempub. vel Principem nullo modo posse se habere vt iudicem alterius non sibi subditi. Citatur in primis pro hac sententia Vasq. *disp.* 64. *c.* 3. §. *Hoc tamen*, vbi dicit se semper existimasse nihil probabilitatis habere, nec in paruam Reipubl. Christianæ perniciem fuisse. Sed ibi apertè loquitur de sententia, quæ asserit statim quòd Princeps, vt iudex declaret suum ius esse probabile, vel probabilius, posse illud armis vindicare, quod meritò nequit Vasq. nobiscum supra. Sed in eodem cap. *§. Quod si dicat* licèt etiam loquatur de Principe ferente sententiam suæ probabilis opinionis; sed videtur negare Principi rationem iudicij contra alium non subditum, inquantum adducit pro hac re aliqua argumenta, quę paulo post adducemus. Citatur

tatur etiam Salas *tract.* 8. *disp. vnica*, *sect* 13. *n.* 123. sed Salas *ibi* solùm loquitur, quando opinio est probabilis, vel probabilior, & tunc negat posse iudicare iuxta dicta. Castro Palao *de conscientia disp.* 2. *puncto* 7. *n.* 4. licèt etiam ibi de causa solùm probabili, vel probabiliori disputaret, sed absolutè negare videtur Principi rationem Iudicij in causa, de qua disputamus, addit tamen, *si de sententia propriè dicta sermo sit*, & ideò non sentit contrarium, cum nostra conclusio non ponat esse Iudicem, vel sententiam rigorosã. Ouiedo *vero tract.* 5. *contr.* 3. *n.* 90. negat Principibus rationem aliquam iudicij, vel sententiæ, & existimat Vasq id iudicasse improbabile, cùm, vt vidimus. Vasquez id non dicat.

Primum argumentum est. Vt vnus Princeps legitimè examinaret vtramque opinionem, & sẽtentiam proferret, & ita ius declararet, & Regnum sibi addiudicaret, deberet prius audire quacunque aliùs Princeps pro sua opinione, & iure allegaret, inaudita enim parte, suo tantum arbitrio, & diligentia rationes vtriusque partis examinare, & sententiam ferre Barbarorum est. Quòd verò alter alteri suas rationes mittat, videtur inconueniens, cùm vnus non debeat alteri subijci, neque parcere eius sententiæ. Respondetur, quòd cùm iuxta dicta ante bellum quilibet Princeps debeat rationes pro se, & iuris sui fundamentum alteri denuntiare, & alter sua, hinc efficitur, quod nota sint vtrique parti alterius fundamenta, & rationes, quidquid consueuerunt Principes ad sui Iuris satisfactionem, memoralia etiam apud exteras nationes suas iustitiam commendantia spargere, & hinc fine eo, quòd vnus alleget coram alio ad modum rei, alias poterit eius fundamenta cognoscere.

Arguitur secundò, cum non sit maior ratio vnius Principis, quam alterius, contingeret sæpè, quòd siuterque Princeps rationes daret coram alio illis cum suis perpensis, vterque declararet suam causam esse probabiliorem, vel certam, & sic lata sententia pro se vterque iustè ad bellum procederet, & daretur bellum iustum ex vtraque parte.

Respondetur dicendo, quòd nisi interueniente ignorantia vincibili, vel inuincibili, non potest vtraque pars declarare seuũ ius esse euidens, & certum, alias daretur bellum iustum ex vtraque parte, quod sine ignorantia non contingit; illa verò supposita si est inuincibilis, vterque licitè concurrit ad arma pro suo iure euidenti, vt est communis opinio iuxta dicta. Quòd si ignorantia est vincibilis, illa pars procedit iustè, si autem vtraque pars, vt iudex declaret suũ ius esse probabile, vel probabilius, non potest ex hoc ad arma procedere iuxta dicta, sed debet rem ratione componere iuxta dicta. vnde non sequitur inconueniens.

Arguitur tertiò Ipse supremus Princeps superior non est alterius cum eo de regno litigantis ergo non potest esse iudex cũ iudex nõ sit aliquis illius cuius iurisdictioni non subijcitur. Respondetur primò, quòd licèt vnus Princeps non sit superior alterius secundùm se, sed ratione iniuriæ illatæ, quodammodo efficitur eius subditus, vt vidi? supra. secundò dico, quòd ex eo quòd non sit verè subditus alterius, deficit alter à ratione rigorosi iudicis, & eius decretum à ratione rigorosę sententiæ, vt diximus in conclusione. Cæterum, quæ nocumenta liceat facere in bello, an populos incendere, & homines etiam innocentes occidere; & quibus hæc damna debeant inferri, & quando hæc obligant ad restitutionem? longa disputatio est, quæ non pertinet ad hunc locum, se propriã sedem habent 2. 2. q. 40. a. 2. & 6. vbi videãtur Bannas, & alij expositores. Videantur etiam Syluester *verbo bellum* 1. *n.* 9. & 10 & 11. Victoria *relect. de iure belli, n.* 1. *usque ad* 19. & *n.* 33. *cum sequentibus*. *Candidus disq*; 17. *a.* 4. 5. 6. 7. & 8.

DVBIVM XXXIX.

De Iusta causa bellandi ex parte militum; an scilicet Princeps Catholicus, vel Respubl. bellũ iustè gerens cùm aliquo Principe Catholico, vel Republica possit licitè vocare in auxilium suum milites hereticos, vel Paganos, vt Turcbas, Saracenos, Piratas, &c.

COnclusio per se loquendo, seu ex natura rei demptis alijs malis circumstantijs, licitè potest Respub. vel Princeps Catholicus bellum iustũ gerens, siuè cùm alijs Catholicis, siue Hereticis, & Paganis in auxilium suũ asciscere siuè Hereticos, seu Paganos; sed per accidens, si timent. ex hoc scandalum Ecclesiæ, pernicies eius, horribilia facta contra Deum, & legem naturæ, id redditur illicitum, & grauissimum peccatum.

Pro huius Concl. declaratione est notandum cum omni doctrina Theologorum, quòd multa per se, & absolutè considerata sunt licita, quę ratione scandali, & aliarum circumstantiarum redduntur illicita, quod Apostolus expressè tradit ad Rom. 14. 20. loquens enim de esu carnium, quæ idolis erant immolatæ, ex quo multo scandalizabuntur, ait: *Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidẽ munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur &c.* Quod latius ostendit in prima ad Chorintios toto cap. 8. Sic ergo est intelligenda nostra Conclusio, quod per se licitum est, sed ex adiunctis frequenter illicitum potest esse. Præcedentem Conclus. quantum ad vtramque partem tenent Syluester *verbo Bellum* 1. *q.* 8. *Concl.* 3. Ioannes Maioris *in* 4. *dist.* 15. *q.* 15. Bannes 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 1. Sanchez *lib.* 2. *operis moralis c.* 31. *num.* 24. Candidus *disq* 27. *art.* 1. *num.* 5. Probatur primò prima pars Concl. Nam 1. *Machabeorum* 8. 17. Iudas Machabæus iniuit fœdus cum Romanis Gentilibus, in quo continebatur quòd facta occasione addiuuaretur ab eis in prælijs, & vicissim adiuuaret eos, & *c.* 12. 1. Ionatas Machabęus Iudæ frater, renouauit idem fœdus, & *c.* 14. 18. Simon Machabæus renouat fœdus cum Spartiatis, & *versu* 28. cum Romanis, & Carolus V. Romanorum Imperator, & Rex Hispaniæ in bello contra Gallos Catholicos ex Consilio Theologorum vsus est militibus germanis Lutheranis.

Probatur secundò. In bello iusto licitum est vti auxilio Bestiarum, & Elephantorum, Leonum, Camelorum, equorum, immò etiam machinis. tormentis æreis, sclopetis, & minis: ergo etiam infidelibus; non enim attenditur ad qualitatem rei, sed ad vtilitatem, ad finem intentum. Probatur tertiò. Infideles quicunque licitè possunt addiuuare Principem Catholicum in iusto bello, ergo Princeps

Princeps Catholicus [licitè potest illos vocare ad bellum iustum. Antecedens est certum quia in bello iusto cùm sit actus laudabilis, quilibet potest esse fortius, vt videbimus infrà. Et Consequentia probatur, nam quòd alij possunt sponte sua rectè facere, licitè quoque potest ab eis peti. Quartò. licitum est, per se loquendo, Christianis auxilium ferre etiam Paganis in bello iusto, etiam si sit contrà Christianos: ergo licitum erit eis adducere ad iustum bellum, etiam contra Christianos. Antecedens infra ostendetur; & Consequentia probatur, quia minus est quòd infidelis adiuuet Christianos cōtra Christianos quā quod Christiani adiuuent infideles contra Christianos.

Secunda pars Concl. probatur primò, nam regulariter loquendo ex hoc, quòd infidelis vocentur contrà Christianos plura oriuntur scandala, non enim verentur diuina, neque humana. Violant Ecclæsias, prophanant, & incendunt templa, abuntur non solùm fœminis, sed pueris personas sacras dehonorant, capiunt pueros, & puellas, vt faciant abnegata fide Catholica transire in suos errores. Immò quandoque plus sunt nociui, quā proficui, etiam eis, qui eos aduocarent, indisciplinati, rebelles, nōn minus amicis, quam inimicis damna inferentes. Cùm enim Hungariæ Regina, vt Budam, & Regnum Hungariæ contra Austriacam domum defenderet, introduxit in Ciuitatem Turchas, vsque ad hodiernum diem, & ciuitatem illam, & magnam regni partem possident. Propter quæ regulariter scandalum est, huiusmodi aduocare, qua de re Franciscus Rex Christianissimus malè audiuit apud omnes, quando contra Carolum 2. Imperatorem, & Regem Hispaniæ Turcas adduxit.

Secundò probatur; Hac enim de causa in sacris litteris reprehendere ferre auxilium infidelibus. Nam 2. Paralipomenō 16. *q.* reprehenditur à Propheta Rex Asa, eo quòd in auxilium suum vocauit Benadab Regem Syriæ, contra Regem Israel, & dixit ei inter alia: *stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore ad versum te bella consurgent*. Ex prædicta Doctrina apertiùs sequitur, non licere Principibus Catholicis inter se bellantibus, vt diuidant vires cōtrarij, seu Rex possit ex alijs Prouincijs adiuuari, aduocare contra eos, & totam ditionem christianam classem Turcarum, tunc enim, vt aliquando experti sumus, subsidium, quod inde capit aduocans, est exiguū, & incertum, sed maxima sunt damna, & scandala populi Christiani.

Petes 1. *An Princeps Catholicus possit adiuuare exercitu suo, pecunia, & Armis Principem Hereticorum, vel Paganorum in bello iusto, quod gerit, siue cum alio Heretico, siue etiam cum Catholico.*

Conclusio. Per se loquendo, licet viro Catholico opem ferre infidelibus paganis in bello iusto, etiam contra Christianos; sed per accidens ratione scandali, vel nocumenti notabilis Religionis Catholicæ, ea iniuriarum, quę solent locis Sanctis ad infidelibus vincentibus irrogari, non licet. Conclusio hęc explicatur vt præcedens dubij positi eāque defendunt Auctores citati pro illa. Probatur prima pars primò, nam 1. *Regum* 28. & 29. 2. David cum suis auxiliatus est Regi Achis infideli, s contra populum Dei, de qua reuideatur Abulen s super *caput* 28 *citatum supra, & lib.* 1. *Machab. c.* 11. 40. Ionathas Machabæus misit milites Iudæos, & sic fideles in auxilium Demetrij Regis infidelis. Secundò probatur. Nam licitum est vnicuique alium in bono opere adiuuare, sed bellum iustum est opus bonum, vt vidimus; ergo adiuuare alium in bello iusto, licitum est vnicuique, per se loquendo.

Secunda verò pars probatur primò. Ideò *nu.* 2. *Paralipomenon* 19. 2. reprehēditur Rex Iosaphat, eo quod prębuit auxilium impio Regi Achaz, his verbis: *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris.* Et S. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 10. *ad* 2. docet, Regem istum in eo auxilio peccasse non ex malitia, sed ex infirmitate humanæ affectionis. Peccabit igitur, impio auxilium dando, sed non quia bellum erat iniustum, cum esset in defensionem Regni Israel contra inuasores: ergo ex hoc, quòd adiuuando iniquum multa mala, & scandalum sequebatur.

Secundò probatur ratione, quia ex hoc, quòd fideles adiuuent infideli in bello iusto, possunt sequi talia inconuenientia, quòd reddatur illicitum, nam si solum sequeretur, quòd infidelis suum ius assequatur, liceret, sed solet sequi, quod Ecclesię destruantur, sancta prophanentur infantes ad infidelitatem transferantur, quòd ex hoc ipsi infideles adeò potentes efficiātur, quòd postea Christiani, si barbare ab eis, & contra rationem impetantur, resistere non valeant, qua ratione ex ea infelici pugna, qua fuit victus Rodericus Rex Gothorum à Mauris, destructam vidimus totam Hispaniam ab eis, & sępè vidimus à Turcis ingentes Christianorū terras occupatas, & in eis Religionem pro maiori parte labefactatam.

Dubiolum est; quando milites possint, & teneantur militare pro suo proprio Principe, vel extraneo, & quando nec teneantur, nec possunt? & similiter, quando Respub. vel Princeps cum suis possint adiuuare in bello?

Diximus supra, ad rationem iusti belli causam iustam requiri, tenerique Principem, vel Rempubl. antequam bellum decernant, causam diligentissime examinare: restat ergo videndum, an alij Principes, vt suis adiuuent bellantem, vel machinis, vestimentis, seu pecunijs; & particulares milites, siuè proprij vassalli bellantes, siuè alterius Principis, antequam negotium aggrediantur, teneantur causam examinare, an sit iusta, nec ne, vt intelligant, si iustè possunt illi adherere suo auxilio. pro quo sit.

DVBIVM L.

An Proceres proprij, vel extranei ad consilia supremi Principis vocati, quibus decernunt Bella, teneantur diligentissimè causam, & iustitiam inuestigare, & non nisi ex iusta causa bellum consulere; & quid subditi, & Vassalli circa hoc facere debeant.

PRima Conclusio. Illi proceres propij, vel extranei, qui vocantur ad consilia, quibus Respub. vel Princi pes supremi decernunt Bella, tenentur diligentissimè causam, & iustitiam inuestigare, & non consullere bellum, vel in illud concurrere, nisi ex iusta causa iuxta dicta, sed alj Proceres, Princeps, vel particulares personæ, siuè vasalli sint, siue extranei non tenentur causam huiusmodi examinare. Sic Victoria *in relect. de iure Belli n.* 24. & 31. & Bannez 2. 2 *q.* 40 *a.* 1. *dub.*

dub. 6. §. ex quo sequitur, & §. ex dictis. Candidus *disquis. 27. art. 2. n. 5. §. dico septimò, & dico nono.*

Prima pars probatur, quia illi sunt consiliarij, ex quorum decreto bella executioni mandantur, atque adeò sunt causæ moraliter influentes in talem effectum, atque adeò malum sequutum illis imputatur. Secunda pars probatur, quoniã cederet in perniciem Reipubl. si singulis militi esset reddẽda ratio de iustitia Belli, videtur enim impossibile, quòd tanta multitudo conueniet, & esset capax omnium rationum; ergo sufficienter prouisum est conscientiæ militum deponendo suã conscientiam, & dubium, in Principes, & consiliarios.

Secunda conclusio. Principes, & particulares personę, siue vassalli sint bellanti, siue extranei, si eis constat, quòd Bellum est iustum, possunt tale bellum prosequi: si autem illis constat tale bellum esse iniustum, aut quod idem est, bellantem Principem, seu Rempub. esse dubiam suæ iustitiæ, & sic bellum inferre in casu, in quo non debet fieri, tenentur non bellare, nec adiuuare bellum, aliàs grauissimè peccant: Hæc conclusio debet esse omnibus communis, de qua videantur S. August. *lib. 22. contra Faustum cap. 75.* cuius verba adducemus *concl. sequenti.* Victoria *in relect. de iure Belli n. 22.* Bannez 2. 2. *q. 40. art. 1. dub. 6. §. secundò est notandum, & conclus. 3.* Candidus *disq. 27. art. 2. nu. 6.*

Probatur primò; licitum est vnicuique alium in re licita, & illicitum est adiuuare illum in re illicita; sed gerere bellum iustum, est res licita, & gerere bellum iniustum, res illicita: ergo vnicuique licet adiuuare bellum iustum, & omnibus est illicitum adiuuare bellum illicitum. Maior ex se constat; & minor ex dictis, & consequentia est aperta. Secundò probatur. Bellum indictum à Principe dubitante de iustitia eius, sui aliàs in casu, in quo non licet, est iniustum; ergo si hæc iniustitia constat militibus etiam subditis Principi non licet eis addiuuare in tali bello, cum constat esse iniustum. Tertiò Ministri iustitię, licet non possent exequi sententiam, quam scirent esse iniustam: ergo neque similites vassalli, vel stipendio conducti possunt exequi bellum iniustũ, eo quòd vtrique sunt instrumentum Superioris

Tertia conclusio. Omnes subditi, seu vasalli illius, qui bellum gerit, & omnes etiam vasalli, qui actu sunt eius milites, & eius stipendijs sunt conducti, etiam si dubitent de iustitia belli, dummodo illis non constet, esse iniustum, possunt, & debent sequi illud relinquentes Principi examinare causas eius, & dubium discernere. Alij verò siue Principes, siuè particulares personę, qui neque sunt subditi, neque stipendij adhuc conducti, dum manent in vero dubio rigoroso, non possunt militare. Dixi in dubio rigoroso, nam si opinantur esse causam iustam, poterunt, vt statim videbimus. Probatur primò ex S. August. *lib. 22. contra Faustum, cap. 75.* & refertur *in decreto, cap. quid culpatur 23. q. 1.* vbi docet, quòd vir iustus si forte sub Rege etiam sacrilego militet, bene potest illo iubente bellare, cuiquod iubetur, vel non esse contra Dei Præceptum certum est, vel vtrum sit certum, non est itaut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi innocentem autem militem ostendat ordo seruitutis. Eandem conclus. docent Syluester *verbo Bellum q. 9.* Bannes 2. 2. *q. d. art. 1.* Molina *tom. 1. de iustitia, tract. 2. disput. 103. conclus. 3.* Suarez *de charitate.* Thomas Sanchez *in Decalogum, lib. 6. cap. 3. num. 15.*

Secundò probatur. In dubijs tutior pars est eligenda, vt docet Clemens III. *in cap. Ad audientiam* extra de Homicidio. Sed tutius est in casu concl. quòd Vasallus, vel ille, qui stipendijs ductus, est, ac subdictus effectus, sequantur mãdatum Principis, quòd est certum & patens, quã quod ex causa incerta repugnent: ergo debent obedire. Tertiò non pertinet ad milites examinare causas Belli, vt vid. supra. ergo stante dubio, & illo deposito ad consilium Principis, bona fide potest bellare. Confirmatur: lictor potest exequi sententiam iudicis quamuis dubitet de iustitia illius; quia non pertinet ad illum sententiam examinare, & ideò ipse certus est, quòd rectè procedit, exequendo, quod iudex iudicat. Ergo eisdem rationibus miles, quacunque ratione subditur Principi.

Quartò probatur. Mulier dubitans an iste sit vir suus, potest, immò tenetur reddere debitum illi quandiu non constet veritas, vt patet ex *cap. Inquisitioni* extra de sententia ex communicationis, & *cap. Dominus*, extra de secundis nuptijs & ratio est, quia propter dubium mulieris non potest vir deturbari a possessione mariti: ergo similiter miles dubitans Principe præcipiente tenetur parere. Quintò hic se offerunt duo pericula, alterum non obediendi, imò nocendi extraneo; sed magis tenetur miles vitare nocumentum proprij Principis, quam extranei: ergo potest bellare.

Sextò. Quotiescunque subditus præcipitur facere aliquid, in cuius exercitio se habet vt instrumentalis causa in ordine ad affectum principalis agentis, tenetur obedire etiamsi dubitet, an Superior iustè præcipiat; sed milites in bello habent se vt instrumenta respectu Principis gerentis illud: ergo in dubio debent obedire. Maior probatur primò, nam hæc est differentia inter causam principalem, & instrumentalem, quòd principalis agit per propriam formam, instrumentalis solum vt mota a prima. Et ita in moralibus, causa principalis debet agere proprio consilio, & deliberatione, non vero instrumentalis.

Contra præcedentem conclusionem tenet Adrianus *quodlibeto 2. q. 1. puncto 3.* vbi conatur respondere rationibus pro Conclus. adductis sed eius solutiones retunduntur à Bannez 2. 2 *q. 40. art. 1. dub. 6. §. Adrianus tamen*, & à Victoria *in relect. citata, num. 30.*

DVBIVM LI.

Quando se gerere debeant Milites, qui non sunt subditi vocati à Principe extraneo, circa iustitiam Belli.

Conclusio Milites, qui non sunt subditi, vel stipendiarij, bellantes, si positiuè dubitent de iustitia belli, bellare non possunt, nisi aliquo modo tale dubium deponat. Sic Syluest. *verbo, Bellum 1. nu. 10. conclus. 8.* Bannez 2. 2. *q. 40. dub. 6. conclus. 2.* Valentia *tom. 3. disput. 7. q. 16. puncto 2. §. Si autem.* Candidus *disq. 2. a. 2. num. 5. §. Dico octauo.* Molina *tom. 1. dub. 114. in principio.* Probatur primò, nam vt habetur *de regula iuris in 6. regula 19.* non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, se immiscit,

est; sed bellum non pertinet ad eum, qui vasallus non est, nec miles stipendio iam ante conductus: ergo culpabiliter se ingerit.

Secundò; isti milites sunt liberi, & possunt nō pugnare, & pugnando exponunt se periculo faciendi iniurias alteri; ergo id non possunt licitè facere. Patet Consequentia, quia in dubijs tutior pars est eligenda. Confirmatur isti milites nondum sunt subditi aliquo modo Principis bellantis, neque illi iguoran iniurias, si illos non sequuntur in tali bello: ergo ex hac parte nullum est periculum, & si sequantur bellum exponunt e periculo faciendi iniuriam alteri parti. Tertiò probatur Mulier quæ dubitat de morte prioris viri, non potest alteri nubere, quia in non nubendo non est periculùm, in nubendo est periculum iniuriæ prioris viri. Ergo similiter miles, qui est liber non potest adhærere vni Principi, dum dubitat, an arrogat iniuriam alteri.

Secunda Conclusio. Principes, & personæ etiā non subiectæ bellanti, quidum vident Principem probum, & habent probos consiliarios maturè bellum indicentem, bona fide sibi persuadent, iustam esse causam, etiamsi apertè ad eos constet, licitè possunt adiuuare partes talis Principis, nisi fortè habeant vehementes rationes dubitandi de iustitia illius belli sic Caiet. *in summa, verbo bellum.* Victoria *in relecti de iure belli nu.* 24. Bannez 2. 2. *q.* 40. *art* 1. *dub.* 1. §. *ex quo sequitur vltimo* Suarez *disp.* 13. *de charitate, sect.* 6. *num.* 9. *&* 11. Candidus *disq.* 37. *num.* 5. §. *Dico nono.* Castro Palao *de conscientia opinione disp.* 3. *dub.* 8. *num.* 2. *&* 24. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3. *puncto* 8.

Prima pars Conclusionis probatur primò. Quoniam ad ipsos non pertinet ex professo discutere causas belli, vt dictum est. Ergo sufficiet eis, quòd bona fide sequantur causam, quam existimant esse legitimam Confirmatur, quia, sic prudenter operantur sequentes suum Principiū, & Consiliarios. Secundo probatur, quoniam alias ferè omnes milites essent in peccato mortali, quia qui curatiùs procedunt, procedunt modo assignato in hac Conclus. Confirmatur, quia, aliàs sæpè remanent perplexi, & exponerentur, irrogare iniuriam Principi bellanti. Tertiò, nam bellum inditum ab habente auctoritatem in dubio præsumitur iustum, vt ex Panormitano tradit Syluest. verbo *Bellum* 1. *num.* 5. Mascardus *verbo Bellum num.* 5. Menochus *de præsumptionibus, lib.* 6. *præsumptione q.* 6. *num.* 7. Ergo miles prudenter præsumit se sequi iustam causam.

Quartò; nam vnicuique licitum est alterum iuuare in re, quæ præsumitur iusta, maximè si non leue emolumentum inde percipiat. Secunda apars Conclus. probatur primò, quia potest esse tam manifesta iniustitia causæ, & communiter apud plures cognita, vt illam omnino ignorare non possunt milites, & tunc tenentur abstinere. Secundò, quia talia iudicia, & ratio, dubitandi se posset offerre, quod redderet conscientiam erroneam, vt aduertit Victoria *in relect. citata de iure belli num.* 26.

Tertia Conclusio. Principes, vel similiter quicunque, qui nullatenus attendunt ad iustitiam belli, sed parati sunt adiuuare eam partem, vnde maior vtilitas illi est pro uentura, vel acceptari sint maiora, stipendia, sunt in statu damnationis nec possunt absolui donec propositum mutent. Sic Caiet. *in summa verbo Bellum*, & Syluester; Bannez 2. 2. *q.* 40. *ar.* 1. *dub.* 6. §. *Secundò Colligitur.*

Probatur, Quia tales personæ habent animū paratum ad quodcunque bellum, etiam iniustum; ergo sunt in statu peccati mortali, sicut ille qui paratus est accedere ad quamcunque mulierem, siue propria sit, siue extranea. Confirmatur primò; Meretrices ideò sunt semper in malo statu, etiam quando non fornicantur, quia paratæ sunt ad fornicationem. Secundò, quia ille, qui paratus est dare ad vsuram cuicunque poscenti, eadē ratione semper est in malo statu. Tertio quia etiam ille, qui dispositus est iurare siue verum, siuè falsum, data occasione, continuò est in malo statu. Ergo similiter, qui paratus est bellare tam in bello iusto, quam iniusto.

DVBIVM LII.

Quam Opinionem sequi debeat medicus, & Chirurgus in curanda circa medicamenta certa & dubia.

NOmine medici & Chirurgi intelligo omnem illum, qui quoquo modo intendit curæ infirmi in suo gradu. Dixi autem *in suo gradu*, quia dum certò non constat medicamentum esse nociuum, chirurgus, & infirmarius, seu infirmi seruitur, tenetur exequi quod medicus, vel maior pars eorum, si plures sunt, decernit. Deinde est aduertēdum quòd in ordine ad sanitatem infirmi non omnia medicamenta sunt æqualiter conuenientia. Nam quędam certò constat esse conuenientia, quorumdam conuenientia est sub opinione magis, vel minus probabili, & aliquorum conuenientia est sub dubio rigoroso, & negatiuo, & hoc rursus contingit dupliciter; nam aliquando tam opinio, quàm dubium est solùm circa hoc, an prosit tale medicamentum, vel non prosit, sed certum est, quòd damnare non possit. Aliquando opinio, vel dubium est an prosit, vel noceat, causet salutem, vel aggrauet infirmitatem. Dicemus ergo prius quæ apud omnes certa habentur, & postea descendemus ad alia, quę controuertuntur.

Prima Conclusio. Medicus, seu quicunque medens quamcunque ęgritudinem, alicuius momenti, debet necessariò præsupponere duo quæ si non pręsupponat, peccat mortaliter. Primum est cognoscere ęgritudinem, siue ex relatione, siue ex signis. Secundum est habere scientiā curationis talis morbi, vel quia modus medendi vtpotè communis cognitus est Medico, vel quia studio adhibito, eius quęrit notitiam. conclusio hæc omnibus debet esse communis, quam tradunt Syluest. *verbo, Medicus num.* 1. & Caiet. *eodem vrbo in principio.*

Prima pars apertè conuincitur ex eo quia morbi incogniti nullum est via curæ. Et secenda pars ex eo, quòd dum non ad est sufficiens notitia de remedijs talis ægritudinis, vel iam ex vsu supposita, vel de nouo studendo aquisita, necessè est quòd procedat temerè tentando, quæ fuerint conuenientia, exponendo periculo salutem, & vitam proximi. Melius est enim indubio relinquere infirmum regimini naturæ, quàm diuinando exponere illum periculo.

Ex præfata conclusione colligitur primò, quòd illi, qui absque notitia morborum assumunt curatorem aliorum quibusdam receptis, seu medicinis,

dicinis, quas fine delectu applicant fortis committentes, an sanent, vel infirment, seu occidant, vt faciunt quidam, quos *herbolarios* vocant, mortaliter peccant regulariter, & similiter, qui temerè se illi committunt quia cum morbi eiusdem speciei iuxta varias complexiones subiectorum varia participent accidentia, fit inde, vt quod vni proficit ex qualitate callida, alteri maius nocumentum inferat ex eadem caloris intemperie; cum subiectum ex se abundet plusquam conueniens esset calore, quo de nouo irritato incidit in febres putridas, & exitiales, & idem est loquendo de alijs humoribus. secundò colligitur assistentes infirmo, seu seruitores sępè mortaliter peccare, quando relictis remedijs assignatis à Medico, alia pro sua voluntate infirmo applicant, velei aquam, vel contra præceptum propinant. sic Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficul.* 16. *circa finem*, & Palao *lib.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *puncto* 9. *in fine*.

Secunda conclusio, cum datur medicamentum certum iuxta vsum artis, Medicus tenetur ex iustitia, & charitate applicare illud, relicto medicamento probabili, & dubio. Conclusio hæc omnibus debet esse communis, de qua videantur Vasquez 1. 2. *disp.* 68. *cap.* 4. *n.* 23. Salas *tract.* 8. *n.* 135. *Azor tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* Thomas Zanchez *lib.* 1. *Decalog.* 1.9.*n.*38. Ioannes Sanchez *disp.* 44. *n.* 36. Palao *de conscientia opinante disp.* 2. *puncto* 9. *n.* 1. & Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3. *n.* 3. Layman *tract.* 1. *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 15. Diana *parte* 2. *tract.* 13. *resolut* 7. Probatur, quia Medicus ex officio, & charitate tenetur consulere saluti infirmi, non exponendo periculo, si fieri possit, sed vtendo medicamento certo, relicto probabili, & dubio, certò prospicit salutem non exponendo periculo; ergo id tenetur præstare.

Confirmatur, nam ex hoc, quod probabile est aliquod medicamentum profuturum, non sequitur probabile esse, quod possit medicamento tali vti medicus, eo quòd est contra omnem prudentiam relinquere, quod certum, & sequi quod incertum, quale est probabile, neque omnis probabilis in practica; & ideò licèt sit probabile, quòd tale medicamentum proficiet, sed non est probabile, quod medicus possit illo vti, vt locis cit. fatentur Palao, & Ouiedo: quod notetur pro his quæ circa sequelam cuiuscunque probabilis opinionis manent dicta in hac disput.

Tertia conclusio. Si facta diligentia non reperit medicamentum certum, potest applicari medicamentum probabile, & illo non inuento medicamentum dubium, quod intelligo de medicamento, de quo est scientia probabilis quòd proficiet, aut non proficiet; & de quo est dubium rigorosum an proficiet, vel non proficiet. Quando verò est opinio vel dubium, an proficiat, vel noceat, dicemus paulò post. Hæc conclusio etiam debet esse communis, de qua videantur Valentia *tomo* 3. *disp.* 3. *q.* 10. *parte* 2. Thom. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi c.* 9. *n.* 82. Palao *de conscientia opinante, disp.* 2 *punct.* 9. *n.* 1. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 3. *num.* 2.

Probatur deficiente medio certo, vel planè sępè deficit, non est deferendus infirmus; restat ergo quod det medicamentum probabilius, & eo deficiente, probabile, & eo deficiente, dubium. Patet consequentia loquendo, vt loquimur de medicamento, quod probabiliter, vel sub dubio proficiet. (nam de eo, de quo etiam est probabilitas; vel sub dubio quòd noceat, dicemus postea) Quia conuenientius est infirmo sumere medicamentum, quod potest prodesse, & non obesse, quàm omninò carere medicamento.

Quarta Conclusio. Non licet medico experiri in infirmis, etiam morituris an medicamentum sit proficuum, vel nociuum, quando superest medicamentum probabile etiam debet esse communis, de qua videantur Corduba *lib.* 3. *q.* 5. Nauarro *c.* 25. *n.* 6. Vasquez 1. 2. *disp.* 9. 8. Salas *tract.* 9. *n.* 135. Azor *lib.* 2. *c.* 17. *q.* 11. Thomas Sanchez *libro* 1. *Decalog. c.* 9. *n.* 38. Sayrus *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 6. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficult.* 16. *n.* 1. & 4. Palao *de conscientia opinatiua, disp.* 2. *punct.* 8. *num.* 3. & Ouiedo *loco citato, num.* 111.

DVBIVM XXXXXIII.

An Medicus teneatur post tertium diem admonere Infirmum, vt confiteatur, quod si non faciat, peccat mortaliter, & regulariter est periurus.

CONclusio. Medicus tenetur post tertium diem infirmitatis admonere infirmum, vt confiteatur, quòd si non facit, mortaliter peccat, & regulariter est periurus. Conclusio debet esse communis. Probatur, nam, caput *cum infirmitas, de pænitentijs, & remissionibus*, Innocentius 3. & Pius V. in motu proprio edito 1566. cuius initium, *super gregem dominicum*, ita præcipiunt&. Pius V. præcipit Vniuersitatibus, & collegijs, vt dum licentias medici concedunt, exigant à Medicis iuramentum, ne vltra tertium diem ęgrotum visitent, nisi moneant infirmum vt confiteatur, & de confessione certior fiat Hæc constitutio Pij V. est tertia eius in Bullario. circa hanc autem conclusionem sequentia sunt aduertenda,

Primò, quòd medici non seruantes hoc decretum, vbi admissum non est, non peccant contra illud, nec sunt periuri, si iuramentum non pręstiterunt de qua re videantur Caiet. in summa, verbo *Medicus n.* 6. §. *siste pedem* Suarez *tomo* 4. *in* 3. *partem, disp.* 35. *sect.* 3. *n.* 5. Thomas Sanchez *opere morali lib.* 3. *c.* 16. *nu.* 15. & Candidus *disq.* 26. *a.* 14. *numero primo*. Secundò, quòd Medici tenentur ad pręditam admonitionem, dum est spes, quòd proficiet, nam si constet, non esse profuturam non debet fieri, quia admonitionis ratio tunc cessat, qua etiam ratione cessat præceptum correctionis fraternæ. si autem dubitatur de effectu, tenetur ad monere, quia in dubio tenetur procurare salutem animæ eius, videatur Syluester *verbo Medicus, q.* 3. §. *Quartum, si autem*.

Tertiò, quòd prędicta admonitio sufficiet, quòd fiet à Medico, etiam medicante alia persona idonea, quia intentio mandati solùm est, vt Sacramenta recipiat infirmus. Videatur Armilla *verbo, Medicus n.* 1. Quartò quòd si æger admonitus non vult confiteri, Pius V. iubet quòd deferatur à Medico, quòd non sic rigorose intelligendum est quasi in grauissima infirmitate relinquatur certo periculo; hoc enim esset contra charitatem, sed quòd debet comminari recessum, & prudentibus modis inducere infirmum, vt confiteatur. Videatur S. Antoninus *tertia parte Theologali tit.* 7. *c.* 2. §. 4 Syluest *verbo Medicus, quæst.* 3.

quaest. 3. *dicto secundo.* Quintò, quod si Morbus est leuis, nec timetur, quòd fiet grauis, non obligat prædicta ad monitio, nec iuramentum, eo quòd cùm tunc Infirmus non teneatur confiteri, graue videtur imponere mediũ, quòd ad confitendum cogat. Videatur Syluester *verbo Medicus q.* 3. *dicto tertio.*

Sexto, quòd Infirmus est in extrema necessitate, hoc est in periculo finiendi vitam in peccato mortali, & est spes, quòd confitebitur, Medicus tenetur etiam cum periculo iacturę bonorum temporalium, & proprię vitæ illũ admonere; quia ex præcepto Charitatis tenemur vitam spiritualem proximi existentis in extrema necessitate præferre nostrę saluti temporali, vt colligitur ex S. Th. *in* 3. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 8. *ad* 2. videantur Bannez 2. 2. *q.* 33. *a.* 3. *dub.* 4. *conclus.* 3. verum si alius admonet, non tenetur ad id medicus. Videantur S. Th. 2. 2. *q.* 26. *a.* 5. *in corpore, & ad* 3, & Candidus *disq.* 26. *a.* 14. *n.* 4 *in fine.*

Petes. *An liceat nullum applicare medicamentum Infirmo, de quo certa mors est, & de quo dubitatur, an sit proficuum, vel nocivum.*

Sub dubio autem est, vtrum liceat applicare Infirmo, cui nullum probabile medicamentum superest, & certa mors est si nullum applicetur Medicamentum, de quo dubitatur, an sit proficuum, vel noccivum, cum contingentia recuperandę sanitatis, & periculo accelerandi Mortem; Dixi; *& certa mors est, si nullum remedium applicetur*, nam cùm talis est infirmitas, quòd non videatur allatura mortem, certum reputo non licere dare Medicamentum de quo est dubium, an noceat, vel occidat, quia vt dicit Caiet. *in summa verbo, Medicus post initium*, Melius est relinquere infirmum regimini naturæ, quàm diuinando exponere illum periculo.

Prima sententia affirmat esse licitum; immò & conueniens in eo casu infirmo morituro applicare medicamentum, de quo est dubium rigorosum, an sanet, vel occidat citiùs, quem sequuntur Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 10. *puncto* 2. vbi ad hunc sensum intelligit illud Documentum Galeni, *Interfice audacter* Reginaldus *lib.* 13. *num.* 99. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 9. Gaspar Hurtado *disp.* 4. *de conscientia n.* 9. Thomas Sanchez *lib. primo Summae, cap.* 6. *n.* 38. vbi pro hac sententia refert Manuelem, & Cordubam, Layman *lib.* 1 *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. & probabilem reputat Filliucius *tomo* 2. *tract.* 21. *capite* 4. *num.* 152.

Argumentum primum, ex applicatione talis medicamenti solùm sequitur periculum accelerandi mortem ægroto, qui reuera paulò post moriturus erat; sed hoc periculum sufficienter compensatur spe, quæuis dubia salutis obtinendę; magis enim præponderat longæuitæ tempus, quod adepta sanitate forsan supererit, quam accelleratio Moris, paulò antequam euentura esset. secundum Argumentum. Applicatio talis medicamenti est tutior, quàm non applicatio: ergo hoc medium eligi debet in dubio Antecedens probatur, tutius enim est salutis spes, quamuis dubiam adipisci, quàm ęgrum in morte certa relinqui.

Secunda sententia est non esse licitum in casu, de quo disputamus vti tali medicamento, quam tenet Innocentius *in cap. tua nos, de homicidio, §. ad vltimum n.* 1. Abbas *ibi num.* 4. Syluester *verbo Medicus quaest.* 4. Angelus *ibi n.* 2. Nauarrus *in summa cap.* 25. *n.* 61. Vasquez 1. 2. *disp.* 64. *cap.* 4. *n.* 12. Montesinos 1. 2 *disp.* 29. *q.* 5. *n.* 215. Salas *tract.* 8. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *c* 17. Sayrus *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 9. 10. *&* 11. Villalobos *tom.* 1. *summae tract.* 1. *difficultate* 19. *n.* 1. Palao *tom.* 1 *tract.* 1. *disput.* 2. *puncto* 9. *nu.* 5. Ouiedo *tract.* 5. *controuersia* 3. *num* 113.

Primum argumenrum; si Medicus in casu; de quo disputamus, det tale medicamentum infirmo, sè exponit periculo accellerandi mortem infirmi, quod in se malum est, dices, hoc malum cohonestatur spe maioris boni, nẽpè salutis dubiæ sed contra est, quòd non sunt facienda mala, vt veniant bona, vt Colligitur ex Apostolo *ad Rom.* 3. 8. vndę nec propter maius bonum potest fieri minus malum. Secundo. Nam si Infirmus absque aliquo medicamento moriatur; id contingit ex vi morbi; si autem moriatur ex medicamento dubio: Mors procedet à Medico; melius est autem Infirmum vi morbi, cui nullum superest probabile medicamentum, interimi, quàm à medico vtente dubio medicamento, interfici.

Conclusio. Probabilior est secunda sententia, nempe non posse dari tali infirmo medicamentũ, de quo est æquale dubium, an sanet, vel interimat, quæ auctoribus, & rationibus inductis satis probatur.

Ad primum argumentum pro prima sententia, negamus minorem, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona, Nec infert infirmi minus malum esse huic periculo exponi, quàm certam mortem subire; quia etiam minus malum esset homini in facie vulnere percuti, quam occidi. Et nihilominus mihi non licebit eum in facie vulnerare, etiãsi scirem ideò non esse interficiendum ab inimico, Deinde minus malum esse gladio breuissime iugulari, quàm diris tormentis longa morte vitam finire, & non licet mihi hominem gladio repentè à vita tollere, ne diu crucietur ab ægritudine mortifera, vel à Tyranno. Antecedens patet ex illo Ecclesiastici 30. 117. *Melior est Mors, quam vita amara*; & Consequentia ex illo 2. *Regium* 1. 9. vbi cùm Saul iaceret à seipsò ad mortem vulneratus, ne veniret in manus inimicorum, dixit ad quemdam Amalecitani; *Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiae, & adhuc tota anima mea in me est. Stansque super eum, occidi illum; sciebam enim, quòd viuere non poterat post ruinam, &* postea *versu* 14. acriter reprehendit Dauid hanc occisionem, & pro ea iussit occisorem occidi. Certum ergo debet esse, quòd non licet, hominem etiam certò moriturum, quacunque de causa citius interficere. Ad secundum nego antecedens: Ad probationem nego esse tutius dare spem salutis dubiam, quam sinere mori, si me expono periculo Homicidij, vt reuera se exponet Medicus in nostro casu.

DVBIVM LIV.

In casu, in quo non est medicamentum certum, sed sunt opiniones circa varia medicamenta; An teneatur Medicus sequi probabiliorem, & tutiorem.

PRima sententia est, Medicum posse sequi quãcunque probabilem opinionem, relicta probabiliori, & tutiori. Ita Aragon 2 2 *q.* 63. *a.* 4. *dub.* 2. *§. His non obstantibus* Salas 12. *tract.* 8. *num.* 136. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *q.* 11. Ioannes Sanchez *disp.* 48. *num.* 36. citatur Montesinos

tesinos 1. 2 *disp.* 29. *q.* 9. *num.* 214. sed solum dicit relicta propria opinione posse sequi alienam. Et ferè idem dicit Palao. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *puncto* 10. *num* 8.

Probatur primò, nam quod ex probabili sententia fit, imprudentia, seu temeritate caret. ergo caret culpa. Patet Consequentia, quia lex Charitatis, & officium Medici solùm obligant illum, vt secundùm regulas Artis prudenter operetur.

Secundò; nam onus esset graue, debere semper sequi, quod est probabilius, & tutius; nemo autè tenetur ad id, quod supremum, & magis perfectum est.

Vnica Conclusio. Secunda vt infra, & sequenda sententia est, Medicū in curatione ægroti dum nō suppetit medicamentum certum, debere vti probabiliori, & securiori, nec eis licere hoc relicto, vti minus probabili, & minus securo, etiamsi probabile sit. Ita docent Soto *lib.* 3. *de iustitia q.* 6. *art.* 5 *ad quartum*. Salon 2. 2. *q.* 63 *art* 4. *cōtrou.* 2. *ad* 2. Nauarrus *in manuali*, *cap.* 25. *num.* 61. Vasquez 1. 2 *disp.* 64. *c.* 4. *in fine*; Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem disp.* 21. *sect.* 4. *in fine*, *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 15. Bonacina *de legibus*, *disp.* 2 *q.* 4. *puncto* 4. *nu.* 22. Portellus *in additionibus ad dubia regularia*, *verbo*, *opinio eligenda*, Becanus *tom.* 2. *tract.* 1. *c.* 4. *q.* 9. *num.* 13. Villalobos *tom.* 1. *summa*, *tract.* 1. *difficultate* 16. *num.* 6.

Probatur primò. Medici munus, & lex Charitatis postulant, vt ægro subueniatur meliori modo, quo possit, atque adeò illa adhibeantur medicamenta, quæ sanitatis fini magis idonea indicantur. Sed qui omisso probabiliori, & securiori medicamento, minus probabili, & minus tuto vtitur, non curat infirmum meliori modo, quo potest. ergo non satisfacit suo muneri, & charitatis obligationi, nisi adhibeat probabiliora, & tutiora medicamenta. Vbi aduerte, quòd licèt Thom. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi*, *c.* 9. *num.* 41. sentiat, hanc obligationem applicandi quod est medicamentum probabilius, prouenire solùm ex charitate, non ex iustitia. Sed omnes citati agnoscunt obligationem Iustitię, id quę conuincit præcedens argumentum.

Secundò; Medicus adhibetur ad hoc, quòd Infirmus, maius commodum, & minus incommodum, & periculum subeat, citius que, & securiùs curetur. Sed hæc omnia præstat Medicus dum sequitur probabiliores, & tutiores opiniones. ergo ex proprio munere, & iustitia ad hoc tenetur. Tertiò. Nullus est, qui nolit curari probabiliori, & tutiori Medicina, ergo conducens medium, quasi implicito pacto conducit, vt iuxta probabiliorem, & tutiorem opinionem curet. An verò hæc opinio probabilior debeat esse ex his, quas sequitur Medicus, vel quas alij medici sequuntur, in quo plures hærent Auctores, non est ad rem; Medicus enim debet sequi, quod probabilius, & securius apparet, siuè sit propria, siuè aliena opinio, eo enim ipso quòd se illi conformat, fit iam propria.

Ad primum Argumentum pro contraria sententia distinguo illud Antecedens, *Quod ex probabili sententia fit, imprudentia, seu temeritate caret*. Dum illa sententia non vincitur ab alia probabiliori, est verum, non verò quando comparatur sententiæ probabiliori, tunc enim respectiuè non manet probabilis; sicut dare beneficiū digno, res est prudens, sed dare digno dum competit cum digniori, non est prudens, sed iniustum. Et ideò sæpè admonuimus, non omnem sententiam probabilem, esse probabilem practicè, seù quoad vsum. Licèt enim sit probabile, quòd aliqua medicina est vtilis, sed nō est probabile, quòd medicus possit illa vti, dum alia suppetit certa, vel probabilior.

Ad secundū Argumentum in primis dico, non esse graue, quòd homo in re, in qua periclitatur vita proximi, operetur secundùm ea, quæ videntur certa, & probabiliora, aliàs temerè operabitur. Et cùm additur, quòd nemo tenetur ad id, quod est supremum, vel magis perfectum, verum est loquendo de bono supererogationis; sic enim homo non tenetur ad cælibatum, & Religionem, sed loquendo de bono obligationis, tenetur ad illud iuxta naturam sui muneris.

Disputatio Quarta, De Conscientia Dubia.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit Conscientia dubia; & Quotuplex.

Conscientia dubia ab actu intellectus, quod est dubium, denominatur. Dubium autem dupliciter dicitur, vno modo largè, vt nominat omne Iudicium incertum, siuè sit opinio, siuè fides humana, siuè scrupulus, cùm enim omnia hęc certitudinem non habeant, manent cum aliquo dubio de veritate. Alio modo sumitur dubium strictè, pro illo dubio, in quo intellectus manet in ancipiti, & æquilibrio pro vtraque parte, non se determinans ad aliquam, quod solet appellari dubium negatiuum, eo quod negat assensum ad vnā partem, quam habet opinio, etiamsi formidet de alia parte, & fides humana. Et quia hoc dubium est, quod informat, & denunciat conscientiam dubiam, de qua incipimus agere, ideò breuiter est præstringenda eius natura.

Dubium ergo propriè dictum, seu negatiuum est. *Motus rationis supra vtramque partem contradictionis cum formidine determinandi aliquam eius partem*. Sic S. Th. 3. *parte q.* 19. *a.* 4. *ad* 1. in qua definitione genus est *motus rationis*, in quo actus iste conuenit cum alijs rationis operibus, vt sunt scientia, fides, opinio. Differentia verò est, quod ita tendit ad vtramque partem, vt nullam determinet, in quo differt ab omnibus prędictis actibus, qui ad vnam declinant, scientia certò, opinio probabiliter, fides ex auctoritate dicentis, scrupulus ex leui fundamento. Vnde S. Th. *in* 3. *dist.* 17. *quest* 1. *art.* 4. dicit, *quòd dubium contingit, cum intellectus non assentitur alteri parti contradictionis, sed hæret anceps*; iuxta quod S. Isidorus *in lib. Etymologiarum* dicit, quòd *est motus indifferens ad vtramque partem contradictionis*. Concordant *in* 3. *dist.* 17. *q.* 2. Syluester, *verbo Dubium num.* 1. Sotus *in* 4 *dist* 27. *q.* 1. *art.* 3. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 278. Contingit autem hoc dubium aliquando ex negatione medij respectu vtriusque partis, qua ratione dubitamus; an astra sint paria; vel propter æqualitatem rationum pro utraque parte, ex quo homo non flectitur ad aliquam.

Est tamen aduertendum primò, quòd licèt in dubio rigoroso, & negatiuo, de quo loquimur intellectus non debeat determinari ad vnam partē, tamen potest magis inclinare in vnam, quàm in aliam.

aliam. Et ideò hoc dubiũ est duplex, vnum æquale, in quo intellectus pendens in æquilibrio, non magis inclinat in vnam partem, quam in aliam, sed hæret omninò anceps: aliud est inæquale, quando licèt non determinet vnam partem, aliâ est dubium negatiuum, tamen aliquantùm magis inclinat ad vnam partem, quàm ad aliam.

Secundò est aduertendum, quòd dubium est dupplex, vnum speculatiuũ, alterum practicum, & quòd cũ dubio speculatiuo posset esse assensus practicus, & è contra de qua re latè egimus supra de opinione; Ex quo loco patet omnia, quæ poterant hic adduci, eadem enim ratione debet admitti hæc distinctio hic, & ibi, licèt aliqui, vt Frãciscus de Lugo, & Ouiedo parum constantes, negantes hanc distinctionem in opinione, paulò post eandem admittunt in dubio, vt ibi adnotauimus.

Prima Conclusio. Conscientia dubia est, quæ manet anceps ad vtramque partem, ad neutram se determinans propter formidinem alterius: vt cum quis ex aliqua ægritudine non determinat, an debeat in die Veneris comedere carnes, an nõ, quę definitio ex prętérita definitione dubij liquet. Videantur Medina *q. 19. art. 6. dub. 2. & dubit. 4. in principio* Vasquez *disp. 65. cap. in principio.* Salas *tract.* 8. *num.* 138. 139. 140. Martinez 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub.* 5. *in principio*. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 1. *num.* 1. Syluester *verbo, Dubiũ, num.* 1. *& verbo, Matrimonium,* 9. P. Nauarrus, *c.* 27. *num.* 227. 229. 230. *&* 287. *& in cap. si quis autem* 2. *de pænitentia, dist.* 7. *q.* 10. 11. 12. 13. *& consil.* 8. *de pænit. & remissionib. lib.* 5. Adrianus *quodlibeto* 2. *art.* 7. *in materia de restitutione, post medium.* S. Antoninus *prima parte, tit.* 3. *c.* 10. §. 10. Suarez 3. *parte, tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. Medina 1. 2. *q.* 19. *ar.* 6. *dub* 6. Azor *lib.* 2. *cap* 18. *q.* 1. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 5. *&* 13.

Secunda conclusio conscientia dubia ex parte materię circa quam, seù ex parte obiecti, est duplex. Vna est conscientia dubia circa ius, alia dubia circa factum. Conscientia dubia circa ius est, quæ dubitat de obligatione, vel facultate legitima operandi, vel de valore operationis. v. g. an qui assistit infirmo, teneatur in Die Dominico Missam audire; An liceat mutuanti exigere lucrum cessans? An matrimonium celebratũ cum tali circonstantia. sit validum? Conscientia dubia circa factum, est quoties ambigitur, vtrum aliquid sit factum, necne, vt cum conscientia est dubia, an Votum emiserit, an Vesperas recitauerit, an ętas sit completa, de qua diuisione videantur Vasq; 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 2. *num.* 6. Salas *tract.* 8. *nu.* 141. Corneio *tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 2. *in principio* Palao *tract. primo, disp.* 3. *puncto* 1. *num.* 2, *&* 4 Franciscus de Lugo *de conscientia cap.* 2, *num.* 2.

Circa hanc conclusionem est aduertendum primò, quòd ex conscientia dubia circa factum frequenter nascitur conscientia dubia circa ius, vt ex hoc quod dubitas, an persolueris horas canonicas, oritur conscientia dubitans, an iterum tenearis persoluere: ex hoc quòd dubitas an validus fuerit Baptismus, dubitas, an sit denuo baptizandus. Secundò est aduertendum, quòd conscientia circa factum potius est speculatiua, quàm practica, quia non est de re facienda, sed facta. Vide quæ supra dicta sunt.

Tertia conclusio. conscientia dubia est duplex; vna vincibilis, & culpabilis, alia inuincibilis, & ex consequenti inculpabilis, quæ conclusio omnibus debet esse communis, de qua sæpè dicemus. Probatur conclusio. Dubium est duplex, vnum vincibile, & culpabile, quando scilicet sua culpa aliquis manet indubio, quod poterat facta sufficienti diligentia indagandi veritatem, siuè per seipsum, siuè consulendo alios; & ex aliquo capite tenetur ad id faciendum, vel quia imminet periculum retinendi alienum, vel peccandi, seù alterius tituli, quod dub tanti competat Aliud est dubium inuincibile, & inculpabile, quando exorta difficultate, & facta à dubitanti diligentia competenti, non potuit maior certitudo acquiri, & adhuc dubium persistit. ergo cõscientia dubia est duplex, vna vincibilis, & culpabilis, alia inuincibilis. Antecedens est certum ex doctrina ignorantiæ culpabilis, & inculpabilis tradita à nobis supra. Consequentia verò probatur, quia conscientia. dubia est, quę sequitur dubium, & iuxta notitiam eius operatur: sicut cõscientia certa est, quę informatur certa scientia, & conscientia probabilis est, quæ informatur notitia probabili. ergo quale fuerit dubium, quod sequitur, talis erit conscientia.

DVBIVM II.

An liceat operari cum conscientia dubia

Cognita conscientia dubia, quod primò se offert circa illam, enodandum est, Vtrum habens dubiam conscientiam, licitè operari cum illa possit? hoc est dubio non deposito, quod est quęrere, an peccet aliquis faciendo id, de quo dubitat an sit, vel non sit peccatum.

Ratio dubitandi est. Nam si operari cum conscientia dubia esset peccatum, maximè, quia sic operans exponit se periculo peccandi; sed exponere se periculo peccandi, non est peccatum, imò aliquando est opus bonum, & meritorum; ergo operari cum conscientia dubia, non est peccatum. Minor, in qua est difficultas, probatur exponere se periculo peccandi, propter honorẽ Dei, vel Reipubl. bonum, vt disputando cum Hereticis, instituendo meretrices, est opus bonum, & eximię charitatis, quod fecit Iudith. cũ perrexit ad Holofernem, ergo non est peccatũ.

Pro dicendis autem in tota hac materia, est prænotandum, quod conscientia dubia seu ipsum dubium, quod talem conscientiam informat potest versari primò circa extrema bona aut indifferentia, itaut vtrunque dubij extremũ sit bonum moraliter, vt cum quis, dubitat quid sit melius, vel pro tunc exercendum, orare, ne, vel Elæmosinam dare, vel vtrumque extremum sit differens, vt cùm qui dubitat, vtrùm debeat ire in agrum, vel in plateam. Secundò dubium potest versari circa extrema mala moraliter, vt cùm quis die Dominico hora vnicæ Missę dubitat, an teneatur assistere infirmo grauiter ægrotanti, an ad audiendam missam. vel cùm ipse grauiter ægrotat, dubitat in die Veneris, an teneatur comedere carnes ratione infirmitatis, vel abstinere ab illis ratione me dici prohibentis talem esum. Tertiò, dubium potest esse circa extrema diuersę rationis, quorum vnum apparet illi malum moraliter, aliud verò bonum, vel indifferens, vt cùm quis dubitat, an sit Vsurarius, vel potius, abstinere ab illo, in quo multum est periculum, an iturus sit in domum dubitans peccatum esse, propter aliquod periculum, vel in tẽplum ad orandum.

Prima conclusio. Quando vtrumque extremū dubij est bonum moraliter, licitè homo dubio nō deposito declinat in illud, quod voluerit; & quando vnum extremum est bonum, vel indifferens, licitè declinat in illud. Et ratio vtriusque est patens, nam homo licitè operatur, quod est bonum, vel indifferens, & in vtroque casu conclusionis declinat homo in id, quod est bonum, & indifferens, cognoscens illud esse bonum, & indifferens, quod est declinare in partem tutam, vt postea videbimus, ergo licitè operatur; & hæc conclusio debet esse communis, de qua videantur Lorca 1. 2. *disput. 38. membro 3. in principio*. Martinez 1. 2. *q. 19. art. 6. dub. 5. §. sed notandum, & conclusione 3.*

Secunda conclusio. Quando dubium est speculatiuum, etiam circa materiam de qua dubitatur, an sit peccatum licitum est operari cum illo, dummodo adsit iudicium practicum, saltem probabile, quòd licet circa illud operari. Pro conclusionis huius intelligentia, & probatione supponendum est, qua ratione possit dari iudicium speculatiuum dubium, vel operatiuum, ex eo quod aliqua res est bona, vel mala, licita, vel illicita, & iudicium practicum, quod de facto non debet sic operari, de qua re latissimè egimus *disput. præcedenti*. Probatur primò authoritate. nam conclusionem nostram communiter tenent Theologi, Medina *prima 2. q. 19. art. 6. dub. 4. §. facere, & §. secunda proposito*. Vuasquez 1. 2. *disp. 65. cap. 1. in principio*. Salas *tract. 8. nu. 143.* Aluarez 1. 2. *q. 19. art. 6. dub. 5. conclus. 2.* Martinez 1. 2 q. 19. *art. 6. dub. 5. conclus. 2.* Corneio *tract. 8. disput. 9. dub. 1. conclus. 2.* Ouiedo *tract. 5. controu. 4. nu. 3.*

Probatur secundò. Nam in Casib. conclusionis non operamur cum conscientia dubia, neque cōtra conscientiam, immò operamur iuxta conscientiam certam, vel probabilem; ergo non operamur male, sed benè. Antecedens probatur, quia in prædictis casibus iudicium speculatiuum non informat conscientia, sed iudicium practicu Atqui supponimus in conclusione, quòd adest iudicium practicum contrarium illi iudicio speculatiuo: ergo tunc conscientia informata iudicio practico certo, vel probabili, quod potest licitè operari non obstante iudicio speculatiuo rectè procedit. sit exemplum: Miles potest habere dubium speculatiuum de iustitia belli, & illo insuperato ad mandatum proprij Ducis tenetur præliari, vt ex D. Aug. tradit *cap. quid culpatur. 23. q. 1.* In eo ergo milite sunt hæc duo iudicia, vnum speculatiuum, (seu de materia morali speculatiuo modo sumpta, qua ratione disputatur in Philosophia morali,) quod est dubitare, an bellum sit iustum; aliud omnino practicum, quo rectè iudicat, se ad mandatum Ducis debere bellare, dum apertè non constat bellum esse illicitum, etiamsi dubitet, quia ad illum non spectat hoc dubium resoluere; & Idem ostenditur in aliis pluribus exemplis, quę statim adducemus.

Tertiò probatur multis exemplis. Nam possessor bonę fidei potest incipere dubium, an fundus, quem possidet, ad se, vel ad cognatum pertineat & manente hoc dubio speculatiuo iudicat practicè nihilominus non debeo restituere, donec constet ad illum pertinere, quia in dubio melior est conditio possidentis, & iustè procedit operando iuxta hoc iudicium practicum, & cum dubio speculatiuo, & idem est si alter coniugum dubitet de valore matrimonij, & petente debitum à consorte, iudicet reddendum illi, qua non est spoliandus iure suo propter dubium, & reddendo rectè facit, & tales sunt plures casus, quos in sequentibus certa ostendemus ex iure, & communi opinione.

Conf. Medina loco citato, hac ratione. Licitum est operari contra euidentem scientiam speculatiuam, si adest rectum iudicium practicum, quòd licet tunc sic operari. ergo multò magis licebit agere contra opinionem, vel dubium speculatiuum, si adsit iudicium practicum rectum informans conscientiam circa operationem. cōsequentia videtur bona, procedit enim argumētum à maiori ad minus. Et Antecedens probatur, nam iudex, qui habet scientiam euidentem de innocentia accusati, & probati nocentis. tenetur operari contra illam euidentiam, & condemnare illum ex hoc rationis dictamine practicę, teneor iudicare iuxta allegata, & probata, de qua re videatur S. Th. 2 2. *q. 67. art 2.* ergo licitum, immò aliquando obligatorium est operari contra scientiam speculatiuam; quanto magis cōtra opinionem, & dubiam.

Ad rationem dubitandi nego minorem. Ad eius probationem dico, quòd exponere se periculo stat dupliciter; vno modo, vt ex vna parte prospiciat periculum aliquod, sed non ita, vt homo credat vincendum esse. secundò, vt valde timeat, & credat se vincendum esse. Deinde, vel tenetur ingredi talem occasionem, vt cùm periclitatur fides, cùm est proprius Parochus, vel omnino liberè se intromittit sine obligante necessitate vel præcepto. Quibus positis; dico quòd si Homo non tenetur subire tale periculum, & credit se vincendum, occasionem excuset; hæc enim tutior pars est. si autem tenetur ex periculo fidei, deponat opinionem, & benè confisus in Domino rem aggrediatur, etiamsi multum credat, se periclitaturum, quia maius periculum est de esse obligationi fidei. quod si Parochus credat se consensurū audiendo confessiones fæminarum, vel prouideat illis de confessore, excusans se aliquo colore absque mendacio vel resignet munus, vel si nullum ex his expediat, non desit obligationi iustitię, sed deponat metum, benè confisus in Domino, quod si non tenetur tales confessiones audire, vel deponat timorem, & ex vera charitate audiat, si credat se proficere, vel iuxta prudentis arbitrium excuset periculum

Petes *Quando conscientia dubitat practicè, an aliquid sit peccatum, an liceat illud facere.*

Conclusio. Quando conscientia dubitat practicè, an aliquid sit peccatum, non licet illud facere, alias peccabit tale peccatum, quale dubitat esse, siuè mortale, siuè veniale, siuè magis, siue minus grauiter iuxta modum repræsentatum in dubio.

Probatur primò, quia est communis conclusio apud Theologos *in 2 dist. 29.* & apud Iurisperitos super *caput Inquisitionis, de sententia excōmunicationis*, de qua videantur Syluester *verbo confessor 3. n. 1.* Angelus *verbo dubium num. 1.* Adrianus *quodlibeto 2. puncto 2.* Nauarrus *in cap. si quis de pænitentia dist. 7. num. 81.* Corduba *lib. 3. q. 5.* Medina 1. 2. *q. 19. art. 6. dub. 9. in principio* Suarez *in 3. p. tomo 5. disp. 40. sect. 5. num. 2.* Vasquez 1. 2. *disp. 65. cap. 5. in principio*, vbi dicit quod nullus hactenus oppositum dixit. Salas *tract. 8. num. 143.* Martinez

tinez 1. 2. q. 19. art. 6. ibi Aluarez *disp.* 69. cõclus. 2. Conicio *tract.* 8. *disp.* q *dub.* 1. *conclus.* 1. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 81. Bonacina *disp.* 26. q. 46. *puncto* 7. *num.* 7. Filiucius *tract.* 21. *cap.* 4. q. 8. Ouiedo *tract.* 8. *controu.* 4. *num.* 2.

Secundo probatur ex illo ad Rom. 14. 23. *omne, quod non est ex fide peccatum est:* hoc est, omne quod non procedit ex conscientia dictante illud licere, est peccatum. conscientia autem dubia non dictat illud licere, imò dubitat, quod liceat, & ideò peccatum est.

3. Prob. Nam qui dubitans, an aliquid sit peccatum mortale, vel veniale, facit illud, exponit se periculo peccandi mortaliter, vel venialiter: ergo peccat, mortaliter, vel venialiter, iuxta genus peccati, de quo dubitat. Antecedens est certum, quia quod dubium est, potest esse, & non esse tale, & operans cum illo dubio se exponit ad quodcunque fuerit. & consequentia probatur primò ex illo Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum in illo peribit*, hoc est eò ipso, quòd se exponit periculo, peccabit, aliàs non semper *peribit*, quando scilicet non euenit, sicut timetur, dum periculo exponitur. Vt cùm visitans mulierem, cum qua est periculum, de facto non misceat cum ea materiam peccati, & tamen peccat hoc ipso quòd se periculo exponit. Secundò probatur eadem consequentia, nam qui iacuit lapidem, vel sagittam, dubitans, an interficiat feram, vel hominem, etiam si de facto non occidat hominem, sed feram, peccat peccato Homicidij, ex eo quòd se exposuit periculo occidendi hominem. Tertiò probat idem, nam Medicus qui daret infirmo medicamentum, de quo dubitat, an sit salutiferum, vel mortiferum, etiamsi de facto non occidat, sed sanet, peccaret, quia exponit periculo vitam infirmi sine sufficienti causa. & eodem modo, qui dubius est, an consenserit in aliquod peccatum mortale an dubio teneretur illud confiteri, ne se exponat periculo relinquendi aliquod mortale inconfessum.

Quartò probatur. Operari aliquid dubitando, an sit peccatum mortale, est contra Charitatem, seù amicitiam, quam homo debet habere cum Deo, ergo est peccatum mortale; cõsequẽtia est bona. Nam quod est contra Charitatẽ, ex proprio genere est peccatum mortale; & Antecedens probatur, nam eo ipso, quòd quis facit id, de quo dubitat, an sit mortale, exponit se periculo peccandi mortaliter. ergo eò ipso paruipendet Amicitiam cum Deo; & facit contra eius mandata, vt sibi complaceat, quorum vtrumque est contra Charitatem, & Amicitiam *Dei*.

DVBIVM III.

An quando conscientia dubia pro vtraque parte timet peccatum, siuè faciat hoc, siue faciat illud siuè non faciat; ad quid teneatur.

QVando dubium timet peccatum pro vtraque parte, hoc est, primò siuè faciat, hoc vel illud, cum deseruiens in die festo hora Missæ dubitet, teneatur infirmo assistere omittendo missam vel potius ad missam ire omittendo infirmum periclitantem; & secundò siuè faciat, vt Vxor incerta de valore Matrimonij dubitans, an debeat reddere debitum, cùm fortè ille non sit eius vir, & an debeat negare, ne fortè faciat cõtra ius mariti, vel etiam tertiò, cùm licèt ex vna parte dubij sit res, quam timet esse peccatum ex alia verò res licita quidem, sed valdè incommoda, & molesta, vt cùm artifex cartarum ludi dubitat, an peccet talia instrumenta conficiẽdo, qui cessare quidem licitè potest; sed cum magno incommodo rei temporalis. & cùm habens tenue beneficium dubitat, an teneatur diuinum recitare officium, quod quidem posset licitè recitare, sed cum magno impedimento aliarum occupationum, de quibus alitur. Tunc isti tenentur inquisitionem facere, vt è dubio exeant; seù quid facere debeant, licitè consequantur dubio excius. & hoc siuè per se studendo præstent, siuè alios doctos viros consulere debeant, & antequam siuè per se, siue per aliorum consilium dubium deponant operando circa partem, de qua dubitant, an sit peccatum, peccant iuxta conclusionem præcedentis dubij.

Probatur primo conclusio ex illo Deuteronomij 17. 8. *si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prespexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende in locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, qui resque ab iis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem* Vbi primò ponit, quod homo per se non possit è dubio exire, deinde eodocet, qua ratione alios consulere debeat, vt è dubio exeat. Et Michææ 1. 7. addit *labia enim sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirent de ore eius.*

Secundo probatur; Ait enim Aristoteles *lib.* 1. *ethicorum*, quod optimus illè est, qui per se omnia nouit, & ille bonus, qui patet recta monenti, sed qui per se nescit, nec porrigit aures, stultus, & demens est. Et Salustius in Prologo dixit. Priusquam aliquid egeris, consulito, & postquam consuleris maturè opus est facto. Et S. Thõ 2. 2. q. 54. a. 3. addit, *quod qui in dubijs sine consilio operatur committit vitium præcipitationis* de qua re etiam videantur martinez 1. 2. q. 19. a. 6. *dub.* 5. *post conclus.* 10. §. *sed ex his, & conclus* 11. Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *circa* q. 16. *disp.* 12. a. 4. §. *caterum hoc, &* §. *Respondeo tamen.*

Tertio probatur; cum consciẽtia dubia in materia peccati non licet operari. Sed conscientia verè, & retionabiliter dubia non potest deponi temerè pro libito, & sine ratione, quæ dubitationem dissoluat, vel ostendat in quam partem eius licitè debeat inclinare. ergo vt habens verum, & rationabile dubium, licitè possit operari circa materiam peccati, debet, siuè per se, siue per aliorum consilium inquirere, quid rationabiliter, & absque peccato debeat operari. Maior ostensa est supra, Minor vero probatur, quia sine ratione impossibile est formare dictamen prudentiale, quo necessario debet dirigi conscientia prudens, & recta, cùm tota ratio prudentię, & rectitudinis in ratione consistat.

Quartò probatur. Quia in materia graui, seù peccati òperatur, dubio manente seù temerè, & pro libito deponit dubium, se exponit periculo errandi, & peccandi: ergo errat, & peccat. Antecedens est certum, & consequentia probatur, quia exponere se periculo pecandi, peccatum est, iuxta illud Ecclesiastici 3. 27. *Qui amat periculum in illo peribit*, quia scilicet siuè bonum sit, siuè malum quod operatur, petijt, eo quod se

 exponit

exponit periculo errandi. Ex quo Collige, quòd si aliquis efficiat contractum dubitans, an sit vsurarium, etiam si licitum sit, peccat peccato Vsuræ. Verum est, quòd re cognita, si contractus fuit licitus, non tenetur ad restitutionem.

Contra præcedentem conclusionem videtur sentire Caiet. 1. 2. *q.*19. *a.* 5. *dum dixit.* Quòd ex quacunque causa deponatur conscientia dubia etiam ex libito, potest licitè operari. Sed hoc nullo modo est admittendum neque enim pro libito potest deponi conscientia dubia, sed ex conuenienti, & prudenti ratione, aliàs temerè operabitur, & cum periculo errandi, & hæc est communis sententia iuxta concl. positam. Et Caietanus intelligendus est cum dubium est de re minima, & non fundatum in prudenti ratione dubitandi, sed scrupulo, & vnica exaggeratione, vt patet ex exemplo ibi à Caiet. adducto, quòd scilicet femina, quæ audiuit à concionatore esse peccatum vti capillis alienis, & nescit soluere eius rationes; si tamen sibi persuadeat, etiam sine noua ratione, non esse verum, quod concionator dixit, & continuet vti capillis alienis. Sed eòipso, quod iudicauit non esse verum, sed per exaggerationem dictam, in re parui momenti, ratio sufficiens fuit ad deponendum dubium iuxta qualitatem materiæ. Videantur Corduba *lib.* 3. *quest.* 12. Valentia 1. 2. *disp.* 2. 9. 14. *puncto* 4. §. *Atque ex eodem.* Cornejo *tract.* 8. *disp.* 2. *dub.*3. *vlt. conclus.* qui rectè exponunt, & intelligunt Caietanum.

Sequitur ex præcedenti conclusione, quòd postquam quis consultatione facta siuè secum, siuè cum viris doctis, si eliciat resolutionem dubij ad vnam partem, tenetur illam sequi quia iam non est dubium, sed adhesio ad vnam partem cum exclusione alterius; quòd si Viri consulti discindantur in varias opiniones, poterit vni confirmari iuxta dicta in superioribus circa conscientiam opinatiuam; & ideò Deuteronomij 17. 10. post verba relata supra additur: *& facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit dominus, & docuerunt te ixta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabilis ad dexteram, neque ad sinistram.* Videatur Martinez *prima secundæ, quæst.* 1. *a.* 6. *conclusione* 12. *vbi* alias rationes adducit.

Secunda conclusio. Cum facta competenti diligentia, & etiam Personis doctis consultis, dubium non potest euacuari, sed remanet; restat determinandum quid homo debeat facere, cum hæret in ancipiti, & necessitas operandi instat; dicendum quod debet suè per seipsu siuè per aliorum consilium decernere; præcipuè ex moralitatis principijs, quibusdam iuris regulis, de quibus inferius.

Hæc conclusio, quæ apud omnes certa esse debet, ex ipsa expositione eius probata manebit. Quòd enim facta sufficienti diligentia etiam adhibitis personis doctis, aliquando dubium ius solutum maneat tam in dubio facti, quàm iuris constat. Nam mulier dubitans, an sit validum eius matrimonium, quia fortè viuit prior eius vir, id enim illi affirmauit peregrinus, facta competenti diligentia, & consultis multis, nil certi potuit determinari. Item dubius; an in die veneris teneatur a carnibus abstinere ex præcepto ecclesiæ, vel carnes comedere ex aliqua infirmitate, cuius necessitas est omninò potens post lõgam inquisitionem potest manere in eodem dubio, Deinde, quod manente tali dubio bebet determinare quid agendum sit licitè, cùm ex vtroque capite maneat periculum peccandi, & immineat necessitas operandi, vt cùm a prædicta muliere præsens vir debitum petit, & in die veneris instat hora comedendi, ex se patet, quia homo absque culpa sua non debet manere perplexus, & necessitatus ad peccandum, siuè faciat, siuè non faciat. Secundo, quia licèt prius dubium de validitate matrimonij, & de necessitate infirmitatis fortè maneat insolutum, & insolubile, sed non est insolubile, quid homo bebeat facere in eo casu nam vt videbimus, in sequentibus; melier tenetur non obstante dubio reddere debitum, & Infirmus in dubio carnes comedere, ne desit præcepto naturali conseruandi salutem. Tertio, quod ex principijs moralitatis id debeat elici, ipsa prudentiæ ratio dictat, quod veræ regulæ iuris ad hoc maximè conducunt, ex ipsis in sequentibus tradendis patebit

DVBIVM IIII.

De quibusdam regulis Iuris præcipuè canonici ad dubia enodanda, & primò de illa in pari delicto, vel Causa potior est conditio possidentis.

Cùm ex prædictis, circa materiam peccati peccatum sit operari cum cõscientia dubia dubio practico, excludenda est talis conscientia, vel diligentia adhibita excludendo dubium, vel decernendo, adhuc dubio manente, in quam partem iustè possit declinare, quod iudicium, seù determinatio est actus Prudentię quæ cũ sit virtus practica attendens ad omnes actuum circũstãtias necessario debet in suo practico discursu procedere ex primis principijs practicis naturaliter cognitis per synderesim, sicut scientiæ procedunt ex principijs speculatiuis naturaliter cognitis per lumen primorum principiorum. Pręcipua autem ex practicis principijs sunt hæc duo: *quod tibi fieri rationabiliter vis, alteri fac, & quod tibi rationabiliter non vis fieri, alteri ne feceris*, Sed quia hęc vniuersallissima principia maximè distant à iudicio practico prudentiæ attendente ad omnes Circumstantias, vtique circa singularia procedens, hinc in iure quædam alia principia, seù regulæ assignantur. Ex illis quidem primis principijs deductæ, quæ magis proximè regulare possint nostras actiones, quæ in pręsenti adducemus, & exponemus breuiter, postea ex illis fusè disputatur circa varios casus,

Vnica Conclusio. *In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis*: quæ habetur de regulis iuris in sexto, & est regula 65. quam Bonifacius Papa VIII. illarum regularum auctor colligit, inquantum agit de pari delicto ex lege, *cum per delictum* §. *de regulis iuris*, & inquantum agit de pari causa ex lege, *in pari causa*, §. *de regulis iuris in iure ciuili.* Circa quam regulam S. Antoninus prima parte Theologica, in fine, inter regulas, quas ibi colligit, regula 41. ponit exemplum, quantum ad delictum, in eo, qui reperit pecuniam, quam dedit pro iniquo iudicio In quo casu, pecunia illius erit qui possidet, vt deciditur canone, *non sanè* 14. *q.* 5. Et quantum ad causam, cum præbenda est data vni per Papam, alteri per ordinarium in eodem tempore, & tunc præfertur possidens, vt patet per caput, *si à sede*, de præbendis in 6.

Pro

Pro expositione autem prædictæ regulæ est aduertendum, quòd possessio, vt ex Hostiensi, & Alijs definit Syluester, verbo *possessio*, est *corporalis rei detentio, corporis, & animi, & iuris adminiculo concurrente*. dicitur *corporalis rei detentio*, quia incorporalia, vt iura, seruitutes, libertas operandi, & similia apud iuris peritos, qui præcipuè respiciunt forum exterius, non dicuntur possideri, quia non possunt corporaliter apprehendi, quia possessio est quasi pedum sessio; sed dicuntur quasi possideri: sed apud Theologos, qui præcipuè agunt de interioribus, absolutè possideri dicuntur, vnde apud nos cum dicitur, *corporalis detensio*, est ponere quod notius est, sub quo etiam spiritualis detentio intelligitur. Dicitur deinde *corporis, & animi*, quia ad possessionem rei corporalis oportet concurrere actus corporis quoddammodo apprehendentis, qui saltem sit visus, quo rem videt, & videndo vt suum quoddāmodo possidet. Sed quia non sufficit actus corporis, quo rem quoddammodo adipiscatur, sine actu animi interiori concomitante, aliàs non esset actus humanus, ideò additur, & *Animi*, & hoc solo actu spirituali a possidentur, sic enim possidetur libertas. Dicitur tandem, *& iuris adminiculo concurrente*, quia non sufficit ad possessionem detentio rei, actu corporali, vel spirituali, nisi iure aliquo, seu iusto titulo fulciatur. Nam vt ait Syluester loco allegato, sine iure non est possessio propriè, sed iniusta detentio. *Ille ergo iure possidet, qui titulo aliquo possidet*, oritur enim ius saltem presumptum ex titulo, puta, si possides donatione, hæreditate, emptione. Quo verò nullum habet titulum, vel de illo dubitat vero, & prudenti dubio, si hoc est in principio possession s, nō propriè posidet sine titulo, quousque diligentia adhibita dubium eijcit. Sed si post possessionem superueniat dubium, tunc habet verum regula posita, quòd scilicet melior est conditio possidentis, de quibus fusiùs agemus in sequentibus. Itaque vt aliquis sit verus possessor, cui regula prædicta suffragetur, duo debent concurrere, detentio rei, hoc est, quòd res sit in potestate eius, & bona fides, quod scilicet absit dolus. Bona autem fides oritur ex aliquo titulo, quo innititur possessio. Titulus autem si non sit sufficiens, sed dubius dubitatione practica, & prudenti (nam dubitatio sola speculatiua, vel scrupulosa non nocet) non ponit bonam fidem, quousque adhibita discussione rectificetur.

Ex his manet explicata Conclusio, quòd scilicet in pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis, vt si est dubium, an Petrus commisit Homicidium, vel non, iudicandus est in vtroque foro innocens, quia ipse est in possessione innocentiæ, dum nocens non probatur. Item si Petrus possidet fundum, & est dubium, an re vera sit Petri, vel Ioannis cognati, in hac pari causa adiudicandum Petro possessori, & in foro conscientiæ Petrus iustè retinet; & ratio à priori in qua prædicta regula fundatur, est, quòd cùm ex vtraque parte sit dubium, & quantum ad hoc partes sint æquales; tamen pro vna parte est possessio, & quantum ad hoc, illa pars excedit aliam.

Sequitur ex dictis, possessorem malæ fidei, hoc est, qui ab initio non possidet bona fide, & titulo aliquo, non esse possessorem, sed iniquum detentorem rei, & ex consequenti possessionem non suffragari illi in aliquo, neque positam regulam; atque adeò quantum ad obligationem restituendi, sic se habere, ac si nullo modo possideret. Sic Syluester *verbo Restitutio q. 3. num. 9.* Ouiedo *tract. 5. controu. 4. num. 14.*

DVBIVM V.

Quomodo intelligatur illa regula Iuris. In dubijs tutior via, seu pars, est eligenda.

IN dubijs tutior via, (seu pars,) est eligenda, quæ regula sub forma proposita expressè, & in terminis non traditur in iure, sed colligitur ex varijs iuribus; vt aduertit Sanctus Antoninus 1. *parte Theologiæ titulo 20. regula 16.* Dicitur enim in cap. *Iuuenis*, de sponsalibus, *in his, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus*; Vbi glossa: *sic ergo patet, quòd in dubijs semper certius est tenendum*, & desumit illud ex cap. 2. de penitentia, distinct. 7. vbi dicit S. August. *Tene certum, & dimitte incertum*; & capite, *ad audientiam*, & *capite significasti* 2. §. *de homicidio*, decernitur illum censendum esse irregularem, de quo dubitatur, an dederit causam, homicidij, & reddunt rationem, quia in dubijs tutior pars est eligenda. Videatur etiam Syluester, *verbo Dubiū, num. 4. & verbo, Homicidium 3. q. 1. regula 2.* Nauarrus *in cap. consideret, de pænit. dist. 7. à num. 35. vsque ad 43. & num. 79. & in summa cap. 27. num. 279. & num. 234.* Cornaruuia *in Clement. si furiosus, de homicidio; num. 2.* Placa *de delictis, cap. 12. num. 10.*

Pro cuius regulę intelligentia, aduertendum est primò, quòd illa dicitur pars tuta, vel tutior, in cuius electione nullum peccatum est, vel in quo minus, seu leuius peccatum est, si neutra sine peccato amplecti potest, & altera est necessariò sequenda. Circa quod tres regulæ solent assignari. Prima si ex vna parte imminet peccatum, ex alia verò minimè; eligendum est id, quòd certum est non esse peccatum: vt si dubitat, an licitus sit contractus, tutius non est inire illum. Secunda regula est; si in vna parte timetur graue peccatū, in altera leue, eligendum est leue, si vnum est necessariò operandum, aliàs tutius erit non operari, vt si quis dubitat, an teneatur mentiri ad saluandam vitam hominis, aliàs erit homicida, in hoc dubio si non valet illud, excludere, debet illud mentiri, quod est leuius peccatum. Tertia regula: si æquale periculum timetur, & æquale peccatum se offert, vtrique, & non potest suspendi actio, donec quid liceat agere, inquiratur, poterit operari, quod placuerit, & si est parum discrimen, erit solùm veniale eligere maius malum. Sed istę duæ vltimę regulæ supponunt necessariò ignorantiam, qua sine illa numquam datur perplexitas ex vtraque parte: & siquidem ignorantia fuerit inuincibilis, non peccat sequendo quamcunque partem, sed minus sequendo leuiorem, videantur Medina 1. 2. *q. 19. art. 6. q. 4. Conclu. 4.* Lorca 1. 2. *disp. 12. disq. 36. membro 3.* & Martinez 1. 2. *q. 19. a. 6. dub. 5. per multas Conclusiones.*

Secundò est valde aduertendum, quod illa particula, *tutior pars seu via*, nō debet accipi comparatiuè ad aliam, quæ etiam sit tuta, sed aduersatiuè ad aliam, que est dubia; ita quod non vtraque pars accipiatur vt tuta; & illa tutior sit eligenda; debet ergo regula hęc procedere in partibus dubijs, an sit peccatum, vel altera parte existente dubia, & sic præcipit relinquere partem dubiam, hoc est, non tutam, & sequi tutam, quam

quam tutiorem appellat, & in hoc casu tenetur quis stante dubio tutam, seu tutiorem partem eligere: idest, dubitationem vincere, seu sequi partem non dubiam, vt cùm dubitatio pulsat solum pro vna parte, illam relinquere, & sequi alteram, de qua non est dubium: vel si hoc est graue, seu pro vtraque parte pulset dubium, pro vna partæ debet vinci iuxta regulas assignatas in precedenti notabili, & superata difficultate pro illa parte, sequendo illam, tuta, seu tutior pars eligitur, & sine periculo operatur cum bona fide, & sine dubio proceditur. de qua re videatur Ioannes de Sancto Thoma *prima secunda*; *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. § *Quare illa regula*.

Quod vero prædictus sensus sit legitimus, patet primò, quod alias si verbum *tutior*, sumemeretur comparatiuè ad partem tutam, in primis hæc regula rarissimis materijs posset applicari, cum raró vtraque pars dubij sit tuta, nec quando est tuta, indiget regula. Sucundò sic intellecta regula non adduceretur ad propositum in canonibus, & legibus, in quibus adducitur, quæ citata sunt cũ ipsa regula. Tertiò hæc regula nõ contineret præceptũ, sed consilium, cùm sequi quod tutius est, non cadat sub præcepto, sufficit sequi, quod est tutum, regula autem vt paulò post videbimus, præceptum, non consiliũ cõtinet. Quartò, quia hoc sensu regulæ admisso, cessant innumeræ instantiæ, & difficultates contra illam aliter intellectam, de quibus agemus in sequentibus.

Tertiò est notandum, quòd regula prædicto modo intellecta, fundatur in prima regula de meliore conditione possidentis & ad illam reducitur: illa enim dicitur tutior pars respectu partis dubiæ, quæ dubitantem vincit, & tunc vincitur dubitatio, & pars dubia redditur tutior, quando fit sufficiens diligentia pro dubio certificando, & tollendo, qua diligentia facta, (etiam si in re non possit dubium excludi, & de veritate certificari, quia non restat diligentia facienda,) procedit quis bona fide, & sine dolo, & sic possidet rectè, & vtitur iure suo eligendo quod minus in conueniens videtur, & omne tale ius quandam inducit possessionem ad operandum & ideò idem est sequi tutiorem possidentis, facta sufficienti diligentia, quia iusta possessio facit ius, & qui habet ius potest illo vti, & talis pars tuta, dicitur sequenda regula, de qua loquimur.

Quarto notandum, quòd aliqui contendunt hanc regulam nullum continere præceptum, seù obligationem, sed tantum Consilium. Sic Suarez *in* 3. *parte*, *tom.* 9 *disput.* 40, *sect.* 6. *n.* 9. Malderus 1. 2. *q.* 19. *a* 3. *disp.* 87. Maura *de incantationibus*, *opusculo primo sect.* 1. *cap.* 5. *n.* 2. fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quod nemo tenetur sequi id, quod perfectius est, sufficit, si sequatur, quod est perfectum, seu bonum, Ergo nullus tenetur sequi in dubio partem tutiorem, sufficit, si sequatur tutam. ergo cum ius dicit, vel innuit, in dubijs sequendam esse tutiorem partem, non proponit præceptum sed consilium, cum sufficiat sequi partem tutam. Antecedens est certum, & prima consequentia probatur, & patet, quòd cùm sequi quod tutum est, sit sufficiens ad rectam conscientiam, sequi quod tutius est, pertinet ad bonum superetogationis perfectionis, & consilij.

Sed certissimè tenendum est, prædictam regulam continere præceptum, & non solum consiliũ vt communiter tenent Theologi, & Iurisperiti, Syluester, *verbo dubium num.* 4. *in fine*; Ioannes de S. Thom. *prima secunda q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. §. *supposito ergo*. Probatur primò, quia si sequi quod tutum, vel tutium est solum esset consilium, & non præceptum, illa regula non solùm esset verb in dubijs, sed etiam in certis. sed illa regula traditur in iure in remedium dubium: ergo aliquid speciale operatur in dubijs, quod non operatur incertis quod non potest esse nisi præceptum, cùm consilium etiam certis competat. Maior certa est, semper enim etiam in certis est optimum consilium, sequi quod tutium, & perfectius est, verbi gratia, & si licitum, & tutum sit, comedere carnes in die, qua licet, tamen abstinere ab illis est tutius, & perfectius, atque adeò sanum consilium est ab illis abstinere.

Secundò, hęc regula in iuribus, in quibus adducitur, ponitur in remedium conscientię dubiæ. ergo non continet solum consilium, sed præceptũ. Antecedens patet, ex ipsis iuribus, in quibus tã in iure canonico, quàm ciuili traditur, quę retulimus cum ipsa regula: & consequentia probatur, quia dubiam conscientiam reformare, & deponere, vt sine peccato operemur, non solùm est consilium, sed præceptum, constante dubia conscientia in materia peccati, non possumus licitè operari, vt vidimus supra. ergo si pro conformãda dubia conscientia, & deponenda deseruit hæc regula, non continet solum consilium, sed præceptum. Patet consequentia, quia ad sedandam conscientiam, & assecurandam, non requiritur, quod fiat id, quod tutius, & perfectius est, sed sufficit id, quod est tutum, & bonum.

Probatur tertio: nam hi, qui putant esse consilium, non præceptum ex malo, & æquiuoco intellectu regulæ, decipiuntur; Sumunt enim verbum, *tutius* comparatiuè ad verbum tutè, cùm tamen debeat sumi ad versatiuè ad verbum *dubiè vel non tutè* vt vidimus supra in notabilibus. Ex qua doctrina satisfit fundamentis pro contraria sententia adductis.

Quinto notandum, quod alij existimant prædictam regulam esse quidem præceptiuam, & obligare, verum non esse generalem, neque pro omni materia, sed tantum pro illa spetiali, pro qua in iure adducitur, vt pro irregularitate, atquè adeo qui dubitat se esse irregularem ex homicidio, debet quod tutius est eligerè, & se vt irregularem habere, quia sic definitur in iure, ex quo non debet hæc regula ad alia distrahi alias non teneretur semper quod tutiùs, & perfectius est, sequi, quod esset intollerabile, quam sententiam Diana *tom.* 4. *tract.* 3. *resolutione* 3. tribuit Naldo, & Viguerio.

Sed dicendum est, hanc regulam esse generalem, nec restringi solum ad eos casus, pro quibus in iure adducitur. Videatur Ioannes de Sancto Thoma 1. 2 *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. §. *supposito: ergò*. Probatur primo; nam illa regula traditur in Iure quasi vniuersalis in remedium pro conscientia dubia deponenda: ostendens id debere fieri quando talia occurrunt dubia, nec restringitur ad particularem casum, pro quo adducitur, imo talis casus ex illa tamquam ex communi doctrina deciditur, vt patet in iuribus adductis pro ipsa regula. Secundo, nam ipsa regula rectè intellecta, & vt a nobis est exposita, generalis est, & generaliter verum habet, vt patebit ex dicendis. ergo voluntariè restringitur, eo quod non rectè intelligitur, & sic verificari non potest.

Verùm

Verùm est quod inter alios modo explicandi regulam hanc, modus non ineptus est, quod hæc regula non habet locum quando resistit possessio; quia regula possessionis de qua egimus in primo loco, vniuersalior est, & sic posideas in dubio conseruat possessionem,& non sequitur tutiorem partem. Idque etiam concedit Vasquez, & reliqui hanc tutiorem partem magnificantes. Sed dicunt, non dari possessionem extra materiam iustitiæ. Sed qui nobiscum supra tenent, etiam in materijs extra iustitiam habere veram regulã possessionis, ex consequenti dicent, regulam hanc in eis locum non sortiri rigorosè sumendi partem tutiorem, nam si solum tutam intendit iuxta huc vsque dicta, generaliter seruatur hæc regula etiam in materia iustitiæ; quia posidentis pars tuta est. Videque *infrà* diximus.

Vltimò est notandum, quòd prædicta regula potest habere aliquos alios sensus non incongruos, quos supra adduximus.

DVBIVM VI.

Quomodo intelligenda est illa regula. Cùm sint partium iura obscura Reo faciendum est potius, quàm Actori.

CVm sunt partium iura obscura, reo faciendũ est potius, quam actori, quę habetur *in iure c. cum sunt. de regulis iuris in sexto, &* est regula 11. quam Bonifacius VIII. desumpsit ex iure ciuili *in lege fauorabiliores, §. eodem titulo.*

Pro cuius expositione notandum est primò, quòd, in iure *actor* dicitur ille, qui quoquo modo siuè ciuiliter, siuè criminaliter agit contra alium; reus verò appellatur à re, quæ petitur ab eo, seu super qua impetitur, vt ex capite, *ferus, de verborum significatione,* probat S. Antoninus vbi supra, & est omnis ille, contra quem aliquid petitur, siuè criminaliter, siue ciuiliter. Dicit ergo regula, quòd cum Titius accusat Sempronium de homicidio, in quo casu Titius est actor, & Sempronius reus; si causa est dubia; fauendum est Sempronio reo, seu in eius fauorem iudicandum. Et idem est, si Titius petit debitum à Sempronio, & iste negat, si enim causa est dubia, iudicandum est in fauorem Sempronij Rei. Et eisdem terminis in foro conscientiæ; si enim Sempronius vtimur in foro conscientiæ; si enim Sempronius dubitat, an debeat centum Titio, Sempronius pro reo habetur, & Titius pro actore, & si nihil dicat, vel agat contra illum, qui fortè id ignorat, & si facta diligentia semper remanet dubium, arbitrãdum est pro Sempronio reo, & non tenetur illarum quantitatem restituere.

Prędicta regula sic explicata fundatur in hac ratione. Nam in pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis, quæ est regula 65. *in iure 6.* à nobis suprà explicato. Et eius ratio est, quòd cum iura partium sunt equalia, seu æquè dubia, pro parte rei est possessio, ratione cuius superat aliam partem. Sed semper possessio se tenet ex parte rei, non ex parte actoris: nam in criminalibus posidet suam Innocentiam, donec contrariũ constet, & in ciuilibus suam substantiam: ergo semper fauendum est reo. Ex quo apertè deducitur, quòd hæc regula fundatur in illa alia possessoris bonæ fidei. Et Confirmatur, nam ob eandem rationem decidit ius ciuile *lege 1. C. de conditionibus insertis,* quòd possessor bonæ fidei siue plena, siue manifesta probatione in contrarium spoliari non debet.

Notandum est secundò ex S. Antonino 1. *parte tit. 20. regula apud illum* quòd hæc regula fallit, quando actor fauet causam fauorabilem sententiã, & matrimonium, libertatem, dotem, testamentum; tunc enim fauendum est potius actori, vt definitur *cap. si quis accepit 33. q. 1.*

Petes *Quomodo intelligenda sit illa regula. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque consueuit fieri. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quòd plerumque cõsueuit fieri, &* est regula 45. *§. de regulis iuris in 6. &* desumpta est ex lege, *in obscuris, §. eodem titulo.*

Quam regulam S. Antoninus 1. parte, titulo 20. explicat, varios adducendo casus, dicens: *Qui contraxit cum vidua,* & longo tempore habitauit cum illa: illa dicit se incognitam. In hoc obscuro præsumitur cognita, quòd verisimilius est 33. *q. 1. c. si quis acceperit.* Item cancellata, vel obscurata litera nominis, præsumimus ibi illã litterã fuisse, de qua est verisimilius de fide instrumentorũ, *cap. inter dilectos.* Item in dubio verisimile est, filium iniustè exhæreditatum *C. de inoffic. testã. Autenth., non liceat, &* 22. *q. 2. c. queritur,* inducitur exemplum Abrahę, *Genes. 20. 7.* Quod cùm potuerit dubitare de pudicitia auferenda vxori, si diceret, soror mea est; & de occisione sui, si diceret, vxor mea est, fecit id, ex quo verisimilius poterat se iuuare.

Petes 2. *In obscuris minimum est sequendum. Quomodo hæc regula intelligenda est.*

In obscuris minimum est sequendum. Hæc est regula 30. *de regulis iuris in 6.* quæ desumpta est ex lege, *semper in obscuris §. eodem titulo* & in lege *nummis ff. de legat. 3.* ibi decernitur, quod si legentur nummi sic in genere, debentur minimi ex nummis, Pro cuius explicatione notãdum est primò ex S. Antonio 1. *parte, tit. 20.* super hanc regulam, quòd in obscuris inspiciẽdum est primò, quod est verisimilius, & quod fieri consueuerit, iuxta regulam inmediatè ante hanc a nobis traditam: & si id fieri non potest, statim iuxta hanc regulã inspiciendum est, quod est minimum. Ratio huius regulæ est, vt ait S. Antonius loco cit. quod de minimo non est dubium sensisse, quoniam si intellexit de maximo; ergo & de minimo. Quoniam plus continet in se, quod est maius, sed non è contrario.

Notandum 2. quod hæc regula primò locum habet in pænis, iuxta regulam 49. *de regulis iuris in 6. in pœnis benignior est interpretatio facienda.* Item dubitat quis quantam penitentiam debeat peccatori dare, melius est errare immediocritate, quàm in excessu. Quoniam melius est secundum Chrysostomũ habere Deo reddere rationem de nimia Misericordia, quàm de nimia seueritate, vt habetur, *cap. alligant 26. q. 7.* Cùm quis etiam est perplexus secundum conscientiam suam inter duo mala, minimum est eligendum, vt videb. in dub. sequent. Item cùm quis dubitat de diuersis operibus, quid magis debeat facere, vel quid de se sentire, sequatur minimum, idest humilius. sic S. Antonius *loco citato.*

DVBI-

DVBIVM VII.

Quomodo intelligenda est illa regula, ex duobus malis minus est eligendum. Vbi Quomodo dubia sint in meliorem partem interpretanda.

EX *duobus malis minimum est eligendum*, deducitur hæc regula, quia in dubijs pro vtraque parte timentibus peccatum, vti debemus, ex cap. *duo mala*, & cap. *nerui* dist. 13. & parum distinguitur à præcedenti. Pro cuius explicatione notandum est primò, quod nomine malum possumus intelligere mala pœnæ, seu damni, & mala culpæ. Et siquidem regulam intelligimus de malis pœnæ, seu damni, facilis est, & verificatur generaliter. Nam ratio naturalis sicut dictat bonum prosequi, & maius bonum magis prosequi, sic dictat malum fugere, & multò magis maius malum, & sicut dictat relinquere minus bonum, propter maius, eo quod minus bonum respectu maioris inducit rationem mali, sic dictat eligere minus malum, vt effugiamus maius, quia minus malum, respectu maioris induit quandam rationem boni. Si autem intelligamus regulam de malo culpæ, difficultatem habere videtur, eo quod nô licet committere minus malum, vt euitemus maius, quia si est malum culpæ, vtique numquam licet, siue magnum sit, siuè paruum, quia quodcunque peccatum est illicitum,

Nec valet dicere, quod licet consulere minus malum volenti perpetrare maius, vt supra vidimus. Nam, vt ibi animaduertimus, non licet consulere alicui peccatum quantocunque minimorum, sed ex suppositione, quòd quis est infirmo proposito, faciendi maius malum, potest suaderi quòd saltem minus faciat, quando non vuit desistere. Vnde dicendum est, quod si hæc regula accommodatur peccatis, minus malum non debet sumi formaliter, in ratione peccati etiam minoris; sed materialiter: hoc est, debet eligi illud, quod ex se quidem peccatum esset, sed vt sit electum solùm materialiter est peccatū, quia reuera est licitum pro illa occasione, & statu, quia cùm homo non debeat manere suspensus, licitè in eo casu eligit illud medium.

Quod vt explicemus; Notandum est secundò, quod hæc regula circa peccata locum habet, quando homo dubitat, ad quam partem declinet, quia vtraque videtur peccatum, & instat necessitas operandi; necessitas, inquam, vel simpliciter, vel ad melius esse. Nam in solo Volūtatis arbitrio operatur, & potest facilè cessare, vt ad neutram partem inclinet, non currit casus regulæ eligendæ minus malum, sed ab vtroque malo debet abstinere. Aliquando autem est necessitas simpliciter declinandi ad vnam partem, vt cùm ea, de quibus dubitat, ita opponuntur, vt necesse sit in vnum incidere, quia inuoluunt contradictionem. Vt cum quis dubitat an teneatur mentiri, vt excuset scandalum, & tam mentiri, quàm non mentiri dubitat esse peccatum. Aliquando verò solùm est necessitas ad melius esse, quando scilicet ex vna parte timet peccatum, ex alia vrget, vel ius proprium, quo priuari nô debet propter dubium, vel iusta necessitas, vt si cōfessor dubitat, an ex auditione confessionis sequetur pollutio, & chirurgus idem dubitat ex hoc, quod ad curandum debet videre impudicas partes, in primò vrget proprium ius, in alio verò propria vtilitas,

Dicimus ergo, quòd cùm proprium ius, vel propria vtilitas, quæ est necessitas secundùm quid, & a fortiori quando vrget necessitas simpliciter, tunc locum debet regula eligendi minus malum. Idest quòd ex se erat minus malum culpę, sed in eo casu non est culpa, sed licet, quia licitum est vnicuique vti iure proprio, aliás non est ius. Dicimus ergo quod quando aliqua vrgens necessitas, & ius proprium occurri faciendi aliquid, hoc ipsum illum est minus malū, quā aliud, imò formaliter non est malum culpæ in tali casu, ex quo apparet, quod ista regula etiam fundatur in prima supra accēnata de meliori cōditione posidentis, quia vbi interuenit ius propriū vtendi re aliqua, ibi interuenire debet possessio talis iuris. Videatur Ioann. de S. Thom. 1.2. *q.* 18. *disp.* 12. *art. quarto* §. *tertium principium*.

Ex dictis probatur hęc regula. Et in primis si ex vtraque parte peccatum repræsentatur, & est necessarium simpliciter operari, conuenientius est minus malum eligere, & tunc si non est via excludendi dubium, sic operando non peccat, eo quod prudenter agit, iudicando licere minus malum, quia eo ipso aliquid habet boni, & ratione necessitatis excusatur, si ignorantia est inuincibilis. Deinde probatur de necessitate secundum quid, seù quando proprium ius, vel iusta necessitas obligat operari, quod inuincibiliter dubitatur esse peccatum. Nam ius, quod tunc homo habet, & necessitas est certa, & patens, & homo, est in possessione eius, sed nullū debet spoliari certa possessione, & certo iure propter dubium partis contrarię. ergo tunc adhuc manente dubio de eo quod est peccatum, quod in eo casu speculatiuè debet iudicari, potest habere iudicium practicum prudentiale, & rectum, quod licet operari cum tali dubio, & licitè operatur.

Dubia sunt in meliorem partem interpretanda. Hæc regula habetur in decretis; Canone, estote, de regulis iuris, & sunt verba Bedæ super illud Lucę 6. *nolite iudicare*, & Glossa ordinaria super illud ad Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non iudicet dicit, dubia in meliorem partem sunt interpretanda* de qua re videatur *S.* Thom. 2. 2. *q.* 60. *art.*),

Sensus eius regulæ ex *S.* Antonino *prima parte Theologiæ, tit.* 20. *reg.* 15. est, quod ea facta, vnde dubium est, quo animo fiant, sunt in meliorem partem interpretanda. Proquo ad vertendum est ex dictis quòd triplex est genus operum humanorum. Aut enim sunt bona ex suo genere, vt ieiunium, eleemosina, & ista semper debent interpretari in bonam partem, quamuis possint fieri mala intentione, aut sunt mala ex genere suo, vt furta, homicidia, & de his permittitur nobis iudicare, hoc est interpretari in malam partem, & reputare ea digna damnationis iudicio, vt in eo loco docet Beda. Immò peccatum esset huiusmodi interpretari bona, & excusare, vt dicitur canone *si quis dixerit* & sequenti 11. 9. 3. non tamen debemus iudicare huiusmodi facientes absolutè damnandos, quia possunt reuerti ad penitentiam. Tertium genus operum est indifferentium, vt comedere deambulare, vendere, & c. hæc in indiuiduo fiunt benè, vel malè iuxta finem, & reliquas circumstantias, vt vidimus supra, & de his præcipuè intelligitur regula, quòd sunt interpretanda in meliorem partem.

tem. Et actio naturalis, in quo fundatur hec regula, (quæ pluribus Sacræ scripturæ locis stabiliri potest, quæ peruia sunt,) est, quòd cùm huiusmodi opera ex se indefferentia sint ad hoc quòd in indiuiduo sint bona, vel mala ex circumstantijs, maximè ex fine, cui tamen regulariter nobis latet, si iudicamus in malam partem, facimus iniuriam proximo, diffamantes saltem apud nos sine debito fundamento, & cum periculo errandi. Debemus ergo in bonam partem interpretari, quia cum vnusquisque sit in possessione suæ famæ, non potest illa spoliari sine euidenti probatione, & confirmatur ex supra dictis, nempè, *Indubijs tutior pars est eligenda*, & ex alia inqua vidimus, quod *in dubio reo fauendum est*.

DVBIVM VIII.

An Possessio suffragetur possidenti non solùm in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ.

SEnsus est an regula prima posita, nempè; *In pari causa, & delicto, melior est conditio possidentis*, non solùm deseruiat ad dubia decidenda in foro exteriori, sed etiam in foro interiori. itaut si Petrus dubitat, an fundus, quē possidet, ad eum pertineat, vel ad alium, dum dubium non potest euinci, sed manet pro vtraque parte, licitè possideat fundum, & perseueret in tali possessione,

Conclusio, prędicta regula est vera, & obseruāda non solum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientiæ, saltem in materia iustitiæ. Itaut in dubio possessio bonę fidei suffragetur possidenti, & in casu dubbij eius partem reddat meliorem, & securam in conscientia, saltem in materia iustitiæ, (nam circa alias materias postea infra differemus) v. g.; Possidet Petrus bona fide domum, & incipit dubitare, an pertineat domus illa ad cognatum, & facta diligentia, non post aliquid certi resoluere, manente dubio, ratione possessionis rectè retinet domum, & non tenetur restituere, vel diuidere. Conclusionem hanc tenent Soto in 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. contra id, quod docuit loco cit. pro contraria sententia. Syluester *verbo Præscriptio* 1. *q* 3. Medina 1. 2. *q.* 19 *art.* 7. *conclus.* 1. Couaruuias *in regula Possessor* 2. *parte §.* 7. *nu* 4. *& regula Peccatum* 3. *parte, n.* 4. Medina *tra.* 2 *disp.* 45. *&* 36. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *c.* 7. *num* 36. Herinquez *lib.* 14. *nu.* 15. *in fine* Salas *tract.* 8. *nu.* 223. Montes. 1. 2. *disp.* 29. *q.* 4. *nu.* 104. Martinez 1. 2 *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *post Conclus.* 2 Rodriquez *tom.* 2. *cap.* 43. *n.* 4. Azot *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 5. *& q* 8. *ad* 1. Lessius *cap.* 3. *nu* 52. *&. cap.* 10. *num.* 40. *& c.* 15. *nu.* 2. Egidius de coninch *de Sacramentis disp.* 34. *dub.* 10 *nu.* 93. Bonac. *tomo* 2. *disp.* 2. *de peccat. q.* 4. *puncto* 7 *num.* 14. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio cap.* 41. *num.* 12. *& lib.* 1. *summæ cap.* 10. Ioan. de S. Thom, 1. 2. *q.* 10. *disp.* 12. *a* 4. Secūdò probatur. Nā prędicta regula tenet in foro exteriori, itaut si sit æquale dubium, iudex debet adiudicare rem possidenti, iuxta regulam, de qua disputamus, & vndecimam in 6. asserentem *Cùm. sunt iura partium obscura, reo fauendum est potius, quam actori*, aliàs nullius momenti essent hęc iura; sed forum conscientiæ debet foro exteriori conformari; quoties foro exterius non innittitur falsa præsumptione: ergo similiter in foro interno non debet bonæ fide possessor spoliari durante dubio, donec aliquid in contrarium manifestetur: Minorem probo infra.

Tertiò probatur à priori, ratione facta in superioribus pro fundamento regulæ, de qua disputamus. Nam cùm res est dubia, æqualia sunt iura partium; sed possessio additur ex vna parte; ergo illa pars vincit aliam. Patet Consequentia, quia negari non potest, quòd possessio aliquid operetur, cùm grauius damnum sit, de possessione deturbari, quàm non adquirere de nouo, qua ratione, quis dixit: *Tu piter eiicitur, quàm non admittitur hospes*,

In hoc dubio, est sententia opposita negans; regulam illam locum habere in foro conscientiæ, quod sola veritate gubernatur, sed deseruire foro exteriori procedenti ex præsumptione, sentētiā hāc videtur tenere Adrianus *in* 4 *in materia de restit. q. de præscriptione*, §. *Hoc supposito, & quod libeto* 2. *art.* 2. *ad secundam confirmationē primi Argumenti*. Vbi singulariter sentit, quòd si possidens incidat in dubium, sit ne res illa sua, nec ne, & facta diligentia non possit dubium vincere, tenetur eam restituere. eandem sentētiam tuentur alij, licèt moderatè teneāt, qui dicunt, quòd si facta sufficienti diligentia, semper manet dubium, tenetur possessor rē cū alio, cùm quo est dubiū diuidere, quod si non est persona cognita nomine eius restituatur Pauperibus. Item tenent Soto *lib.* 4. *de iustitia, q.* 5. *art vlt.* propè finem, Martinus de Ledesma *in* 2. *parte quarti. q.* 18 *art.* 1. *dub.* 14. Aragon 2. 2. *q.* 62. *art* 1. *in tract. de dominio*. Et hanc sententiā reputat probabilem Corduba *lib.* 3. *q.* 6. in prima solutione ad tertium.

Primum Argumentum Adriani est. Nā in dubijs tutior pars est eligenda, vt patet ex cap. *Iuuenis*, de sponsalibus, & ex cap. *ad audientiam*, de homicidio. Sed tutius est restituere, quàm retinere, quia in restitutione nullum potest esse peccatum, vel iniustitia, in retentione potest. ergo dubitans tenetur restituere. Respondetur, quòd quando dubium est practicum, quòd scilicet peccatum sit sic operari, tutior pars est eligenda; sed in nostro casu non est dubium, nisi speculatium, quia supposita possessione bonæ fidei, prudenter iudicat practicè possidens, de facta debita diligētia, de qua statim, se iustè rem retinere. De vero autem sensu illorum capituum iuris, dix supra.

Secundum Arg. ad idem. operari cum consciētia dubia in materia peccati, peccatum est, vt nos diximus supra sed possessor, qui dubitat, an ressit sua, si retinet, operatur cum conscientia dubia in materia peccati. ergo peccat. Resp. ex dictis, quòd operari cum dubio practico circa materiam peccati, peccatum est: sed in nostro casu dubium non manet practicum, imò formatur iudicium practicum prudentiale, quod supposita incertitud ne, & possessione, rectè rem retinet.

Tertium Argum. Soti, stante æquale dubio, æquale videtur ius vtriusque partis: ergo erit cōtra iustitiam, quòd vna pars totum accipiat, & alia toto priuetur, debet ergo diuidi. Resp. quòd stante equali dubio, ex isto cap. æquale est ius vtriusque partis, sed cum in fauorem alterius superueniat possessio bonæ fidei, hæc pars vincit aliam, & sic iustè retinet,

Quartum Argum. quo nos probamus idem. non potest assignari casus, in quo possessio possit suffragari dubitanti: ergo ex possessione, non melioratur eius conditio, quantum ad Conscientiæ

forum. Conseq. est bona, & Antecedens probatur; nam dubium vel occurit possessori in principio possessionis, vel postea in decursu eius, sed neutro modo suffragatur. ergo nullo modo suffragatur. Minor probatur, & in primis, quandò dubium occurrit in principio possessionis, quia tunc reddit possessorem malæ fidei, & tunc non suffragatur possessio. Deinde neque si occurrat postea in decursu possessionis, suffragatur, nam tali dubio interumpitur possessio bonæ fidei, cessante verò possessione bonæ fidei, iam remanet æquale ius vtriusque partis, siquidem est æquale dubium. Antecedens probatur, nam bona fides requirit, quod possidens putet rem esse suam, quod non existimat, qui dubitat. Item si dubium accidisset in principio possessionis, impediret possessionem bonæ fidei, ergo si accidit in medio interrūpit illā.

Resp. nego Antecedens. Ad probationem nego minorem. Nam licèt dubium antecedens possessionem non suffragetur; quia reddit possessorem malæ fidei: suffragatur tamen cum superuenit, inquantum non deturbat, vel expellit possessionem bonæ fidei. Ad primam probationem dico, quòd dum non constat possidenti, saltem opinione, in contrarium, rem esse alienam iustè, & prudenter putat esse suā ratione possessionis, & dubium manet speculatiuum. Vnde cap. 34. q. 1. dicitur: *In iure prædiorum tandiu quisque possessor bonæ fidei dicitur, quandiu possidere se ignorat alienum*. Qui autem dubitat, adhuc ignorat esse alienum. Videantur Couarruuias *in regula possessor 2. parte.* §. 7. *nu.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 4. Medina *de restitutione*, *q.* 17. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 2. *nu.* 6. Ad secundam probationem dico, quòd dubium in principio tollit titulum possidenti, & sic possessionem bonæ fidei, sed non sic cùm iam bona fide possidet, vt dicebamus.

Arg. 5. *ex cap. dilectio, de donationibus* dicitur: in Contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs quoque plenissima, est interpretatio adhibenda. Vbi nomine beneficij ex cōtextu intelligit Eleemosinam relictam Ecclesiæ, quā in dubio maiorem dicit interpretandam, quod apertè est contra possessionē hæredis. Resp. quòd si ibi agitur de vero dubio, cui sensui contradicit vox illa, *euidenter*, non est mirum, quod non attendatur possessio heredis, cum interueniat pia causa in contrarium. Vel dicito, quòd in eo casu hæres non est possessor bonæ fidei, quia legatū dubium præcessit possessionem hæredis, & sic numquam potuit esse possessor bonæ fidei.

DVBIVM VIIII.

An quando possidenti bona fide superueniat verum dubium practicum, an illa res sit sua, vel aliena, teneatur adhibere debitam diligentiam.

Qvando possidenti bona fide superuenit verū dubium practicum, an illa res sit sua, vel aliena, tenetur adhibere debitam diligentiam, vt tale dubium excludat, & certius cognoscat, an tea vera sit sua, vel aliena, quòd si non facit, incipit esse possessor malę fidei: si autem facit, & dubium perseuerat, remanet, possessio bonæ fidei; si autem excludit dubium, operari debet iuxta notitiam, quam aquisiuit, siue probabilis sit, siue certa. Explicatur conclusio dixi *superuenit*, quia si dubium, fuit à principio possessionis, non potest effici possessor bonę fidei, eo quòd in eo casu non habet titulum, cùm de illo dubitet. Dixi, *verum dubium practicum*, quia si solùm est scrupulum, & non est verum dubium, deponendum est iuxta dicenda inferius. Si autem solùm est dubium speculatiuum, non obstat iuxta dicta supra.

Conclusionem sic explicatam tenent Auctores citati *in concl.* dub. *præced.* Probatur, nam qui exorta dubitatione, non facit moralem diligentiam, vt certificetur de veritate, vult exponere se periculo detinendi, quod alienum est, & sic peccat. Secundò ponis impedimentum, ne ius alterius obtineat, vel compareat. Tertiò sua culpa est in dubio, cùm possit illud excludere, & non facit, cum tamen teneatur ratione rei alienæ, quā forté detinet, & tunc non suffragatur illi tunc possessio, quia incipit esse possessor malæ fidei, & hęc Conclusio roboratur ex dictis *supra*.

Tertia Conclusio: si possessor dubitans omittat inquisitionem debitam, seu ita differat, vt omissio sit causa, quod non appareat verum rei dominus, vt si interim moriantur, qui de re illa veritatem possunt edicere; tenetur prudentis arbitrio, vel illi, de quo est dubium, vel si ille non comparet, loco eius pauperibus restituere quantum iudicari possit, quod illi competebat, iuxta quod maior, vel minor spes erat veritatem consequendi circa ius ad rem. Quæ Conclusio est communis doctrina; de qua videantur Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 36. *Concl.* 1. Salas *tract.* 8. *num.* 236. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio*, *disp.* 41. *nu.* 13. *& in summa lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 143. Villalobos *tom.* 1. *summa*, *tract.* 1. *num.* 2. & hanc sententiam probabiliorem, & tutiorem reputant Rebellus *de obligationibus iustitia*, *prima parte*, *lib.* 2. *q.* 5. *de restitut. num.* 12. §. *sed quid* Bonacina *disp.* 1. *de restitutione*, *q.* 2. *puncto* 1. *n.* 8. *&* Palao *de conscientia*, *disp.* 3. *puncto* 2. *n.* 8.

Probatur primò, quia in eo casu constituitur possessor malæ fidei, & ex consequenti tenetur restituere rem, & fructus pro dubij quantitate.

Secundò, quia ex omissione culpabili sequitur dominum non apparere, tenebatur enim ratione rei alienæ inuestigare dominum; ergo cum sua culpa sequatur alteri damnum, debet illi restituere, siue nomine eius pauperibus. Quod si omnino certum non est diligentia facta, dominum cōpariturum, restituatur iuxta quātitatem dubij de re, & fructibus, saltem à tempore in quo omisit inquirere.

Tertiò, quia nullus ex suo peccato debet commodum reportare, vt commune est apud iuristas, & sic nec iste, ex eo quod peccans voluit ignorare. Quartò, quia ignorantia affectata, & crassa æquiualet scientiæ; cum ergo iste ignorauerit ex sua culpa ignorantia affectata, & crassa, ita constituitur possessor malæ fidei, ac si haberet notitiam.

Sed contra prædictam Conclusionem censent probabile, quod licèt omittens facere diligentiā tempore debito, ex quo sequitur non posse de dubio certificari, peccet mortaliter contra iustitiam, tamen si postea diligentia facta numquam comparet dominus, restituere non teneatur: Rebellus *de obligationibus iustitia*, *prima parte*, *lib.* 2. *q.* 5. *de restit. num.* 12 §. *sed quid* Bonacina, *loco citato*, & Palao *de conscientia*, *disp.* 3. *puncto* 2. *n.* 9.

Probant. Nam qui omisit inuestigationem tempore, quo apparere poterat Dominus, & si peccauerit contra iustitiam, sed non desinit esse possessor bonæ fidei. ergo dum Dominus non comparet.

ret, sed dubium manet, restituere non tenetur ratione possessionis bonæ fidei. Consequentia est bona, & Antecedens probatur, quia possidens, de quo loquimur, numquam certus fuit rem, quam possidebat, alienam esse, quod videtur requiri, vt incipiat esse possessor malæ fidei, & sic semper perseuerauit dubium, & cum illo possessio bonæ fidei.

Sed quia opposita sententia in Conclus. expressa est communis, & huius fundamentum debile, ideò hæc sententia nihil, vel parum probabilitatis habet. Et ideò ad eius fundamentum nego Antecedens. Ad eius probationem dico, quòd licèt possidens numquam fuerit certificatus de iure alieno, hoc fuit sua culpa, & sic ignorantia affectata, & crassa, quæ æquiualet scientiæ, & ideò efficitur possessor malæ fidei.

Ex dictis collige duo. Primum est, quòd si transacta omissione inquirendi verum dominium, quocunque modo verus dominus appareat, tunc illi non solùm est restituenda res, sed fructus eius, expensis deductis, ex eo tempore, quo omisit inquirere Dominum, quia sua culpa est damnificatus in his omnibus. Secundò collige, quod si nō est certum euidenter, vel probabiliter quod facta diligentia comparuisset Dominus, sed solùm hoc dubitatur, probabile esse, non teneri possessorem omittentem diligentiam, restituere, eo quòd in dubio, an aliquis damnum intulerit, nec ne? restituere nemo tenetur. De qua re videantur Bonac. *disp.* 1. *de restit. q.* 2. *puncto* 4 *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *de iustitia, cap.* 13. *dub* 4. *nu.* 33. & Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *num.* 12. *in fine.*

Quarta conclusio. Dum possessor rei dubius facit competentem diligentiam, vt verus Dominus compareat, potest rem seruare, quia nondum scit, cui debeat tradi, sed non potest alienare, nec vtendo consumere, nam alias frustra Dominus quæreretur. Sed si est res, quæ non potest conseruari, poterit eam consumere, vel ea vti, aut si vsu non consumitur, vt æquus, mancipium ea vti, paratus id de valore vsus facere deductis expensis, quod faciendum erat de re, si seruaretur, quia etiamsi res sit aliena verus Dominus in hoc nō videtur rationabiliter inuitus, de qua conclusione videantur Salas *tract.* 8. *nu.* 228. Bonacina *de restitutione, disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. *num.* 2. & 9. Sanchez *de matrimonio, lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 12. & 21. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 20. *num.* 4. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 7.

DVBIVM X.

An possessor bonæ fidei, si suborto dubio, & facta sufficienti diligentia adhuc manet dubius, possit rem iustè retinere ratione possessionis.

Conclusio. Possessor bonę fidei, si suborto dubio, & facta competenti diligentia, adhuc manet dubius, non solùm potest rem ratione possessionis iustè retinere, sed potest illa ad libitum vti, & vsu consumere, vel quocunque modo alienare. Probatur primò, quia tunc ratione possessionis sit propria, dum Dominus non comparet, nec est moralis spes, quod comparebit, cùm facta diligentia non comparuerit, & post tempus legitimum præscribit, itaut posteà etiam comparentem Domino restituere non teneatur. Secundò quia inutilis est possessio rei, imo esset onerosa, si non posset illa vti, vel alienare ante tempus præscriptionis. Conclusionem hanc tenent Medina *cod.* dice de restitutione, *q.* 10. Molina *tom.* 3. *parte* 2. *disp.* 721. *n.* 4. Couarruuias *regula peccatum parte* 3. *num.* 4. Vasq. 1. 2 *disp.* 66. *num.* 38. Salas *tract.* 8. *num.* 221. Montes 1. 1. *disp.* 29. *q.* 4. *n.* 107. Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 22. & *lib.* 2. *Decalogi cap.* 23. *nu.* 184. alter Sanchez *in selectis, disp.* 34. *nu.* 2. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *num.* 23. Bonac. *de restitut. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. Turrianus *disp.* 13 *de iustitia dub.* 3. *num.* 16. Hurtado *disp.* 4. *de conscientia, difficult.* 10. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 20. *n.* 4. Palao *tract.* 1. *disp.* 13. *puncto* 2. *n.* 12. Ouiedo *tract.* 5. *num.* 11.

Contra hanc Conclusionem tenet Cordoba *lib.* 3. *q.* 8. *corollario* 3. possessorem bonæ fidei, dum est dubius alienare non posse. Probatur primò, quia qui præscribere non potest, nō potest alienare. sed possessor etiam bonæ fidei non potest præscribere, dum dubitat, ergo nec potest alienare. Maior probatur ex lege *alienationis* §. *de verbo*- verborum significatione. Secundò, nam si durante dubio disponit de re, exponitur periculo alienandi rem alienam, & iniuriam facit vero domino. Sed hęc sunt parui momenti. Et ad primum nego minorem, probabilius enim est quod possessor bonæ fidei, etiam si dubitet post factam debitam diligentiam præscribere potest debito tempore, secundò Respondetur, nego minorem, & ad probationem dico, quod in illa lege statuitur solùm, eum, qui alienare non potest, præscribere non posse; non verò è contra non posse alienare eum, qui non potest præscribere. Videatur Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *n.* 23. *ad* 2. *Argum.* dico, quòd cùm facta diligentia non apparet ratio restituendi, moraliter creditur numquam apparitura. Quod si contingat raro apparere, fiet recompensa.

Quatuor tamen sunt aduertenda circa prædictam conclusionem. Primum est possessorem bonæ fidei, & dubitantem, si reusus fuerit, consumpserit eam, vel alienauerit, teneri paratum esse comparenti domino restituere id, secundùm quod fuit ditior factus ex tali vsu, consumptione, vel venditione, vnde si æquo vsus fuit ad necessaria domus, vel agri, debet domino restituere valorem operum eius, deductis expensis. Si autem non fuit ditior factus, quia equum consumpsit solum ad commoditatem, vel ostentationem, quem si non habuisset, alium non emisset, vel si erat res consumptibilis, vt vitella, consumpsit in conuiuijs, quæ non fecisset, nisi habuisset vitellam in eo casu comparente domino nihil tenebitur restituere. sic ferè omnes, qui citati sunt pro conclusione. sed totum pretium rei debere restitui, tenent Ioann. de Medina *C. de restitutione, quest.* 10. Sayrus *in claui lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 29. *vbi* alios citat. fundamentum est quod si rem illam seruaret, deberet esse paratum pretium restituere. Sed respondetur, quod si res permaneret, teneretur rem integram restituere, (nisi fuerint expensę) ratione rei alienæ. sed re vendita, vel consumpta, non tenetur ratione rei alienę, cùm non extet; sed solùm id, in quo factus est locupletior, quia hoc totum est apud illum, quæ est regula possessoris bonæ fidei, & ratio communis sententiæ.

Secundum est, quòd si in prædicto casu possessor dubitans, facta sufficienti diligentia vendat rem, de qua dubitat, tenetur ad monere emptorem de tali dubio, & onere restituendi rem, si compareat

pareat verus dominus, iuxta sententiam probabilem, quam tenent Couarruuias *regula peccatum, part.* 3, *n.* 4. Molina *tom.* 3. *disp.* 721. *n.* 4. Salas *tract.* 8. *n.* 227. Montes 1. 2. *disp.* 28. *q.* 4. *n.* 107. Sa *verb. Restitutio*. Rebello *lib.* 2. *de restitutione q.* 5. *n.* 11. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. Sanchez *Lib.* 1. *de matrimonio, disp.* 41. *n.* 21. alter Sanchez *in selectis, disp.* 43. *n.* 12. Bonacina *tomo* 2. *disp.* 1. *de restitutione, q.* 2. *puncto* 2. *n.* 4. Hurtado *disp.* 4. *de conscientia, difficult.* 10. Palao *tractu* 1. *disp.* 3. *puncto* 2. *n.* 1. Ratio huius sententiæ est, quod qui vendit rem cum hoc periculo, quod si compareat dominus, illi debeat restitui; quo vitio, vel periculo detecto, vel emptor non emeret viliori pretio. Sed prædicta sententia debet intelligi, quando est spes moralis, quod verus dominus cōparebit: quod si non est talis spes non teneris de hac re aliquid monere, quia tunc emptor morali periculo non exponitur. Sic Bannes 2. 2. *q.* 62. *n.* 6. *dubio* 5. Thomas Sanchez *de matrimonio, dub.* 2. *disp.* 41. *q.* 2. *conclus.* 4. *n.* 22. Ioannes Sanchez *disp.* 43. *n.* 12. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 2. *n.* 13. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficult.* 20. *n.* 4. Bonac. *de restitutione disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. *n.* 5.

Tertium est quod à possessore bonæ fidei dubitare potest quis, cum sciens rem, de qua est dubium recipere donatione, vēditione vel testamēto cū eōdē onere, cū quo ille habeat, ita si nondum facta est debita inquisitio veri domini, ab illo fiat, & si comparet restituat si non perseueret in possessione bonæ fidei: Si autem à primo possessore fuit facta sufficiens diligentia, excusatur ab illa, & continuat possessionem bonæ fidei, & si vult potest rem iterum alienare. Et ratio aperta est, nam iste succedit in iure prioris domini, & potest quod ille poterat. Ex quo iterum elicitur, quod qui existimat mancipia nigra iniustè à venditoribus capi, & ex consequenti, siue donatione, siuè emptione ab illis accipiat, est possessor malæ fidei, tamen qui emit ab illo, qui bona fide recepit à capientibus, si facta diligenti examinatione à primo emente, vel secundo, non constet hoc mancipium esse iniustè captum potest licitè manere in possessione eius, quia licèt tempore captiuitatis possessio libertatis staret pro mancipio; tamen tempore dubij possessio bonæ fidei stat pro emptoribus, si vt dictum à principio, primus bona fide emit, de qua re tractant Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 36. *concl.* 1. & 3. Thomas Sanchez *de Matrimonio lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 28. Ioann. Sanchez *disp.* 43. *n.* 4. Bonac. *de restitutione, disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 10. Franciscus de lugo de *conscientia* *c.* 2. *n.* 34.

Quartum est, quòd si aliquis à possessore bonæ fidei rem furatus fuerit, de qua dubitat, an sit sua, illa restituenda est illi possessori bonæ fidei integra. Et quod debeat restitui patet, quia iste furans non habet titulum aliquem possidendi cum mala fide, qua accipit, impediat possessionem. Quod verò illi possessori, debeat restitui, patet, quia possessor bonæ fidei, dū dominus non comparet, habet eius dominium ratione possessionis bonæ fidei. Sic Nauarrus *cap.* 17. *n.* 217. Cordub. *q.* 3. 4. 2. *conclus.* 3. Molina *tomo* 1. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 35. §. Verum. Salas *tract.* 8. *n.* 234. Nauarra *de restit. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 350. Vasquez *opusculo de restitutione c.* 6. §. 3. *dub.* 5. *n.* 83. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 25. Rebellus *prima parte, q.* 5. *n.* 9. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *conclus.* 6. *n.* 26. Ioannes Sanchez *disp.* 87. *n.* 13. Villalobs *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 20. *n.* 6. Coninch. *disp.* 34. *n.* 89. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 3. *n.* 1. Et licèt Medina Complutensis C. *de restitutione, q.* 30. *columna* 5. censeat non teneri restituere, quia non tenetur indemnitatem prioris possessoris suę præferre; hoc non subsistit quia licèt vterque dubitet, cuius res sit, sed prior possidet bona fide, non secundus.

DVBIVM XI.

An possessor bonæ fidei dubium, examine competenti facto adhuc manet dubius, ita tamen quod magis inclinet intra rationem dubij in partem contrariam, scilicet quod res non sit sua, sed alterius, teneatur rem restituere.

SI possessor bonæ fidei dubius examine competenti facto, ad huc manet dubius, ita tamen quod magis inclinet intra rationem dubij in partem contrariam, quod scilicet res non est sua, sed alterius; tunc probabile est, quod tenetur restituere pro quantitate dubij, seu rem inter se, & aliam partem diuidere si est diuisibilis vel recompensando, aut recipiendo, si est indiuisibilis. Et oppositum, quod scilicet non tenetur aliquis restituere, etiam est probabile.

Primam partem conclusionis huius, quod scilicet debeat restituere vel valorem diuidendo, vel pro rata dubij, tenent Bannes 2. 2. *in præambulo de dominio ad quæstionem* 62. *dub. vltimo, conclusione* 2. Salon 2. 2. *q.* 62. *controu.* 4. *conclus.* 4. Valentia *tomo* 3. *disp.* 3. *q.* 16. *puncto* 2. Petrus de Ledesma *de Matrimonio, lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 19. Coninch *disp.* 34. *de matrimonio, dub.* 10. *n.* 93. & probant primò nam si propter aliquam rationem non teneretur restituere, maximè propter regulam 65. iuris in 6. nimirum, *In pari causa, melior est conditio possidentis*, sed hæc regula non suffragatur possessori in casu de quo disputamus: ergo debet restituere diuidendo rem, vel iuxta quantitatem dubij. Maior est fundamentum contrariæ sententiæ; minor verò probatur, quia ius illud petit parem causam; sed cum dubium non est par causa; ergo non competit illi ius illud. Secundò, nam si ita propenderet dubium in aliam partem, quod ferè non relinqueretur fundamentum dubitandi pro possessore, teneretur restituere totam rem, quia tunc non est pro parte eius dubium, sed mera suspicio. Ergo quando est dubium, sed maius pro contraria parte, iuxta dubij quantitatem est restituendum. Tertio, quia licèt possessio aliquantulum suffragetur dubio debili pro parte possidentis, tamen excessus dubij pro alia parte recompensat excessum possessionis, atque adeò resuidetur diuidenda.

Secundam partem nempè in prædicto casu possessorem, non teneri ad aliqam restitutionem, tenent Molina *tomo* 1. *tract.* 2. *disp.* 136. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *c.* 7. *n.* 42. Salas *tract.* 8. *n.* 131. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *nu.* 9. vbi sententiam mutat, quam habet loco supradicto. Bonacina *de restitut. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. *nu.* 6. Diana *tom.* 2. *tract.* 1. *miscellaneo, resolut.* 10. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 158. Layman *tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 21. Veracruz *tertia parte speculi, art.* 23. *in fine*. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 2. *nu.* 12. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *nu.* 10. Franciscus de Lugo *de conscientia*,

scientia, *cap.* 2. *num.* 32. Probant, quia adhuc cum illa maiori propensione manet verè dubium, in quo melior est conditio possidentis, Secundò quia in hoc casu possessio certa est, & ius alienum semper manet dubium. Tertiò quia possessio præponderat omnibus rationibus non conuincentibus. Sed certè omnes illæ rationes debiles sunt, & ex prima ratione facta pro contraria sententia facilè dissoluuntur. Vnde probabilior apparet prima.

Addunt aliqui, quòd non solùm non tenetur aliquid restituere, quando dubium trãsiret in opinionem, quod res est aliena, dum non est euidentia. Ita Salas *tract.* 8. *nu.* 131. Sed vt hæc sententia probabilitatem possit habere, requiritur, quod ex vtraque parte sit opinio, quia alias si dubium transit in opinionem pro contraria parte, iam neque manet verum dubium negatiuum, neque causa est par, vt aduertunt Sãchez Palao & Oñedo locis citatis & iuxta hoc debent intelligi Molina, Layman, & Veracruz qui videntur esse in hac opinione Ioannis Salas.

2. Conclusio. Quando nullus possidet, & dubium est ad quem pertineat, diuidenda est res inter illos, de quibus dubitatur, iuxta proportiones dubij, itaut si magis incline in vnum, illi maior pars adiudicetur. Quod si res est indiuisibilis, vel vni adiudicetur, qui alijs de suis partibus satisfaciat, vel vendatur, & pretium diuidatur; & eodẽ modo restituatur res, quam aliquis possidet mala fide, cum talis possessio pro non possessore reputetur. Ita Caiet. & Medina quos sequitur, & refert Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de restitut. cap.* 6. §. 2. *dub.* 5. *num.* 8. Thomas Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 176. & 180. Fillucius *tomo.* 2. *tract.* 32. *cap.* 4. *nu.* 41. Lessius *lib* 2. *cap.* 3. *num.* 10, & *cap.* 14. *num.* 24. Probatur autem, quia in eo casu non est ratio, propter quam vni potius tribuatur, cùm dubium stat pro multis.

3. Conclusio, omnes prædictæ regulæ non solũ habent verum in foro exteriori, sed etiam in foro cõscientiæ, & idem dicendum est de omnibus alijs, quæ continentur in iure, præcipuè canonico, exceptis his, quæ præsumptione procedunt. Itaque forum conscientiæ debet forò externo conformari quoties forum exterius non innititur falsæ præsumptione. Probatur primò quia sic generaliter sentiunt Doctores, Soto *lib.* 4. *de iustitia q.* 5. *art.* 3. §. *Quartò arguitur* Suarez *de censuris tomo* 5. *disp.* 40. *sect.* 5 *num.* 16. Vasq. 1. 2. *disp.* 69. *c* 7. *num*, 36. Salas *tract.* 8. *num.* 171. Thomas Sanchez *de matrimonio lib.* 1. *disp.* 5. *num.* 20. & *lib.* 2. *disp.* 41, *n.* 12. & *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *n.* 9. & 11. & *lib.* 2. *cap.* 23, *num.* 40. vbi alios refert. Fillucius *lib*, 6. *tract.* 2 *cap.* 4. *nu.* 160. Palao *tom.* 1 *tract.* 1. *disp*, 3. *num.* 4 Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4 *num.* 9 *in fine*. & ex Iurisperitis Baldus *in autentica Ingressi num.* 49. *cap. de Sacrosanta ecclesia* & Couarruuias *in cap. cum esses num.* 7.

Secundò probatur ratione: nam ea, quæ in iure deciduntur, non temerè, & ex arbitrio præcipiuntur, sed diu meditata, & ex principijs moralitatis rectè adducta sunt. ergo continent idipsum, quod prudentialis ratio, & recta conscientia debet dictare, & ex consequenti illis debent conformari actiones. Tertiò. nam quando quis non valet per se adipisci id, quod facere debeat, vt rectè operetur, tenetur peritos, & pios consulere, & stare eorum iudicio, vt ex supradictis satis patet. Sed neque plures, neque prudentiores possunt consuli, quàm legum conditores, qui ex maiorum doctrina, & experientia summo consilio sequenda statuerunt, quibus etiam ratione præeminentis status & generalis approbationis omnium sapientium maior conciliata est auctoritas; ergo decretis eorum standum est in foro Conscientiæ,

Quod verò quando iura procedunt ex præsumptione, non debeamus illis conformare, si præsumptio reuera est falsa, ex eo apparet, quod tunc solùm in foro exteriori procedunt, in quo non valent certitudinem rei consequi, & ducuntur præsumptione. Sed in foro interiori, cum patet veritas, nec indiget probatione, proceditur ex ipsa veritate, atque adeò quando veritas patet, meritò relinquitur præsumptio, & ex consequenti extrinsecum ius, quod in præsumptione fundatur,

DVBIVM XII.

Vtrum in dubijs semper tutior pars sit eligenda

SEcunda regula à nobis supra proposita est. *In dubijs tutior via, seu pars est eligenda.* Circa quam inquirimus, an semper debeamus in dubijs sequi tutiorem partem? Ratio dubitandi est, quod pro parte affirmatiua stat proposita regula. Sed in contrarium est, quod cum quis facta sufficienti diligentia, ad huc dubitat, an res, quam possidet sit sua, vel alterius? Licitè huiusmodi rem retinet, nec alteri tradit, vel cum eo diuidit. Hoc autem est sequi partem minus tutam quia si fortè retinet alienum; quod si traderet, nullum posset timeri conscientiæ damnum, & sic, hæc, quam omittit, est pars tutior. Ergo non semper tenemur eligere tutiorem partem, & prædictam regulam obseruare.

Multum in hac enodanda difficultate expositores dissident, & vario modo procedunt, ægrè doctrinã ad generales, & certas regulas reducẽdo, & mox tãtas, & tales exceptiones annectẽdo, vt vix aliquid certi eliciatur. Vndè nõ pauci ex iunioribus regulis generalibus omissis, ad particulares casus descendunt, quod dici mecum considerans, perpendi, id ex æquiuoco huius regulæ intellectu processisse. Quapropter claritate à nobis tantopere desiderata rem difficilem enodare tentamus, vt ambiguitate ablata, reducentes ad generales regulas, & conclusiones, materiam, non doctrinam nouam, sed nouo modo expositam, antiquam faciliorem proponamus, quod propositum an perficere quiuerimus, Lectores iudicabunt.

Circa quæstionem, hanc, vt varias eius difficultas effugiant, est multorum sententia, numquã nos teneri in dubijs tutiorem partem eligere, & ad regulam propositam Respondent, illam consilium, non præceptum continere: sanè quippè consilium est, in dubijs omnibus sequi, quod tutius est; sed nemo ad talem perfectionem tenetur. sententiam hanc sequuntur Suarez *in tomo de censuris, disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 9. Malderus 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *disp.* 87. Moura de incantationibus, *opusculo* 1. *sect.* 1. *c.* 5. *n.* 2. sed sententiam hanc falsam esse ostendimus supra, vbi eius satisfecimus debili fundamento.

Conclusio. Indubijs tutior via, seu pars est eligenda; & hæc regula probè intellecta, necessariò, semper, & absque vlla exceptione est obseruanda; quæ conclusio, vt a nobis intelligitur, debet esse communis. Pro cuius explicatione est aduertendum,

tendum, quod illa particula *tutior* non ponitur comparatiuè ad partem *tutam*, quasi ex duabus partibus, vna tuta, alia tutiori, teneamur sequi tutiorem, relicta tuta, sic enim intellecta non est regula, vel præceptum, sed consilium iuxta mentem sententię citatæ. Sed sumitur aduersatiuè, hoc est pro ea parte, quæ opponitur parti non tutæ; & sensus est in obscuris, seu dubijs debemus sequi partem tutam, (quam regulā tutiorem appellat) relicta parte, quæ non est tuta, & sic præceptum continet, quia non licet sequi partem non tutam, hoc enim esset operari cum dubio peccandi, quod est peccatum, vt manet superius dictum.

Probatur primo conclusio sic explicata. In dubijs eligere partem non tutam, & iuxta illam operari, est peccatum. ergo tenemur operari iuxta partem tutam, quam tutiorem regulā appellat. Antecedens est certum apud omnes; quia vt diximus supra, operari cum dubio peccati peccatum est. Consequentia verò probatur, quia si nō licet sequi partem non tutam, necessarium erit sequi partem tutam quando vna est tuta alia non est. Et licèt interdum vtraque pars dubij possit representari non tutā ex ignorantia, facta tamen sufficienti diligentia, vt excludatur ignorantia vincibilis, & culpabilis si manet ad huc dubium pro vtraque parte ex ignorantia vtique iam inuincibili, vna pars, conscientia tuta, sequi potest, (quæ eligenda est iuxta regulas, & doctrinam traditam, & tradendam.) & illa est tuta, aliàs homo absque culpa sua maneret suspensus, & necessario peccaret, quod est impossibile.

Secundò probatur conclusio. quia hac regula vtitur ius canonicum ad plures, & graues casus decidendos, & decisionem eorum in ea fundat. ergo supponit regulam esse certam, & vniuersaliter veram. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur supra proponendo hanc regulā: quod autem in ea regula præceptum, & non consilium contineatur ibidem probatum manet supra & similiter quod non deciditur in iure tanquam casus particularis, sed vt generalis doctrina ad casus decidendos, etiam ostendimus supra.

Sed quia prædicta doctrina supposita, ad huc manet explicandum, quæ pars dubij sit tuta, respectu non tutæ, quando vtraque pars representatur non tuta, & siuè facias hoc, semper times peccatum pro vtraque parte, & quæ ad enodanda supra diximus sufficientia non sunt, explicandum nunc restat in prædictis casibus, quæ pars debet eligi vt tuta, vel tutior, relicta non tuta, hoc enim opus, hic labor. Vt autem morem expositorum sequamur, & dilutius procedamus, cùm dubium sit duplex, vnum Iuris, aliud facti, de vtroque dicendum est dubijs sequentibus.

DVBIVM XIII.

Quæ sit pars tuta, seu tutior, quam facta sufficienti diligentia, & manente dubio debemus eligere in dubijs iuris.

DVbium propriè dictum, de quo disputamus, diuiditur in dubium iuris, & facti, iuxta dicta. Dubium iuris hic sumimus largè pro vero dubio, quo dubitamus an teneamur ad aliquid faciendum vel omittendum, siuè ex lege, & iure rigoroso, siuè ex quacunque alia obligatione ligante, vt ex promissione accepta, ex voto, ex iuramento, & sic dubium iuris comprehendit omne dubium, quod non est facti. Dubium verò facti est, quod versatur iuxta existentiam alicuius actionis, an si promiserim, vel vouerim, an fecerim restitutionem, an Missa audierim.

Prima sententia est, quod in dubijs circa ius vel circa votum, semper tenemur sequi partem iuris, vel voti, hoc est, conformari illi, quia hæc est tutior pars, quam sequi tenemur, quando solùm agitur de periculo Animæ, nam si immisceat materia iustitiæ propriè dictę, vel aliarum virtutum, alia est ratio; nam in rebus ad iustitiam rigorosam pertinentibus, melior est conditio possidentis, iuxta primam regulam, quæ limitat hanc, secundam, de qua disputamus. sic Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 3. & Perez *certamine* 10 *scholastico numero* 135.

Primum Argumentum pro hac sententia sit, in dubio facti tutior pars est necessariò ad implenda, ergo etiam in dubijs iuris. Antecedens ex eo patet, quod in irregularitate dubitans, an occiderit, tenetur se vt irregularem tractare, de quo postea. Et consequentia probatur, nam dubium iuris frequenter oritur ex dubio facti, vt ex hoc dubio facti, an lex sit posita, oritur illud iuris, an teneamur ei conformari. ex hoc dubio facti, an occiderim, vel vouerim, oritur illud iuris, an censendus sim irregularis, vel voto astrictus.

Secundum Argumentum. Si posset aliquis in dubio de ommissione voti nō seruare votum, posset similiter in dubio de cōtracto matrimonio legitimo, petere debitum. Consequens est falsum, & contra communem opinionem: ergo & antecedens, sequela probatur nam eadem videtur esse ratiō.

Dices. nego consequentiam; & ratio discriminis est, nam ille, qui dubitat, an contraxerit matrimonium verum, habet legem certam de non accedendo ad non suam, & dubitat, an hęc sit sua, & ita ab obseruatione legis certæ non liberatur propter dubium matrimonij: In dubio verò de emissione Voti, non supponitur votum certum, & ideò non teneor illi conformari.

Sed contra est, nam lex certa, quæ supponitur in dubio matrimonij, est negatiua ad non alienam accedendi, ergo si eo ipso quòd dubitat, aliquis, an hæc mulier sit propria, vel aliena non potest ad illam accedere, non alia ratione, nisi quia exponit se periculo faciendi id, quod vetitum est; eadem ratione, si dubitet, an emiserit votum, nō poterit illud transgredi propter idem periculum, quia eo ipso supponit certam legem negatiuam de non transgrediendo votum, quando votum fuit de non faciendo aliquid, & supponit legem affirmatiuam de voto seruando, quando illud emissū est de faciendo opere, Vtrobique enim dubitatur de facto, nempè de contracto legitimè matrimonio, & de emiso voto, & supponitur certa lex.

Tertium Argumentum, estò in dubio iuris propriè dicti licitum esset sequi partem minus tutam malè idem ponitur in dubio voti, ergo in dubio voti non licet relinquere tutiorem partem. Antecedens probatur, quia dubium voti, potius est dubium facti, quam iuris, nempe, an omissum fuerit votum, quamuis inde sequatur dubium iuris, scilicet, quid secundum ius teneamur facere in dubio de emissione voti. ergo si in dubio facti tutior pars amplectenda est, etiam in dubio voti amplectenda erit.

Sed hęc sententia vera non est, eamque reijciunt

unt communiter Doctores, vel conantur ad sensus à nobis exponendos reducere. Salas *tract.* 8. *num.* 152 & *num.* 154. Lorca *disp.* 37. *membro* 3. *ar* 4. Corneio *tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 2. & 3. Ioãnes de S. Th. falsitas autem sententię huius conuincitur ex dictis.

Ad primum Argumentum pro prędicta sententia in primis negamus antecedens, nam iuxta dicta aliquando in dubio facti non sequimur partem tutiorem. & ad id, quod dicit de irregularitate respondetur sic contingere in irregularitate, vt dicemus ex professo Sed inde non colligi idem in omni dubio facti. Secundò Resp. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nam licèt sæpè ex dubio facti oriatur dubium iuris, sed non semper sunt eiusdem rationis, cùm dubium iuris non supponat ius, quod liget, quando est dubium de substantia iuris, vt videbimus

Ad secundum argumentum benè respõsum est ibi. Ad replicam dico dissimilem esse rationem, quia dubitans de valore matrimonij supponit regulam, & legem certam de non fornicando, at dubitans de voto, non supponit legem obligantem, hoc est, votum, imo de ipsa lege dubitat, atque adeò lex dubia non debet illum ligare.

Ad 3. nego antecedens. Ad probationem dico, quod licet dubium voti, sit facti; tamen imbibit ipsam voti obligationem, quæ ęst quasi lex particularis, quam ibi posuit homo, & sic dubia lex non habet effectum, quem habet certa, de quo infra.

Secunda sententia est, quod in dubio legis, præcepti, voti, & similium non tenetur homo se conformari. Legi præcepto, voto, vel similibus sed tutò potest contrariam partem eligere, si dubium persistit facta diligentia. Sententiam hanc tribuunt quibusdam Recentioribus. Vasq. 1, 2. *disp.* 65. *c.* 2. *n.* 7. & Salas *tract.* 9. *n.* 148.

Primum argumentum pro hac sententia est. In dubio melior est conditio possidentis, vt vid. sup. sed vnusquisque possidet propriam libertatem vt operetur, & non operetur, vt hoc operetur, vel illud. ergo propter dubium legis, præcepti, vel voti, aut cuiuscunque alterius ligantis ad aliquid huiusmodi, vel prohibentis aliquid, non debet spoliari possessione suæ libertatis ad operãdum, quod voluerit.

Secundò dum quis dubitat, an pro aliquo delicto, quod perpetrauit, sit imposita pena irregularitatis, non debet censeri irregularis, licet hęc sit tutior pars. Antecedens probatur, sic enim videtur statutum *in cap. isqui de sentent. excommunicationis in 6.* vbi statuitur, vt nemo irregularis censeatur, nisi in casu, quod id expressè statuatur in iure.

3. Argumentum. Si in dubio iuris tutior pars esset eligenda, fieret consequenter, quod in iudicijs deberet allegari dubia lex pro causæ decisione. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Sequela probatur, quia si in dubijs iuris tutior pars est eligenda, iudex in dubio legis teneretur partem tutiorem eligere, & ad hoc conueniens esset inducere talem dubiam legem: falsitas autem consequentis probatur, quia id non admittitur in iure.

Sed neque hæc sententia est vera, sumpta in ea vniuersalitate, quia licèt illa dubia, quę versantur circa substantiã legis, euacuet eius vim, quia non supponunt legem, sed vertunt in dubium, nõ sic dubia, quæ legis substantiam supponunt, vt patebit ex inf. dicendis.

Primò, quia hæc sententia totaliter relinquit, imo prosternit regulam eligendi partem tutiorẽ, quam Pontifices in decretalibus citatis supra, & Doctores omnes venerantur. Secundò idem cõuincitur rationibus fer omnibus supra factis.

Ad primam rationẽ distinguo illud consequẽs; *ergo propter dubium legis, præcepti, vel voti, non debet spoliari possessione suæ libertatis*. Si dubiũ sit de substantia ipsius legis, vel pręcepti, vel voti, & sic circa alia consequentia, nego, quia tunc non spoliatur possessione suę libertatis à dubio, sed à certa obligatione, vel voto, quę habent hominem ligare, & libertate priuare, dubium verò interuenit circa alia iuxta dicenda.

Ad secundum argumentum concedo, quod dũ aliquis dubitat, an pro aliquo delicto, quod commisit, sit composita pœna irregularitatis, non debet censeri irregularis; quia tunc dubitat de substantia legis, & penæ, & distinguo illud consequẽs: *ergo neque alijs materijs tenetur eligere partem tutiorem*, si dubitet de substantia legis vel obligationis concedo, quia tunc eadem est ratio; si verò supponit legem, & dubitat circa alias circunstantias, nego consequentiam, quia tunc non est eadem ratio.

Ad 3. Argumentum dico, quod sicut in dubio substantiæ legis non est pars tutior eligenda, sed quæ placuerit, sic non sunt leges dubiæ quantum ad sensum, seu substantiam, & comprehensionem casus adducendæ in iudicium; & sicut in dubio de accidente legis, supposita eius substantia; tenemur illi conformari, sic similes leges possunt in iudicio adduci, nec prohibetur in iure.

Tertia sententia est, quod per se, & regulariter loquendo, in dubio iuris semper debemus eligere tutiorem partem, operando iuxta obligationẽ talis iuris. Sic Medina 1, 2. *q.* 19. *art.* 6. *q.* 4. *conclusione* 3. Saytus *lib.* 1. *cap* 13. *num.* 3. Rodriquez *in* 2. *parte summa, cap.* 51. *conclus.* 2. Salas *tract.* 8. *num.* 152. Martinez. 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 2. Corneio *tract.* 4. *disp.* 4. *dub.* 1. *in Conclusione*.

Primum argumentum pro hac sententia est regula ipsa, quæ generaliter sumpta admittendum in iure, & ex illa plures casus deciduntur; Vide quæ supra diximus.

Secundum Argumentum. sine causa, & ratione sufficiente, ac necessitate excusante, exponere nos periculo violandi legem, vel quamcunque iustam obligationem peccatum est; sed non eligere tutiorem partem in dubio legis incurrit tale periculum. ergo si absque causa, & ratione sufficienti, ac sine necessitate non eligimus tutiorem partem, peccamus.

Sed hęc sententia in eo deficit, quod cum solùm definiat eligendam esse partem tutiorem, per se loquendo, relinquit per accidens oppositum posse contingere, & sic relinquit dubium insolutum, & explicandum, quando per accidens, seu ex speciali ratione contrarium liceat, nam in quolibet casu posset quis contendere, quod per accidens licet contrarium, vnde ex hac sententia nihil determinatum manet.

Ad hoc vrgentissimum argumentum Respondet Salas *tract.* 8. *n.* 152. *citato*, tunc solùm non habere veram sententiam hanc, & generalem regulam, quando est periculum violandi aliam legẽm, vel obligationem magis, vel ęquè ligantem; nam si magis obligat, illa est tutior pars eligenda: si autẽ æquè, datur optio, & vtraq; pars est æqualis,

Sed

Sed hæc doctrina, & limitatio insufficiens est, nam contingere potest, quod nulla stante lege, vel obligatione in contrarium adhuc non teneamur conformari legi, & parti tutiori; nam qui bona fide possidet, si incipiat dubitare, an res sit sua, & competenti diligentia facta maneat dubium, non tenemur rem restituere, quæ est pars tutior, sed potest sibi retinere, vt vidimus supra, & tamen non in contrarium lex, vel obligatio ad restituendum; Secundo Respondet Medina 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *q.* 4. *post conclusionem* 3. Salas *tract.* 8. *n.* 154. Martinez 1. 2. *q.* 19. *a.* 9. *dub.* 5. *conclus.* 2. Corneio *tract.* 8. *disp.* 4 *dub.* 2. §. *dixi in conclusione*. Quod tunc relicta parte potest eligi minus tuta, quando ex hoc, quod eligatur tutior, sequitur aliquod graue incommodum, aut nocumentum, seu res ipsa præcepta, & tutior est difficilis, seu valdè molesta tunc enim non tenemur eligere tutiorem partem, & citat Corneio pro hac re Sotum *de secreto, membro* 3. *q.* 2. *conclusione* 1. Corduba *lib.* 3. *q.* 3. Suarium 3. *parte tom.* 4. *disp.* 40. *sect.* 5. & Aragonem 2. 2. *q.* 63. *a.* 4.

Cuius rei Corneio in eodem loco adducit duplicem rationem. Prima, quia lex præcipiens illa, quæ continet notabilem incommoditatem, non obligat nisi sit sufficienter promulgata, & proposita, huic. ergo non obligat.

Secunda ratio est, quia existente dubio cum prædicta circumstantia incommoditatis, melior est conditio possidentis suam libertatem ergo licitum est ei facere quod magis placuerit, atque adeò non tenetur obedire legi, de qua dubitat, cum notabili detrimento, nec certum incommodum propter dubium legem subire.

Sed neque hæc Responsio, & limitatio satisfacit. Primò quia licèt in dubio facti illa ratio grauis incommodi habeat locum, ne eligatur pars tutior, cum tam magno dispendio, non tamen habet locum contra legem, vel obligationem vrgentem, eo quod lex, seu obligatio ad huiusmodi incommodum ex se habet ligare, nisi tale sit, ad quod lex positiua non possit obligare qua ratione cum dispendio vitæ, honoris, & omnium bonorum regulariter ius positiuum non obligat. Secundò quia vel dubium est de substantia legis, promissionis, seu voti; vel illa supposita est de alijs accidentibus; si est de ipsa substantia legis, tunc lex non obligat, vt dicemus. Si supposita substantia legis est circa alia, manet lex, contra quam non licet agere, ex eo quod graue onus sit iam adimplere, neque tunc lex est dubia alias dubium esset de substantia legis.

Ad primum Argumentum pro hac 3. sententia diximus, quod illa regula semper est adimplenda, si rectè intelligatur iuxta dicta, vnde nihil resoluimus contra eius verum sensum.

Ad Secundum concessa maiori; distinguo illam minorem: *sed non eligere tutiorem partem in dubio legis incurrit periculum violandi legem*: si dubium est de aliquo accidenti supposita substantia legis, concedo, & ideò iuxta dicenda in tali dubio; semper debet eligi tutior pars: si autem sit dubium de ipsa legis substantia nego minorem, quia cùm tunc ipsa legis substantia versatur in dubium, non est certa lex, contra quam fiat, si eligatur pars, quæ videtur minus tuta, sed ea est tuta sufficienter.

DVBIVM XIV

An Quando lex, Præceptum, Votum, & quæcunque alia obligatio supponitur certa secundum suam substantiam; & dubium est solùm de aliquo scilicet an comprehendat, vel nō comprehendat hunc casum, tunc an tutior pars sit eligenda.

Conclusio. Quando lex, præceptum, votum, & quæcunque alia obligatio supponitur certa, & indubitate secundùm suam substantiam, & sensum quod scilicet comprehendāt hunc casum, & item est promulgata. Dubium autem est de aliquo, vel aliquibus ex alijs supra positis; tum manente dubio post factam sufficientem diligentiam, pars tuta, vel tutior, cui tenemur conformari, est obedire tali legi, vel obligationi. Quando verò dubium est de ipsa substantia legis, vt an sit lex lata an promulgata, an comprehendat hunc casum, tunc facta diligentia non tenemur conformari illi, sed homo pro sua libertate potest contrarium facere, & hæc est pars tuta eligenda in sensu in quo loquitur regula iuxta dicta. Conclusionem hanc cum hac generalitate propositam non legi apud aliquem Doctorem, sensum verò communem grauiorem expressum circa singulares casus (de quibus etiam postea egemus) conati sumus in hanc communem doctrinam redigere, quorum singulares sentiendi modos adducemus, cùm ex doctrina cōclusionis huius eos decidemus

Prima pars conclusionis huius est, quod quando lex secundùm suam substantiam supponitur certa, sed dubium est de alijs; tunc manente dubio pars tuta, vel tutior, cui conformari tenemur iuxta hanc regulam, quam exponimus, est adimpletio talis legis, quę probatur primò, quia tunc constat euidenter de lege pręcipiente. ergo non obstāte quocunque alio dubio vel qualibet alia re, legi tenemur conformari. Antecedens supponitur in Conclusione, & consequentia probatur primò, quia contra certam legem operari ex quocunque dubio, est exponere se periculo transgrediendi illam, quod est peccatum. Secundo, quia legi certæ non satisfit quocunque dubio, sicut neque debito certo satisfit dubia solutione.

Secundò probatur, quia si lex, aut obligatio quæcunque est certa, talis lex, vel obligatio est in possessione ligandi hominem, & homo non est in possessione eximi ab illa. ergo quocunque orto dubio, dum nil certum dicitur contra legem, arbitrandum est in fauorem Legis. Probatur consequentia ex illa regula, In pari causa melior est conditio possidentis, de qua agimus supra. sed in hoc casu possessio est pro lege Ligandi, & obligandi. ergo ex quocunque prætenso dubio, quo homo se excusari prætendat, lex manet in sua possessione obligandi, quousque aliquid certiùs appareat. Conf. In casu de quo disputamus, lex seu quæcunque obligatio se habet vt reus, & homo contendens infirmare illam, vt actor, sed in dubio fauendum est reo, non actori ex regula posita, & actori incumbit probandum; ergo dum homo aliquid certius non reperiat, tenetur legi subijci, & hęc est pars tuta.

Secunda pars conclusionis est, quod quando dubium est de ipsa existentia, & substantia legis, vt an extet talis lex? an sit publicata? An in tali lege comprehendatur iste casus, Tunc facta diligentia,

gentia, & dubio manente, non tenemur conformari legi, sed possumus contrariam operari, & hæc est pars tuta, seù tutior, cui tenemur conformari in dubio, quæ probatur primò. Nam in eo casu ex vna parte est ius certum, quod homo habet operandi omne quod non est illi prohibitum & ex alia parte est lex, vel quælibet alia obligatio dubia, præcipiens, aut prohibens aliquid operari; sed ius certum non debet abrogari propter causam dubiam? ergo homo manet in sua libertate operandi, non obstante quacunque lege, vel obligatione dubia.

Secundò probatur, nam homo est dominus, & possessor suæ libertatis, & suarum actionum: sed in dubio melior est conditio posidentis iuxta regulam sæpè citatam. ergo homo exorto dubio, an sit lex in contrarium, dum aliquid certi non apparet, manet tuta conscientia in possessione operandi pro sua libertate non obstante dubio legis. Confi. nam in casu de quo disputamus, homo est reus, cui conscientia vt actor objicit dubiam legem præcipientem, vel prohibentem aliquid; sed in dubio arbitrandum est pro reo ex tertia regula supra posita, & actori incumbit probandum. ergo dum conscientia diligentia adhibita non certificatur de lege, homo non tenetur legis præcepto, sed tutè oppositum operatur. Sed vt doctrinam in communi præcedente conclusione traditam dilucidiorem reddamus, eam per partes sequentibus conclusionibus primùm, deinde casibus adductis, auctoribus, & rationibus assignatis consolidare tentabimus.

Secunda conclusio. Si dubium est, an sit lex naturalis, vel positiua, diuina, vel humana, vel quæcunque obligatio aut censura, promissio acceptata, votum, iuramentum; facta sufficienti diligentia, & durante dubio, teneris te conformare tali legi, vel obligationi, sed potes tuta conscientia operari oppositum, & hæc est pars tuta, quam in tali casu potes eligere adimplendo regulam, de qua disputamus.

Probatur primò, quia sic communiter tradunt Doctores. Henriquez *lib.* 8. *c.*45. *n.*3. *littera* P. Suarez 3. *parte tomo* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 15. *&* 1. 2. *disp.* 12. *sect* 5. Salas *tract.* 8. *n.* 258. & Sanchez *de matrimonio, lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 36. *& lib.* 1. *Decalogi*, c. 10. *n.* 32. Fillucius *tract.* 21. *n.* 163. *&* 170. Bonaccina *de peccatis, disp.* 1. *q.* 4. *puncto* 7. §. 1. *n.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 38. Sa. v. *Dubium n.* 2. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 5. *difficult.* 21. *n.* 4. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 7. *n.* 1. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *n.* 39. Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. §. *sed respondetur* Probatur autem rationibus, quæ pro conclusionis secundæ, secunda parte positæ sunt.

Tertia Conclusio si dubium est, an in lege certa contineatur iste casus, qui se offert, non teneris tali lege, vel obligatione; sed tutè poteris, quod volueris operari idem est si dubitas, an in voto certo contineatur hoc, vel illud, & similiter in iuramento, vel promissione. An sit censura lata, vel ferenda; an conditio sub qua ponitur censura, sit impleta, vel non.

Probatur, quia idem est dubitare, an in lege, vel quacunque obligatione certa contineatur hic casus, ac dubitare an sit lex, vel obligatio, quia si non continetur, non est obligatio, & ideò rationes, & auctores citati pro precedenti conclusione, stant pro ista & expresse eam tradunt quantum ad continentiam casus in lege; Bonac. *de restitut. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. §. 1. *n.* 2. Sanchez *in decalogum c.* 10. *n.* 33. *& de matrimonio libro* 2. *disp.* 41. *num.* 33. & Franciscus de Lugo *de conscientia, capite* 2. *num.* 121. Salas *prima secundæ, tractatu octauo num.* 258. & Palao *tractatu* 1. *disp.* 3. *puncto* 7. *numero* 2. *& de dubio censura Lata, vel ferenda, & conditionis eius*, Layman *libro primo, tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 38. Bonacina *de peccatis disp. secunda, quæst.* 4. *puncto* 7. *num.* 16. & Franciscus de Lugo *de conscientia, num,* 121. *in fine.* Palao *tractatu primo disput* 3. *puncto septimo, num. secundo.*

Petes *An si dubium sit de auctoritate Superioris, vel an lex sit acceptata, tenearis ei obedire.*

Prima Conclusio, si dubium sit de auctoritate imponentis legem, vel preceptum, vt an sit rectè electus, an Superior huius subditi, non teneris obedire, si facta diligentia manet dubium; nisi ille fuerit in possessione talis iurisdictionis. Si autem dubium sit, an lex, vel præceptum sint publicata, vel promulgata, non obligat. Prima pars conclusionis est, quod sic dubium est de auctoritate Superioris imponentis legem, vel præceptum non teneris, de qua videantur Vasq. *prima secundæ, disp.* 62. *cap.* 6. *fin.* Salas *tract.* 8. *nu.* 78. Ioannes de Sancto Thoma *prima secunda q.* 18. *disp.* 12. *art.* 4. §. *Quod si lex* & ratione conuincitur, quia superior dubius, qui non est in possessione nō est Superior, nec valide præcipit, cum possessio stet pro subditis.

Secunda pars est, quod si Superior, vel Prælatus est in possessione suę iurisdictionis quātocunque sit dubium de eius elegitima lectione, & potestate, obediendum est ei. Videatur Sanchez *lib.* 6. *Decalogi, cap.* 3. *nu.* 29. & probatur, quia tunc Superior, seu Prælatus posidet, vt supponimus; ergo in dubio conseruandum est in possessione. Secundò, nam tunc Prælatus est reus, cui objicitur defectus auctoritatis, & sic arbitrandum est pro eo, & ad actorem objicientem pertinet probare defectum Prefectionis, seù auctoritatis.

Tertia pars conclusionis, est, quod si dubium est, an lex, vel preceptum sit promulgatum, seù publicatum, non obligat, quia idem est quod dubitare de substantia legis, vel præcepti, cùm non sit lex, vel preceptum, quousque promulgetur, vel intimetur, nec completè dicuntur latæ, donec sunt publicata, vt patet §. in Authentica; vt *facta noua constitutiones & §. in his autem* institut. de contrahend. empt. & probat Decius *in rubrica de constitutionibus post num.* 36. *versic. Vlterius tamen videtur* Atque adeò eadem est ratio sicut duarum conclusionum dub. 6. præcedentis. sic Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 7. *num.* 4. *in fine*; Franciscus de lugo *de conscientia, cap.* 2. *nu.* 113. §. *Nihilominus*, in medio.

Petes 2. *Cum supponens legem positam, & promulgatam dubitet, an obliget, ex eo quod non videtur iusta, tenearis legi conformari.*

Conclusio. Cum supponens legem positam, & promulgatam dubitas, an obliget, ex eo quod nō videtur iusta, vel non habuit legitimam, & sufficientem causam ad eius impositionē, teneris durante dubio, legi conformari, & operari iuxta illā, & tunc hæc sola pars est tuta, quam debes eligere iuxta regulam, quam exponimus. Probatur eisdem rationibus, quibus precedentes. Primò, nam eo ipso quod lex est imposita, præsumitur rectè posita, quia nil male actum præsumitur, donec

constet, ergo durante dubio lex possidet. Secundò, quia lex se habet, vt reus, contra cuius vim obijciuntur defectus in conclusione relati. Ergo dum quid prætendit, & est actor, non conuincet aliquem ex illis defectibus, lex stat in suo robore.

2. Conclusio. Cùm certum es de lege, præcepto, censura, vel quacunque alia obligatione, dubium verò an satisfeceris, teneris denuò satisfacere. Sic Medina. C. *de oratione, q. de horis iterãdis.* Martinus de Ledesma *in 2. parte quarti q. 16. art. 6. in 2. parte dub.* 3. Nauarrus *in cap. 51. si quis, autem de pænit. disput. 7. num. 76. vers.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap.* 10. *num.* 12. Rebello *de obligationibus iustitiæ parte prima, lib. 2. q. 14. sect. 2. num. 9. & 10. & 2. parte, lib. 1. sect. 2. num. 3. §. Qua etiam ratione.* Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 7. nu. 7.* Probatur, quia certę obligationi non satisfacit dubia solutio. Secundo quia in eo casu lex possidet, ergo in dubio arbitrandum est pro illa. Tertiò quia obedire est pars tutior, & non ad implere est exponere se periculo, peccandi contra certam obligationem.

3. Conclusio. Supponens legem certè conditam, dubitans tamen an sit reuocata dispensata, vsu derogata, & dubitans an hic, & nunc positis his circunstantijs excusetur ab eius obseruatione, tenetur obseruare legẽ talẽ seu obligationem, seù votũ; Gio Medina 1. 2. *q. 19. a. 6. q. 4. concl. 3.* Corneio *tract. 8 disp. 4. dub. 2. §. sed obijcies.* Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 10. nu. 34. & de matrimonio lib. 2. disp. 41. num. 37.* Alter Sanchez *in selectis disp. 42. num. 13. & disp. 43. num. 8.* Bonac. *de restitut. disp. 1. q 2. puncto 2 §. 1. num. 4.* Castro Palao *tract. primo, disp. 3. puncto 7. nu. 6.* Ouiedo *tract. 5. controu. 4 num. 42.*

Probatur primo ex dictis. Nam eo ipso, quod lex supponitur lata cõuenienter, ex tunc est in possessione obligandi ad sui obseruantiam: ergo cum contra illam oritur dubium, sit ne abrogata consuetudine, reseruata, seù dispensata, aut si sunt circumstantiæ excusantes, ab eius adimpletione, durante dubio, ipsa manet in suo robore obligandi. Patet consequentia, primò, quia in dubio arbitrandum est pro possidente, & sic pro lege. Secundò, quia obligatio certa legis non tollitur per dubium, quod est incertum: & in eo casu lex se habet, vt reus, & homini incumbit probandum, quod non obligat, quòd est dispensata, & dum non probat, seruanda est. Tertiò quia in foro externo in hoc casu dum dubia fuerit excusatiò, cõdẽnãdus eras quia pro Ecclesia est certa lex, à cuius obligatione, vt excusare posses, debebas excusationem probare, vt latè probant Couarruuias *lib. 2. variarum cap. 12. num. 14.* Tiraquell. *de retractu lignag. §. 1. gloss. 9. num. 111. versu, Quibus adde,* Gonzalez *regula* 8. *Cancell. gloss. 8. num. 72* Euerandus *in topicis loco ab exceptione ad regulam num. 12.*

Contrarium huius Conclus. tenet Salas 1. 2. *tract. 8. num. 259.* vbi censet in casibus nostræ conclus. hominem non teneri legi, si eius adimplectio sit illi incomodata, & molesta; quia libertati fauendum est, quantum possumus, & in legibus penalibus sequi debemus benigniorem interpretationem. Sed hæc. non obstant, propter rationes pro conclusione factas.

Petes 3. *In dubijs, circa legem, an habeat locum interpretatio epycheia.*

Conclusio. In dubijs circa legem non habet locũ interpretatio Epycheiæ, sed quando manifestè non patet, verba legis opponi ęquitati: in dubio an opponantur; debet, consuli legislator, & dum non aperit suam mẽtem, seruanda est lex & hæc est pars tuta à nobis eligenda.

Pro conclusionis huius intelligentia est aduertendum ex *S. Th. 2. 2. q.* 120. quòd Epycheia, seu ęquitas est virtus, quæ in casu, in quo verba legis ad rem iniustam deducunt, contra verba, sed non contra mentem legislatoris legis, literam nõ seruat, vt cùm lex decernit, deposita reddenda esse Dominis. Si contingat, quod furiosus ense deposita ad maleficium postulat, vel hostis Reipubl. depositum poscat, vt iniquè contra eam agat, æquitas decernit in eo casu etiam verbis legis repugnantibus, reddenda non esse sensus ergo conclusionis est, quod quando dubitatur, an ex verbali legis obseruantia, quid resultare potest contra æquitatem, non licet, extante dubio, agere contra legem, quia ad hoc requiritur certitudo. Sed vt aduertit S. T. *in eo loco art. 1. ad 3.* tunc debet consuli legislator, vel eius vices gerens, & interim seruari lex.

Conclusionem sic explicatam tenent S. Th. *loco cit.* Soto *lib. 1. de iustitia, q. 6 art.* 8. Suarez *de legibus, lib. 6. cap. 7. num.* 10. Vasq. 3. *parte, disp.* 210. *cap.* 4. *num.* 43. Sanctius *de matrimonio, lib. 2. disp. 41. num. 37.* Alter Sanchez *disp. 4. nu. 8.* Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 8 num. 4.* Probatur in hoc casu, lex non est dubia, sed certa, suis verbis hunc casum comprehendens, solùm dubitans, an legislator voluerit comprehendere hunc casum his circumstantijs, seù an sit contra æquitatem sed ius certum non debet omitti propter quodlibet dubium, dum nil certius, deroget ipsum. ergo dum nil certius apparet, seruanda est lex.

Contra hanc Conclusionem in vrgenti casu, in quo Superior consuli non potest, vsum Epycheiæ; licere sẽtiunt Syluester *Papa v. q. 16. conclus. 2. & verbo dispẽsatio, quæst. 4.* Corduba *lib. 3. q. 14.* Henriquez *lib. 14. cap. 3. num. 3. littera X.* Salas 1. 2. *tract. 8. num.* 260. Fundamentum huius placiti est, quia nimis durum apparet, homines obligare, præsertim ad onera grauia legibus non certis, sed dubijs, & in hoc casu lex videtur dubia, cum de eius obligatione dubitetur.

Sed standũ est Conclusioni, nec fundamentũ est alicuius fũdamẽti negamus enim tũc legẽ esse dubiã; sed excusatio legis est dubia, lex verò certa: si autẽ dubiũ esset positũ; hoc est esset opinio, quod in hoc casu noluit obligare, vel quod est contra æquitatem, probabilem, censent hanc sententiam vterque Sanchez locis citatis.

DVBIVM XV.

Quæ sit pars tuta, vel tutior, quam post factam diligentiam manente dubio debemus, eligere in dubio facti.

Conclusio. In dubio facti post debitam diligentiam, semper pars tuta, seu tutior, cui debemus conformari, est illa, in qua non est periculum peccandi excepto duplici casu. Primus est, cum obstat ius, quod homo habet ad operandum. Secundus est maxima incommoditas, vel difficultas rei, tunc enim vti iure suo vel fugere graue incommodum, est pars tuta, quam quilibet licitè potest eligere. Ita tenent Corneio, *tract. 8. disp.* 4. 3.

4. *dub.* 3. §. *sit conclusio* Salas *tract.* 8. *nu.* 176. Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 5. *§. sic ergo existente*. Prima pars Conclusionis quod scilicet in dubio facti debemus conformari parti, in qua non est periculum, ex dictis manet satis probata, nam homo non se esponere debet periculo peccandi, & sic debet fugere eam partem, in qua tale latet periculum, cõformari regulæ eligendi tutiorem partem, dum aliquid non est in contratrium.

Secunda verò pars, quod scilicet, si obstat ius in contrarium, non debet eligi pars quę videtur magis tuta, sed sequi ius proprium, & pars tuta, quam licitè potest sequi; est Ioannis de S. Th. 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. §. *sic ergo existente*. Et probatur primò, quia ius quod homo est certum; sed iure certo nemo potest priuari ex quocunque dubio exurgente circa factum, homo potest vti iure proprio. Secundò probatur idem, nam homo est in possessione proprij iuris, cùm exurgit dubium facti, sed in quocunque dubio melior est conditio posidentis, nec illa possessione est spoliandus propter quodcunque dubium, vt patet ex regula prima. Tertiò, quia cum vxor dubitat de valore matrimonij, non obstante dubio tenetur reddere debitum, quia alter coniux habet ius ad id, quod non debet impediri ex quocunque dubio.

Ex quibus collige rectè, aliquos dicere, regulam hanc tutioris partis, in rigore intellectam nõ habere verum contra possessionem, eo quòd possidens iurè manet in sua possessione non obstante dubio, nec tenetur tutiorem partem eligere. Et quidem Vasq. id concedit in materia iustitię, propriè dictæ, sed negat in alijs, eo quod putat, in alijs non esse possessionem. Sed quia nos infra cũ maiori doctorum parte, etiam in alijs materijs, vt voti, legis, censuræ, &c. agnoscimus priuilegium posterioris, ex consequenti cùm quis in eis possidet, dicere debemus iuxta hanc expositionem huiusmodi posidentes non teneri sequi in dubio parte tutiorem, sed eis sufficit conseruare suam possessionem, & illa est pras tuta. Et in sensu idem redit. Nam si nomine, *tutioris*, solùm tuta pars aduersatiuè modo, tradito sumitur, iam posidens conseruans suam possessionem sequitur partem tutiorem. Si verò verbum *tutior*, comparatiuè summitur pro parte non solùm tuta, sed tutiori, hæc regula non habet locum, quando aliqua pars posidet, quia regula possessionis præualet. Vide quę supra diximus.

Tertia pars est, quod si sequatur magnum incommodum. ex hoc quod eligatur, pars tutior, potest alia eligi, & illa erit tuta, & sufficiens ad implendam regulam. Sic Corneio Carmelita noster *tract.* 8. *disp.* 8. *dubio* 3. §. *sit conclusio*, Ioãnes de Sancto Thoma. 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *art.* 4. §. *ex qua doctrina*. Probatur, quia valdè rigorosum esset ex dubio obligare, ad subeunda grauissima incommoda; cum ergo ex iure odia restringi, & fauores conueniat ampliari, vt probat S. Antonius *prima parte Theolog. tit.* 20. *regula apud illum* 62.

Ad rationem dubitandi positam in supradictis, vt militare potest contra aliquas conclusiones pręcedentium dubiorum, Resp. quod iuxta dicta, pars eligenda sufficit, quod sit tuta; quando ergo ratione possessionis, legis dubię, iuris, in contrarium, vel notabilis incommodi iuxta dicta, eligitur pars, quam videtur, minus tuta, illa re-uera tuta est, propter rationes assignatas, & hoc sufficit, vt impleatur regula rectè intellecta iuxta conclusionẽ positam in dubio 11.

Petes *An quãdo aliquis certus est: quocunque titulo Iustitiæ debebat alteri aliquid, dubitat verò, an id satisfecerit, vel restituerit, teneatur non obstante dubio, rem integram soluere.*

Prima conclusio est Aff. Ita tenent Suarez *de religione tom.* 2. *de iuramento*, *cap.* 33. *num.* 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 7. *n.* 47. Salas 1. 2. *tract.* 8. *num.* 231. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi*, *cap.* 10. *num.* 12. *&* 34. Ioannes Sanches *disp.* 42. *num.* 9. Diana *parte* 3. *tract.* 8. *resolut.* 49. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 2. *nu.* 14.

Probatur primò; quia in hoc casu creditor possidet ius certum contra debitores ius autem certum deleri, seu elidi non potest dubia exceptione, iuxta legem, *Titiæ textores* §. *de legatis* 1. de qua videatur Baldus, lege *nõ solum* §. *sed vt probari ff. de noui operis nunciat*. Secundò quia iustitia postulat qualitatem, & dubia solutio non est æqualis certo debito. Tertiò, quia creditor est in possessione certa sui iuris, debitor verò non est in possessione satisfactionis, sed solùm habet illam in dubio, licet etiam possideat sua bona, vnde nõ est par causa, vt supra vidimus. Quartò, quia cũ obligationis satisfactio sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur. Quintò nam qui certus est de voto, vel præcepto, & dubius an satisfecerit, tenetur satisfacere. Itēqui læsit famam alterius, & dubius est, an satisfecerit tenetur satisfacere. de qua re videatur Ioãnes Sãchez *disp.* 43. *dub.* 21. *& nos infra* agemus. Item dubitantem aliquam horã canonicam à se ex præcepto dicendam omisisse, teneri implere, docent Nauarrus *cap. si quis autẽ*, *nu.* 76. *de Penit. disp.* 7. Medina *codice de oratione in quest. deboris iterandis*. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *num.* 12. Rebellus *parte* 2. *lib.* 1. *q.* 3. *sect.* 1. *num.* 15.

Sed quid dicendum; si non solùm debitor dubitaret, an soluerit sed etiam creditor an receperit. Ad hoc Respondet, Tannerus 1. 2. *disp.* 2. *q.* 6. *dub.* 4. *n.* 48. tunc non teneri creditorem restituere, quia in tali dubio vtriusque partis, melior est conditio creditoris possidentis suam pecuniam. Sed contra est, quod debitum est, & solutio dubia adhuc vtroque dubitante, vnde tenetur restituere. Sed hoc Layman, *limtat. lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 41. probabile reputans, quod in hoc casu debitor non tenetur ad integram solutionem, sed ad partem, iuxta quantitatem dubij. nam æquitas, inquit, non patitur, vt debitor sine sua culpa habeat periculum soluendi bis integrum debitum, creditor autem qui pariter dubitat. nulli periculo sit expositus. Sed certè probabilius videtur, quod tenetur integre soluere propter rationes factas pro conclusione: conueniens autem videtur, quod dum vterque dubitat, apud se rem componat.

2. Conclusio. Depositarius, vel commodatarius dubitans an res sua culpa perierint, non tenentur tales res perditas restituere vbi valdè est aduertendum, quod hic non disputamus ex qua culpa graui, leui, vel leuissima teneantur restituere depositarius, & commodatarius; hac enim non est huius loci, de quo tractant summistæ *verbo depositum, & verbo commodatum*, sed solùm disputamus, an cum dubitet de tali culpa ex qua obligaretur restituere, ex tali dubio debeat restituere, ac si certus esset de culpa. Hoc enim ad presens

pertinet de conscientia dubia.

Conclusionem hanc tenent Henriquez *lib.* 14. *c.* 15. *in fine* Salas 1. 2. *tract.* 8. *nu.* 243. Lessius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *in fine*. Rebelus *p.* 2. *lib.* 1. *q.* 1. *de deposito* Ioannes Sanchez *disp.* 43. *n.* 11. Villalobos *tomo.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 20. *num.* 10. Diana *p.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 49 Franciscus de Lugo *cap.* 2. *n.* 29. &c. idem tenent in casu, quod dubium sit æquale, itaut non propendat ad hoc, quod sua culpa perierit. Sanchez *de matrimonio, lib.* 2. *disp.* 81. *num.* 18.

Probatur primò, quia commodatarius, & multò minus depositarius non tenetur rem perditam restituere, nisi sua culpa perierit. Sed in casu conclusionis non est culpa commodatarij, vel depositarij ergo non tenentur restituere. Minor probatur, nam in primis non constat de culpa, cùm maneat sub dubio. Deinde culpa non præsumitur, nisi constet, quia in dubio vnusquisque est in possessione suæ famæ nisi contrarium probetur. ergo ratione huius dubij non tenetur restituere nisi aliunde constet sua culpa perijsse

Secundò probant Diana, & Franciscus de lugo, quia valdè probabile est, quod in contractibus nemo tenetur restituere, nisi ex dolo, vel lata culpa quæ constituat peccatum mortale, sed in dubio non præsumitur culpa. ergo in dubio non tenetur restituere. Maior probatur primò quia naturalis obliuio. seu inaduertentia circa custodiam rerum alienarum non est sufficiens fundamentum ad inducendam in conscientia obligationem restituendi. Secundò quia ità docent soto *lib* 8. *de iustitia q.* 7. *art.* 2. Henriquez *lib.* 14. *c.* 3. *n.* 1. Toletus *lib.* 5. *cap.* 18. Ledesma 2. *parte quarti*, *q.* 8. *art.* 9. *conclus. ante penultima* § *sed dubitas* Sa v. *culpa n.* 12. & probabilem censent Lessius, *lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 8. *n.* 83. & Diana 3. *parte tract.* 8. *resolut.* 49. quorum sententia probabilis est, licet contraria, (quod scilicet culpa iuridica, quę aliquando est sine peccato, vt probant maior *in.* 4. *dist.* 15. *q.* 45. & Molina *tomo* 2. *de iustitia. disp.* 42. *q.* 3. *n.* 24. sufficit ad obligationem restituẽdi probabilis etiam sit quam tenent Caiet. 2. 2. *q.* 62. *a.* 5. Nauarus *c.* 17. *n.* 148 Molina *tom.* 2. *disp.* 195 *n.* 10. Comez *tomo* 2. *verbo*, *resolutio c.* 7. *n.* 2. Azor *tom.* 3. *lib.* 7. *de commodato, cap.* 7. *q.* 1. Bebello *parte* 2. *lib.* 16. *q. vnica de commodato*. Sed hæc doctrina non est ad propositum, cum hic solum disputemus vtrum dubium de culpa requisita, æquiualeat scientię, ad quod doctrina prædicta non pertinet.

Contra hanc conclusionem, commodatarium dum dubitat commodatum sua culpa perijsse, teneri restituere, tenet Tollerus in Margarita casuũ verbo *commodatum*, & u. *dubium*. Probatur primò, quia quod commodans, vel deponens, rẽ suam commodatario, & depositario dedit custodiendam, certum est; quod verò casu, & non culpa eius perierit, est dubium; sed certum debitum non soluitur dubia satisfactione. ergo mutuatarius, & depositarius dubitans, tenetur restituere. Secundò probatur idem de commodatario, nam hic recepit rẽ commodatam, ob suum commodum, quod non videtur de depositario, qui accipit eb commodum deponentis. sed iustum est quod ille, in cuius commodum res datur, sentiat periculum, & damnũ, si res peterit etiam sine vera culpa, quam is, qui dat ob commodum alterius. ergo licèt forte depositarius nõ teneatur restituere, tenebitur commodatarius.

Sed dicendum est, nostram conclusionem esse tenendã; & ad primũ dico quod sicut certum est commodantem, & deponentem rem suam dedisse, sic est certum, quod commodatarium, & depositarium esse in possessione suę innocentiæ, dum contrarium non probatur, quia nemo pręsumitur nocens, nisi probetur. ex dubio autem non probatur aliqua culpa nocens, quia in dubio melior est conditio possidentis. & pro reo est iudicandũ, vnde ratione dubij restituere non tenetur, nisi culpa aliunde constet, quæ ad rectitudinem sufficiat. Ad secundam Resp. quod procedit non de dubio seu de obligatione restituendi ex culpa aliqua, saltem leuissima de quo modò non disputamus.

DVBIVM XVI

An Quando aliquis est dubius, an teneatur recitare officium diuinum ob tenues redditus Beneficij quę dubitat, an demptis expensis sufficere possit ad tertiam partem congruæ sustentationis, teneatur recitare durante tali dubio.

Conclusio est Aff. sic Vasquez 1. 2. *disp.* 85. *c.* 3. *n.* 11. Corneio *tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 2. §. *secundò colligo* Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 8. *n.* 11. Franciscus de Lugo *de conscientia*, *cap.* 2. *n.* 182. pro cuius expositione suppono, solum titulum beneficij sine debitis redditibus non obligare ad recitandum, & si iniquitas, quæ redd tuum quantitas sit necessaria ad inducendam hanc obligationem? Respondeo iuxta regularen sententiam, ad minus requiri demptis expensis talem quantitatem, quæ sufficiat ad tertiam partem congrue sustentationis. Casus ergo conclusionis est, quod quis dubitat, an fructus sui beneficij demptis expensis sufficere possit regulariter ad tertiam partem suæ sustentationis, & ex consequenti dubitat, an teneatur diuinum officium recitare. Probatur conclusio primò. Certum est te habere beneficium, ac proinde obligationes illi annexas; dubium autem est an ab hac obligatione eximaris ob paruitatem fructuũ; sed quando obligatio est certa, excusatio verò dubia, teneris recitare. ergo Maior est, casus de quo disputamus, & minor latè ostensa manet ex dictis.

Secundò probatur. quia in nostro casu beneficium est in possessione ligandi hominem ad sua onera, & homo contendit se eximere ex causa defectus fructuum: ergo pro beneficio est arbitrandum, in dubio, & homini incumbit probare obligationem, & dum non probat tenetur. Patet consequentia ex illa regula. *In pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis*, de quo egimus supra. Cõfirmatur, quia in hoc dubio beneficiũ se habet vt reus, & homo, vt actor allegans contrà illud in sufficientiam fructuum. *Sed cũ sunt partium iura obscura, reo potius fauendum est, quam actori*, vt vidimus. ergo durante dubio, obtinet obligatio beneficij Tertiò probatur, quia obligatio recitandi officium, & ius beneficij, est causa pia vt ex se patet, sed in dubio arbitrandum est pro causa pia, vt ius sæpè determinat, ergo durante dubio, preualet obligatio recitandi.

Contra precedentem conclusionem non teneri ad recitandum diuinum officium dubitantem de sufficientia fructuum, docuit, Salas *prima* 2. *tract.* 8. *num.* 154. quã sententiam probabilem reputat Franciscus de Lugo *in tract. de conscientia cap.* 2. *num.* 183. fundamenta sententię huius sunt

sunt, Primum, quod homo possidet suam libertatem, qua non est spoliandus propter dubiam obligationem beneficij. Secundum est, quod graue, & difficile onus non debet homo subire propter dubiam legem. Sed his non obstantibus persistendum est in conclusione. Et ad primum fundamentum dicimus, quod in eo casu homo est possessor malę fidei, eo quod dubium fuit à principio possessionis, cum eo ipso quod beneficium acceptauit, onus suscepit cum illo, seu dubium oneris. Secundò dico, quod possessio stat pro beneficio; primò, quia est causa pia; secundò quia beneficiũ secum defert istud onus, nisi deficiat in alimentis, quod cum sit exceptio, probandum est, & interim præsumptio, & possessio stat pro illo. Ad secundum fundamẽtum dico, quod tale onus annexum est beneficio, & ordini sacro, nec difficultas eximit ab obligatione, dum non constet, de ratione excusante.

DVBIVM XVII.

Quid sentiendum sit in dubio filij legitimi, naturalis, incerti Patris, & expositi etiam quantum ad successionem in hæreditatem, & Ius alimentorum?

DVbium hoc parum diffusius videtur pertractandum, quia ad frequentes, & plures se extendit casus. Primus, & præcipuus, cùm in dubium venit, an aliquis sit filius legitimus, hoc est, procedens ex viro, & fęmina, legitimo matrimonio coniunctis, vel sit naturalis hoc est, ex patre, & matre solutis.

Sit Conclusio. In dubio an sit aliquis legitimus, vel non; an sit naturalis, vel spurius, & similibus, in primis fieri debet competens inquisitio ad hoc vt aliquid certum eliciatur, quod dubium excludatur, alias dubium est voluntariæ, ignorantiæ culpabilis, & sic in nullo suffragatur, quę conclusio probatur eisdem rationibus quibus supra probata est nostra Conclusio. Regulas autem ad ignoscendum quis debet iudicari filius, & legitimus, ex quibus dubium excludatur, & quid certius possit deprehendi, tradunt Panormitanus, *in cap. per tuas*, de probationibus Bartolus *in lege, quidam quasi* §. *de probationibus* Couarruuias *in Epitom. cap.* 8 § 3. *num.* 9. *parte* 2. Menochius *de arbitr. iudic. casu* 89. *à nu.* 60. Mascardus *tom.* 1. *de probationibus verbo filiatio, conclus* 788. Syluester *verbo filij q.* 12. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 5. *à num.* 8.

Prima regula est, si nascatur ex vxore in domo matris cohabitantibus simul. In hoc signo conueniunt omnes desumpto *ex l. filius* §. *de his, qui sunt sui, vel alieni iuris*, & ex cap. *per tuas. de probationibus*, & ex cap. *trasmisse*, qui filij sint legitimi. Quod signum habet verum, etiamsi mulier tẽpore cõceptus cũ alio fuerit adulterata, & etiam id probetur, vt ex Panormitano probat Syluester verbo *Filij n.* 14. dummodo tunc etiam cum marito cohabitauerit, hoc est saltem per sex menses, & vnam diem, cum possit nasci mense septimo, vt Syluester probat ex *l. si septimò* §. *de statu hominum*, nam in eo casu non adulteri, sed mariti reputandus est filius, per textum in si miles §. *defuncto* §. *ad legem Iuliam de adulterijs*, vt docent Baldus *in rubrica* (*de probatio nibus, lco vltima*, & *l. si mater*) *de suis & legitimis*, Felinus, Abbas, & communiter doctores, in capi *per suas*, de probationibus. Alciatus *depræsumptionibus, regula* 3. *præsũptione* 37. in principio, Couarruuias *in epitome* 2. *parte c.* 8. *n.* 8. §. 3. Mascardus *de probationibus conclus.* 788. *n.* 6 Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto.* 5. *nu.* 8. Franciscus de lugo *de conscientia, cap.* 2. *n.* 52. & ratione probatur primò, quia talis filius est in possessione legitimi. ergo in dubio præualet eius possessio. secundò quia præsumendum est in dubio, quod est tutius, & fauorabilius filio; cum enim posset esse filius legitimus inique illegitimus in dubio reputatur. Item hæc pręsumptio est pia, & in fauorem matrimonij.

Secunda regula est tractatus, vt cùm parentes filium tractant vt proprium, & legitimum, & similiter ipse illos vt parentes, & venerantur; qui enim sic tractatur, censendus est filius, etiam si extra domum sit natus vt ex Panormitano *in capite per tuas* tradit Syluester *verbo filij quæst.* 10. & ratio est, quia huiusmodi tractatus est confessio quedam operibus expressa. Vnde sicut confessio filiationis facta à parentibus non potest reuocari ab ipsis in præiudicium filij, vt habet glossa admissa, *in capi per tuas, de probationibus*, multò minus reuocari potest tractatus, quia est efficacior nominatione, vt ex S. Antonino. Panormitano, & Buttrio docet Syluester *verbo filij n.* 14. ita S. Antoninus *in capi per tuas de probationibus* Panormitanus 161. *n.* 3. & 4. Felinus *ibidem n.* 14. Baldus *in l. non ignorat C. qui accusari non possunt*. Couarruias *in epitome*, 2. *parte c.* 8. §. 3. *d.* 6. Syluester *loco citato* Menochius *de arbit. iudic. casu* 89. *a. n.* 60. Mascardus *in probationibus, conclus* 789. *a. n.* 3. Glossa *in capi transmissa qui filij sint legitimi*. Palao *tract.* 1. *disputatione tertia a puncto* 5. *numero* 9.

3. Regula est, quod parente filius nominetur, non ea communi voce, qua senes amoris causa plerosque non filios nominant, sed serio, & ex professò, vt coram aliquo notario in publica scriptura, & maximè in testamento, & iudicio, talis confessio constitueret filium in quasi possessione filiationis, qui eum sic filium vocat, itaut si aliquis contrarium obijciat, illi incumbat probare, & dũ non probatur, in vtroque foro reputandus sit filius. Ita Glossa *in cap. Michael de filijs presbiterorum* Abbas *in cap. per tuas, n.* 8. Decius *in idem caput. num.* 32. Menochius *casu* 89. *num.* 28. *de arb. iudic*, Couarruuias *quarto decretaliũ* 2. *parte c.* 8. §. 3. *num.* 7. ex Theologis Syluester, *verbo filij*. Palao *tract. primo, disp.* 3. *puncto* 5. *n.* 10.

Quarta regula est, si à Patre, vt filius instituatur hæres, nam licèt etiam extranei possint institui hæredes, tamen quando aliquem constituit hęredem vt filium, ponit eum in quasi possessione filij, itaut qui contrarium intendat, id debeat probare. Ratio est, quia ratione talis institutionis condiens testamentum confitetur esse filium, & tractat vt filium, quæ res ponunt quasi in possessione filiationis, alias institutio nulla *esset ex l. si pater, ff l. neque apud c. de hæredibus instituendis* Videantur Mascardus *conclusione* 793. Palao *tract.* 1. *disp.* 1. *puncto* 5. *n* 12.

Quinta regula est fama, & communis opinio. Sed hæc coniectura, vt pote cui vulgi fundamẽto innixa, alijs signis, & coniecturis, & adminiculis debet adiuuari, vt Aduertunt Abbas *in cap. transmisse qui filij sint legitimi* Butrio *in cap. per tuas, verbo communiter de probationibus* Felinus *ibi*

ibi nu. 15. Couarruuias *in emptione, parte* 2.*c*.8. *§.3.num.9.* Mascardus *conclus* 791 *à num.*7. Ratio est, quia fama solùm semi plenè probat vt patet, *cap.*1. *de appellationibus, & cap. veniens l.* 2. *de testibus*. ergo requiruntur alia, ex quibus plena probatio coalescat. sexta regula, est scriptura manu patris, in qua dicat, quo die talis filius suus natus sit. Septima ex educatione, & alimentis præstitis, sic enim tractatur vt filius, de quibus videatur Mascardus *concl.* 799. & sequentibus.

Est tamen aduertendum, quod si vna, vel altera ex his coniecturis dubium non soluat; tamẽ si plures concurrant, sufficientem probationem constituere possunt, de qua videantur Accursius *in lib.* 2. *in principio*; §. *de executione tut.* Ancharranus *cõsilio* 225. *volum*.1. & alij relati à Mascardo *concl.* 796.

Opposita sententia est Mascardi *de probationibus, verbo illegitimus concl* 782. *& tomo* 2 *concl.* 1090. Alciatus *de præsumptionibus, regula* 2. *præsumpt.* 5. *n.* 8. Mentieo *lib.* 9. *tit.*8. *lib* 5. *nouæ reconciliationis, glossa* 2. *num.* 6. Menchaca *controuers. illustri, cap.* 8. *num.* 14. *&* 15.

Argumentum sententiæ huius est. Non præsumitur, matrimonium, nisi probetur; sed non potest pro legitimo haberi sine matrimonio inter parentes. Ergo non potest præsumi legitimus in dub. quousque probetur. Maiorem probant *ex cap. Cùm Ioanni.* §. *verùm de fide instrumentorum*. & latè id probat Mascardus *concl.* 732. de probationibus. Respondetur quod licèt Matrimonium non præsumatur, nisi probetur vnde dubio matrimonio filius non reputatur legitimus: sed vero matrimonio constante in dubio, an ille sit ex isto matrimonio, pro illo est arbitrandum, propter rationes assignatas.

DVBIVM XVIII.

An dubio permanente; an aliquis sit legitimus, an non? legitimus sit repectandus, & ipse se vt legitimum habere, & tractare, quousque aliud constet.

Conclusio est Affirmatiua, & Communis, quã specialiter tenent, & tradunt ex iuris peritis Decius *in cap. per tuas, de probationibus*, Menochius *de arbitrariis, lib.* 2 *centur.* 2. *casu* 194. *num.* 32. Gregorius lopez *lege* 1. *tit.* 14. *parte* 2. Tellus Fernandez *lege* 11. *Tauri, &* 13. Mantica *de coniectur vlt. volun. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 33. ex Theologis Vasquez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 2. *in fine.* Azor *tom.* 1 *lib.* 2. *cap.* 19 *q.* 7. Sayrus *in claui, lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 19. Antonius Perez *certamine* 10. *Scholastico, num.* 130. Bonac. *de restit. disp* 1. *q.* 2. *punct.* 2. §. 1: *nu.* 12. Villalobos *tom.* 1. *tract* 1. *difficult.* 20. *n.* 11. Ioannes de S. Th. *prima secundæ q.* 18. *disp.* 28. *art.* 4. *§. Colligitur tertiò* Probatur primò. Homo damnandus, est seu condemnãdus est ob culpam dubiam; sed si filius ob dubium excluderetur à ratione legitimi, & hæreditate, ipse, & eius parẽtes punirentur, dum eorum culpa, seu defectus est dubius. ergo non potest vt non legitimus reputari, vel hæreditate priuari, durante dubio. Maior probatur; nam ipso rationis lumine postulante, pæna certa, non nisi certo delicto, seu defectui est adhibenda.

Prædictam nostram conclusionem limitant aliqui. Primò, quando ille de quo est dubium, sit ne legitimus, (& idem est, si dubitetur, sit ne naturalis, vel spurius,) est reus, & qui contrariũ cẽsent sunt actores. verbi gratia, cum alij fratres de quibus non dubitatur, an sint legitimi, vel alij cognati contendunt non esse legitimum, in quo casu illi in iure censentur actores, & ille reus: tunc enim dicunt, quod si est quasi in possessione iuridica, ad actores competit probare contrarium, & dum manet dubium, censendus est legitimus. Et idem concedunt, quando res conuertitur in litem, sed filius dubius prætendit Ordines, beneficium, prælaturam, vel quid simile; tunc enim reputandus est legitimus, dum de cõtrario, non fuerit diffamatus, vt habetur *in cap. transmissæ, & cap. per venit* §. *qui sint filij legitimi*. Videatur Mascardus de *probationibus, concl.* 882. *num.* 10. *&* 11. quod si à contrario contingat, quod filius: de quo est dubium, sit actor, & à fratribus, vel propinquis petat partẽ hæreditatis, vel alimẽta; tunc cũ iste non possideat, & sit actor, & alij possideant, & sint rei, ad eũ pertinet probare, quod est legitimus & præsumptio durante dubio stat pro alijs. Et per hoc auctores limitationis huius concordant sententiam relatam supra, vt illa sententia sit vera, quando filius est actor, conclusio verò quando filius est reus. sic Azeuedo *lib.* 5. *nouæ recapitulationis, tit.* 8. *lege* 9. *à num.* 14. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 5. *num.* 3. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *num.* 28. *&* 29.

Primam partem in fauorem nostræ Conclusionis probant, quia tunc est filius in quasi possessione filiationis legitimæ, & in dubio melior est cõditio possidentis. Secundò, quia iuxta aliam iuris regulam in dubio arbitrandum est pro reo. ergo cum filius sit reus, pro eo arbitrandum est Secundam probant, quia cum ipse est actor, & petit, alij sunt in possessione, vel quasi possessione, non ille, cum petat: ergo illi incumbit probare. Tertiò, quia ius certum aliorum non debet cedere dubio illius, aliàs ius dubium vinceret.

Sed his non obstantibus, nostra conclusio est vniuersaliter intelligenda cùm Auctoribus pro illa citatis, vt ex professò aduertunt reijcientes hanc limitationem. Vasq. 1. 2. *disp.* 66 *num.* 45. *&* 46. Salas *tract.* 8. *num.* 246. vbi dicunt, quod etiam si non esset in possessione hæreditatis ipse, sed fratres, iudicandus est legitimus. Ratio est, quod filius dubius semper reputatur reus, quasi defectu natalium excludendus censeatur à ratione legitimi, & hæredis, cuius contrarium ipse defendit. Regula autem iuris, in dubio, pro reo est arbitrandum, limitat regulam possessionis; sicut hęc, regulam in dubij tutiorem partẽ sequendã.

Ad fundamenta limitationis pro secunda parte, quę sunt contra conclusionem. Resp. ad primum, quod circa quæstionem; an sit legitimus nec ne? semper filius est reus, atque adeò post positis alijs regulis, iudicandum est pro illo. Ad quæstionem verò de hæreditate, vel alimentis, iam ingreditur, cum quasi possessione legitimi ad rem debitam. Ad secundum quòd quantum ad rationem legitimi, vel illegitimi, filius possidet in dubio; & ideò licèt quantum ad quæst. de hæreditate possideant illi, ipse agit contra possessionem titulo legitimi, cuius præsumptionem, dũ non euincunt, ipse habet meliorem causam, quòd scilicet filius legitimus, est quando possessio dubia non euincit. Ad tertium similiter dicimus quòd circa legitimitatem dubium est pro vtraque

parte,

parte, & sic euincit pars filij circa dubium verò hæreditatis, supposito, quod sit legitimus, non est titulus dubius, sed certus preualens possessioni certæ. dum ergo non euincunt possessionem legitimi, habet ius ad hæreditatem contra possessionem,

Secundò limitant Cõclusionem alij apud Vasq; 1. 2. *disp. 66. num.* 45. asserentes in dubio an sis filius legitimus existentibus alijs fratribus, de quibus non est tale dubium, non esse tribuendam tibi secundùm ius naturale legitimam possessionem integram, sed partem eius, iuxta quantitatem dubij. Fundamentum est, quòd cum non sint æqualia ius certum, & ius dubium, cùm alij fratres habeant ius certum, & iste ius dubium, inæqualiter debent hæreditatem participare. Sed hęc ratio nullius est momenti, eo quod eum priuare iure suo, seu hęreditate, sit punitio, & ius naturale dictet, in dubio neminem esse damnandum, ideò spoliari non potest; dum ergo duret dubium, certò est reputandus legitimus; atque adeò certum ius habet cum alijs fratribus.

DVBIVM XIX.

An in dubio ; an sit aliquis filius naturalis, vel spurius ? naturalis sit reputandus.

PRima Conclusio. In dubio, an sit aliquis filius naturalis, vel spurius; naturalis est reputandus. v. g., dubium est an quis genuerit filium, antequam cum alia contraxerit matrimonium, vel Sacros susceperit ordines, ex quo pendet an sit naturalis, vel spurius ? iudicandus est naturalis. Conclusio hæc eisdem rationibus, quibus præcendens, innititur, & ferè ab omnibus, qui tradunt illam, ex consequenti asseritur, sed expresse illam tradit Couarruuias in 2. *parte de matrimonio c.* 8. *§.* 3. Tellus fernandez *lege* 11. *Tauri*. Martienco 5. *nouæ collectionis, titulo* 8. *lege* 9. Vasquez *prima secunda, disp.* 66. *cap.* 8. Perez *certamine* 10. *scholastico*, *num.* 130. Salas *tract.* 8. *num.* 245. *in fine*, Martinez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *§. secundò dico.*

2. Conclusio. in dubio, an sit aliquis legitimus, nec ne? Vel an sit naturalis, vel spurius quantum ad legitimam, ius hæreditatis, vel quodcunq; aliud reputandus est legitimus, & reputandus est naturalis, & sic in suo casu primus sucedet vt legitimus, secundus vt naturalis. Hęc conclusio apertè sequitur ex duabus præcedentibus, habent que illam ex consequenti Auctores pro illa citati. de qua re videantur Vasquez *prima* 2. *disp.* 66. *cap.* 8. *num.* 44. Salas *tract.* 8. *num.* 245. & Martinez *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 5. *§. secundò dico.*

3. Conclusio. similiter defuncto marito statim nubat, & nono mense pariat, vel fortè septimo, itaut dubium sit, an proles sit primi, vel secundi mariti, tunc prius debet fieri sufficiens inquisitio, vt quid certius deprehendatur, quod si illa facta adhuc manet dubium, reputari debet filius legitimus illius viri, in cuius domo, vel dominio mulier parit. Priorem partem conclusionis huius, nempè quod debet adhiberi diligentia, vt quid certius deprehendatur, probari potest ex eo quod dubitans, ne eius dubium sit ignorantia vincibilis, tenetur adhibere diligentiam debitam, vt constitutum manet in superioribus; ita tenent Bartolus *in l Gallus* de lib. *posth. num.* 13. Syluester verb. *fi. nũ.* 20. Mascardus *de probationibus, conclusione* 788. *num.* 24. Alciatus *de præsumptionibus regula* 3. *præsumptione* 37. *nu.* 15. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 5. *num.* 7.

Coniecturæ verò, seu signa, quibus potest hoc dubium enodari, plura assignantur à iurisperitis Primum est attendere ad signa conceptionis, vt tempus menstrui, & alia, quæ mulieres pregnantes experiuntur, maximè in principio conceptus, vt etiam tumor vberum, & hoc signum assignauit Bartolus loco citato; Syluester similiter. Secundum signum est consuetudo mulieris, nempe quanto tempore consueuerit detinere prolẽ in vtero, quod etiam tradunt Bartolus, & Syluester locis citatis. Tertium signum est, cui ex maritis assimilatur proles, quod tradunt Iacobus de Beluiso, & ex eo Syluester. Et licèt contradicat Bartolus loco cit. quia assimilitatio contingere potest ex cognitione mulieris tempore conceptus, vt l. *quæret aliquis*, de verborum significatione; sed cum illa assimilatio ex cogitatione, ratò contingat, frequenter verò assimilari Parri, hoc signũ cum alijs admitti debere vult Syluester, cui iuniores consentiunt, Alciatus *loco paulò post citando*, Palao *loco cit. n.* 6. Quartum signum, seu notiuum est, testimonium Matris, cum enim ipsa sit, quę omnia hæc melius scire potest, non est leue testimonium, vt placet Alciato de pręsumptionibus, *regula* 3. *præsumptione* 37. *n.* 15. Quintum, licèt hoc potius sit consultatio suppositis signis, quam signum, est iudicium peritorũ, vt Medicorum, & obstetitricum, vt volunt Bartolus, Syluester, & Palao citati *ex lege* 1. *§.* 1. *ff. de ventre inspiciendo*. Et licèt quod libet ex his signis non sufficiat ad dubium enodandum, tamẽ concursus plurium, maxime testimonium matris, alijs signis fulcitum poterit saltem probabilitatem inducere, vnde non maneat verum dubium vt notant Syluester loco citato, & aliqui ex citatis.

Secunda pars conclusionis, quod si ex prædictis signis dubium enodari non possit, quod frequenter accidit, tunc manente dubio viri illius iudicandus est filius, in cuius domo, vel dominio mulier parit hoc est, secundi, qui tempore parti est maritus. Sic Baldus *lege si mater*. *C. de suis, & legitimis hæredibus* Syluester *v. filij, num.* 20. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 8. *n.* 44. Salas *tract.* 8. *n.* 247. Martinez 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub.* 5. *§. dico primò*. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 5. *n.* 7. & probatur, nam in casu dubij, possessio debet præualere; sed secundus maritus est in actuali possessione Matrimonij, & Mulieris. ergo in casu dubij illius debet filius reputari. Ad quod facit lex, *si vicini*. *C. de pupillis*.

Contra hanc secundam Conclusionis partem tenet Syluester loco citato, quòd fortasse dici posset, quod æqualiter ei vtraque hæreditas prouidebitur ad arbitrũ Principis, cùm non appareat, quæ magis obliget, & proles non debeat priuari subsidijs. Sed primo loco sentit sub disiunctione cum secunda parte nostræ conclusionis, cui standum est, quia iuxta illam proli prouedebituri à secundo marito.

Contra eandem partem tenet Decius in cap *per tuas*, versicul *quartus*, *& vltimus*, cui videtur consentire Mascardus *de probationibus*, *conclus.* 788. *n.* 24. in hoc dubio, debere iudicari, quod esset fauorabilius ipsi filio, nempe quod illius mariti filius est iudicandus, qui est nobilior, & ditior & c. quòd probari potest primò, quod in dubio non potest priuari filius nobilitate

bilitate, vel amplo matrimonio absque aliqua culpa sua secundò quod filius in eo casu se habet vt reus ad hæc ergo pro illo est arbitrandum Tertiò quod in dubio tutior pars est eligenda, quæ sententia probabilitate non caret: sed iuxta conclus. nostram Resp. quod possessio stat pro marito de præsenti, vnde vt hanc vincat possessionem filius, actor debet esse, & illi incumbit probare; quod est prioris mariti, si erat nobilior, & ditior.

DVBIVM XX.

An in casu quod adulter dubitet an filius sit suus vel mariti, si nihil certi possit deprehendere diligentia facta, debeat iudicare filium esse mariti, vel tenetur alimenta restituere vel prestare?

PRima Conclusio est Affirmatiua. Ratio est, qua sepè vsi sumus, quod maritus est in possessione; atque adeò, dum nil certi deprehenditur, mariti est iudicandus. sic Mascardus *de probationibus, conclus*, 788. Molina *tomo* 4. *disp* 101. *num*. 3. Sa on 2.2 *q*. 66. *a*. 6. *in fine*. Azor 3. *parte lib*. 5. *cap*. 6. *q*. 8. Henriquez *lib*. 11. *cap*. 21. *num*. 2. *litera*. M. Lessius *lib*. 2 *cap*. 10. *dub*. 6 *num*. 40. Fillucius *tract*. 32. *nu*. 223. Bonac. *de matrimonio*, *q*. 4. *puncto* 15. *num*. 8. Qui subdit hoc esse verū etiamsi mater affirmet cum iuramento esse filium adulteri, prolesque similis sit adultero, nam hęc signa sunt fallacia, Sed hoc cum grano salis est admittendum licet enim dictum matris, etiam iuramento firmatum, si feratur in gratiam adulteri, & ex eius amore, vel vt sic diuitijs lucretur, suspectum reuera sit. Sed si seriò vicina morti, & in suæ conscientiæ satisfactionem, cùm non suppetant circunstantiæ, quæ testimonium suspectum reddant, testimonium perhibeant, & suidictū proponat non leuia fūdamenta, vt absentiam viri, quod longo tempore ad eam non accessit, & arrideant aliæ circunstantię, possunt facere prudentem opinionem, si non debitam probationem.

2. Conclusio. Quando dubium est, quis sit Pater illegitime filij, quia plures matrem innuptam cognouerunt: si respectu vnius est naturalis, respectu alterius spurius, ille respectu cuius est naturalis, censetur Pater, & tenetur filium alere; non alij: si verò respectu omnium, vel plurium eodem modo se habeat, quantum quod sit naturalis, vel spurius, tunc quilibet in dubio debet reputari Pater quantum ad hoc quod pro rata contribuat pro prolis sustentatione, & alimentis.

Prima pars Conclusionis est, quod ille, vel illi in hoc casu reputandum est Pater, & tenetur prouidere filio, respectu cuius filius est naturalis, nō spurius, & ratio est, quia vt ostendimus sup. in dubio filius est reputandus naturalis; ergo reputari debet, quod genitus est Patre talis conditionis, vt generaret naturalem, non spurium: supposito verò quod ille Pater reputetur, naturali sequela, tenetur alere illum, & ita tenent Vasq; 1. 2. *disp*. 66 *cap*. 8. *n*. 43. Salas *tract*. 8 *n*. 147. Martinez 1. 2. *q*. 19. *a*. 6. *dub*. 5. §. *secundò dico*, vbi addit, quod si vnus est nobilis; alius infamis, vel Iudæus, reputari debet filius ingenuę personæ. Palao *tract*. 1. *disp*. 3 *puncto* 5. *n*. 14. Franciscus de Lugo *de conscientia cap*. 2. *num*. 61, Ouiedo *tract*. 5. *contr*. 4. *n*. 30.

Secunda pars est, quod si respectu omnium equaliter se habet in ratione naturalis, vel spurij, & in ratione dubij, omnes illi sub illo dubio, debent reputari Patres, & pro rata contribuere ad alimenta filij; & probatur, quia filius habet ius, & actionem aduersus Patrem, vt sibi alimenta prebeantur; cum ergo nesciatur determinatè, quis sit eius Pater, ne talis actio inutilis reddatur, & proles pereat, inter omnes eos debet diuidi obligatio. Secundò, quando habes rem alienam, & nescis, cuius duorum sit, debet inter vtrumque diuidi; similiter ergo in præsenti, cum onus sustentationis filij sit certum, & dubium ad quem ex duobus, vel pluribus pertineat, diuidi debet, non enim minus onera, quam lucra iustè sunt diuidenda,

Et ita tenent Molina *tomo* 4. *tract*. 3. *disp*. 103. *n*. 3. Vasq; *prima* 2. *disp*. 66. *c*. 8. *num* 47. Salas *tract*. 8. *n*. 147. Martinez 1. 2. *q*. 19. *a*. 6. *ad* 5. §. *secundò dico*; Azor *lib*. 2. *institutione moralium cap*. 19. *q*. 8, Rebellus *lib*. 4. *q*. 10. *n*. 21, Bonac. *de matrim*. *q*. 4. *punto* 15. *n*. 10. Villalobos *tomo* 1. *tract*. 1. *difficul*. 20. *nu*. 12. Palao *tract*. 1. *disp*. 3. *punct*. 5. *num*. 15. Ouiedo *tract*. 5. *contr*. 4. *num* 30. Franciscus de Lugo *de conscientia c*. 2. *num*. 61.

An verò si vnus ex his, qui in dubio reputatur Pater, sit ditior alio, debeat plus contribuere. Vasq; loco citato ait, hoc parum referre nec ad plus teneri ditiorem, Sed contrarium nobis placet cum Salas, Martinez, Palao, Francisco de Lugo, & Ouiedo locis citatis, teneri ditiorem plus contribuere, Cuius ratio est, quod cum Pater pro Alimentis filij debeat dare iuxta quantitatem substantiæ, aliter enim nutriendus est filius diuitis, quam Pauperis, hinc similiter in hac contributione non omnes debent esse æquales, sed contribuere iuxta suas substantias ad arbitrium prudentis. Addunt Bonacina, & Villalobos *locis citatis* quolibet ex prædictis Patribus nolente vel non potente contribuere, alterum esse obligatum in integrum contribuere, ne proles careat debito alimento, quod refellunt Salas *tract* 8. *numero* 248. palao, Lugo, & Ouiedo *supra*, quia aduersus quemlibet habet filius integrum ius.

Contra secundam partem præcedentis conclusionis posset fortassè aliquis putare, non improbabiliter, in eo casu nullum teneri ad prestanda alimenta, sed debere ali à matre seu alias si Pater esset mortuus. Et ex hoc inconuenienti educationis prolis incerto patre damnatur coitus inter solutas personas: & nulla etiam gentium Barbarum lege fuit permissum, quod vna mulier habeat duos viros, licèt vnus vir naturæ, ex veteris & alijs plures potuerit habere vxores. Id autem vltra hoc probatur primò, quia dubitare incertum non est æquum satisfieri solutione certa. Secundò quia nullus debet spoliari pecunia, quam possidet ob debitum incertum, cum debitum alimentorum sit incertum apud quemlibet ex his, qui possunt reputari Parentes non debent obligari ad alimentorum solutionem dubio durante.

DVBIVM

DVBIVM XXI.

An Pueri expositi, quorum Parentes omnino ignorantur debeant præsumi legitimi & puri sanguinis; & An probabile sit posse absque dispensatione ad sacros Ordines promoueri.

CONclusio. Pueri expositi, quorum Parentes omnino ignorantur, debent præsumi legitimi, & puri sanguinis, & probabile posse absque dispensatione ad sacros ordines promoueri. Prima pars conclusionis est, quod expositi debent præsumi legitimi, & puri sãguinis, hoc est nõ maculati, infames, iudaici, mauri: &c. sic admittendi ad collegia, & simia, quam tenent Nauarrus *cap.* 17. *n.* 201. Henriquez *lib.* 8. *de Pontifice cap.* 18. *in fine.* Salas *tract. de conscientia, nnmero* 246. Martinez 1. 2. *q.* 18. *a.* 6. *dub.* 5. §. *secundò dico.* Ratio est quia defectus non præsumitur, quousque probetur: sed vnusquisque, dum aliquid nõ est in contrarium, est in possessione suæ famę absque macula: qua sine causa spoliari non potest.

Sed fortè Inquires: An huiusmodi debeant reputari ingenui, hoc est apud nos *Nobili*, apud castellanos *Hidalgos*, vel maioris nobilitatis. Ad quod Respondemus, quod loquendo de iure positiuo, inquolibet regno est iudicandum iuxta leges eius stando in iure naturæ, Respondeo negatiuè, cum Martinez loco allegato. Ratio est, quia vnusquisque est inpossessione bonæ famæ, dum nihil est in contrarium, sed non est in possessione nobilitatis, seù ingenuitatis, nisi constet. Ergo licèt indubio debeat reputari bonę famæ, & absque defectu sanguinis maculati; non tamen ingenuus. Consequentia est bona, & antecedens probatur quia defectus non pręsumitur, immò oppositum, quia vnusquique nascitur in tali possessione, dum contrarium non constat, sed ingenuitas vel nobilitas non sequitur naturam, cum, fit ex priuilegio, quousque de illo constet, vel de possessione eius apparente, & sic dum non constet de Patre, non præsumitur.

Secunda pars cõclusionis est probabile esse expositum absque dispensatione posse ad sacros ordines promoueri, quam tenent Anania *cap.* 1. *de infantibus expositis* Palectus *tract de filijs nostris* Salas *tract. de conscientia n* 248. & Martinez 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub.* 5. §. *dico secundò.* Ratiõ est isti debent reputari legitimi, & immaculati sanguinis. vt Patet ex prima parte conclusione: ergo quantum ad has qualitates dispensatione non egent.

Contrarium huius secundæ partis. Conclusionis, nempe filios expositos, quorum parentes omnino ignorantur, non posse ad sacros ordines sine dispensatione promoueri. Tenent Couarruuias *in clementina, si furiosus, de homicidio, in principio, n.* 9. & Vasquez 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 8. *in fine* Probat primò, quia in dubio tutior pars est eligenda: tutius autem est dispensationem petere. Secundò; nam licet in dubio, nemo sit cõdemmandus pœna quæ non continet preceptum prohibens, tamen quando in penam vel alio modo imponitur alicui præceptum, quale est præceptum irregularitatis si illegitimus ordinetur, tunc pars tulior est eligenda indubio, atque adeò in dubio quisque seipsum condemnare debet.

Sed licèt hæc sententia sit probabilis, & consulenda vt tutior, sed præcedens non minus est probabilis, & in praxi potest sequi: & ad primã rationem ex modò factis, dico, regulam illam. Indubijs tutior pars est eligenda, moderari per illam. In dubio melior est conditio possidentis, cum ergo expositu sit in possessione legitimi, satis tutus manet. Ad secundam dico, quòd licet illegitimo ponatur illa pœna si ordinetur absque dispensatione; sed iste, de quo loquimur, est in possessione legitimi, vnde cum eo non loquitur illa lex. licet aliquando similes leges comprehendant dubium ex parte speciali iuris dispositione, vt est in irregularitate homicidij dubij.

DVBIVM XXII.

An cooperans ad maleficium teneatur restituere cum dubitat, an sequutum fuerit ex sua cooperatione.

CAsus est frequens. Consuluit aliquis alteri, vt aliquem occideret, vel quomodocũque læderet in persona, & bonis: & idem est siquoquo modo auxilium præstitit; dubitat postea an tale homicidium, vel damnum ex suo consilio vel cooperatione emanauerit, an stantehoc dubio teneatur iuxta quod docetur in materia restitutionis pro rata, vel in integrum, si alij non restituunt, de quo modo agimus.

Prima sententia Affirmatiua docet, consulentẽ, & cooperantem in casu dubij, an ex eorum consilio, & cooperatione sequutum sit damnum, debere præsumere ex tali consilio, vel auxilio processisse, & sic teneri restituere. Ita tenent Molina *tomo* 3. *disp.* 736. *num.* 6. licèt addat solum teneri restituere pro quantitate dubij. Couarruuias *in Clementina; si furiosus parte* 2. §. 2. *n.* 1. Auila *de consultis parte* 7. *disp.* 6. *sect.* 2. *dub:* 3. *concl.* 5. S. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, disp.* 41. *num.* 17. & *lib.* 5. *decalogi, cap.* 10. *n.* 44. Ioannes Sanchez, *disp.* 42. *n.* 14. & 17. Fillucius *tract.* 21. *num* 167. Proqua sententia est primum argumentum. In dubio nemo, pręsumitur, delictum commissurus ex lege *meritò* ff. pro socio. ergo non debet pręsumi, quod alter commisisset delictum, si tu non suasisses, vel alius fuisset cooperatus.

Secundum argumentum. In hoc casu possessio non est pro consulente, & adiuuante, sed pro alio, & contra consulentem, & adiuuantem. ergo dum non probas oppositum, tu es reus, & teneris restituere, vt docet Baldus *in lege, data opera n.* 52 C. *qui accusare non possunt.* Antecedens verò probatur: constat enim de suo consilio prauo, vel iniusta cooperatione, quę fuerunt sufficientia dãnum causare; constat item de damno causato. ergo præsumptio est contra consulentem, & cooperantem.

Tertium argumentum. ex hoc solum quod aliquis consuluit damnum, vel quocunque modo cooperatus fuerit ad id, sibi moraliter constare debet, se esse causam damni dubio excluso, dum aliud non fuerit in contrarium. ergo teneris restituere deposito dubio, dum contrarium nõn cõstat. Antecedens Probatur. quia sic consulentes vel asentientes cooperatores, & causæ damni communiter sunt. vt habet Carbon *tract. de restitutione, q.* 66. *Quartum dictum*, & sic præsumptio est contra illos, dum contrarium non probant, vt ex Felino, & Decio *in cap.* 1. *de officio delegati*, & Baldo *in lege data opera* docet Mascardus

dus *de probationibus*, *tomo primo conclus.* 4. *num* 9.

Secunda sententia negat in prædicto casu, cum qui consilium dedit, dum verè dubitat teneri ad aliquam restitutionem. Ita Syluester *verbo restitutio q.* 15. Tabiena *eodem verbo*, *& quæstione*. Henriquez *lib.* 14 *cap.* 13. *n.* 4. *littera* C. Nauarrus *lib.* 3. *de restitutione cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 38. Sayrus *in claui lib.* 10. *tract.* 2. *c.* 8. *numero* 1. Rebellus *prima parte*, *lib.* 2. *quæst.* 14. *sectione* 2; *num.* 5. *&* 7. Sà *verbo restitutionum*: 36. Tannerus 2. 2. *disp* 4. *q.* 6. *dub.* 14. *n.* 365. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficul* 20. *n.* 9. Diana *parte* 3. *tract.* 5. *resolut.* 84. Probatur primò. In dubio melior est conditio possidentis, præcipuè in materia iustitiæ, sed consulens, vel aliquo modo adiuuans est in possessione suæ pecuniæ, & est in dubio, an sit causa, vnde obligetur ad restituendum; ergo durante tali dubio, restituere non tenetur. Secundò, quia æquum non est, te obligari satisfactionem veram exhibere, cum certum non est, te damnum dedisse.

Prima conclusio. Quando dubium est; an reuera consulueris, vel quoquo modo cooperatus fueris ad damnum; vel an reuera damnum in re sequutū fuerit, nec ne? In neutro ex his casibus teneris restituere. Ita Thom. Sanchez *lib.* 1. *decalogi*, *c.* 10. *n.* 44. & Franciscus de Lugo *de conscientia*, *cap.* 2. *n.* 46. & videntur conuenire in hac conclusione Auctores citati pro vtraque opinione, dum supponunt delictum executioni mandatum. Probatur, quia cùm consilium, cooperatio; & damnum sequutum sint aliquid facti, non præsumuntur in dubio facta quousque probentur. Quare nisi detur præsumptio fortis delicti, possessio pro delicto non erit, sed pro consulente, & adiuuante, & sic in dubio non tenetur restituere.

2. Conclusio, supposito certo, quod consilium delicti fuit datum; & quod reuera delictum fuit perpetratum; dubitans an damnum sequutum ex tali consilio, tenetur inquisitionem facere, vt quid certius deprehendat, quo dubium vincat. Quod si deprehendit certò, vel probabiliter ex suo consilio emanasse damnum, tenetur restituere: si autem constiterit certò, vel probabiliter non processisse ex suo consilio, non tenebitur restituere.

Prima pras conclusionis est, quod qui in casu præsenti dubitat, tenetur moralem diligentiam adhibere, vt certificetur, an damnum processerit ex suo consilio, vel persuasione, vel non, vt sic dubium excludat, saltem per opinionem; & hæc pars certa est apud omnes: quia alias ignoraret vincibiliter, & culpabiliter, cum noluerit diligentiam debitam adhibere, vt è dubio exiret. Quod ergo in præsenti debemus ostendere est, quibus principijs prudenter possit colligi saltem opinatiuè, an damnum sequutam fuerit ex prædicto cōsilio, vel suasione, aut cooperatione aliqua.

Primum principium speculandum est, an homicida, cui tale consilium dedisti, ante tuum consilium iam erat in proposito firmo occidendi, idq; minatus fuerat. Si odium erat capitale, conditio etiam personæ talis, vt ex se audaciam haberet ad id perpetrandum, si iam præparauerat omnia ad tale opus necessaria, vt arma, socios, tunc enim iam tibi prudenter posses persuadere, homicidium, vel simile maleficium ex tuo consilio non processisse, & non teneberis restituere. Sic Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi*, *c.* 10. *nu.* 44. *in fine*. Ioannes Sanchez *disp.* 42. *nu.* 14. & Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 4 *nu.* 3. Secundum principium speculandum, seu signum est, quando maleficium contingit post longum tempus, in cuius decursu extinctus videtur feruor conceptus ex consilio, præcipuè si non ad sint signa in contrarium. Sic Syluester, & Nauarrus locis citatis. Filliucius *tract.* 22. *c.* 3. *nu.* 97. Henriquez *lib.* 14. *de irregul. c.* 16. *nu.* 7. & Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *nu.* 25. Tertium signum est, si post consilium dati nouæ inimicitiæ fuerint subortæ, vel antiquæ, occasionibus nouis magis incubuerint, nouæ occasiones ad maleficium perpetrandum occurrerit. Sic Ouiedo loco citato. Quartum signum est, ipsum patratorem maleficij assecurare, ipsum non esse motum ex tali consilio ad maleficium perpetrandum, vel ad eius accellerationem & c. sic Henriquez *lib.* 14. *de irregularitate c.* 16. *n.* 3. Sayrus *de censuris*, *lib.* 7. *cap.* 3. *nu.* 2. Franciscus de Lugo *de conscientia*, *capi* 2. *n.* 47. *in fine* Sed signum hoc non approbant Thomas Sanchez *lib.* 1. *in decalogum c.* 10. *num.* 44. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 4. *n.* 3. & Ouiedo *tract.* 5. *contr.* 4. *num.* 25. nisi malefactor ita sit dignus fide, aut tales coniecturæ concurrant, vt prudens arbitretur fidem illi habendam esse. Sed ego contrarium cum Henriq. Sayro, & Lugo citatis existimo, quod cum ex hoc, quod male factor fateatur, se non motum ex consilio alterius, nullum illi sequatur emolumentum, nullaque delicti diminutio, fides illi seriò loquenti potest adhiberi nisi tales in contrarium appareant circumstantiæ, vt fidem non adhibendam suadeant.

Secunda pars conclusionis est quod si facta diligentia, deprehensum fuerit certò, vel probabiliter ex consilio dimanasse damnum, tenetur restituere, si è contra non processisse ex consilio tenetur. Hæc conclusio debet esse communis, eo quòd in casibus eius iam cessat dubium, & est notitia, vel certa, vel probabilis, & si certa, necessarium est operari iuxta illam: si probabilis, etiam debet sequi illam relicto dubio, nisi fortè contraria sit æquè probabilis, & tunc poterit eligere quam sequatur iuxta dicta in multis dubijs, & per hanc conclusionem plures existimant conciliari duas sententias relatas, vt prima locum habeat, quando ex signis apparet maleficium consecutum esse ex consilio: secunda quando apparet non esse secutum ex consilio, vel in suo vigore manet dubium.

Petes 1. *An si facta, competenti diligentia nil certū, vel probabile elicatur, sed maneat rigorosum dubium, teneatur restituere.*

Conclusio, si facta, copetenti diligentia, nil certum, vel probabile elici atur, sed maneat rigorosum dubium, non tenetur restituere, & iuxta hanc conclusionem intelligimus, & admittimus secundam sententiam superius allatam, & modo explicandam.

Probatur primò, S. Thom. 1. 2. *q.* 66. *a.* 7. tenet nostram conclusionem, concludens in fine corporis. *Tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo, idest, adulator, ad restitutionem, quando probabiliter existimari potest quod ex huiusmodi causis fuerit iniusta acceptio consecuta*. Quando ergo non est saltem probabilitas ad hoc quod ex consilio secutum est damnum, sed manet dubium, non tenetur restituere. A fortiori autem Syluester, Tabienna, Enrriquez, Nauarra, Sayrus, Rebellus, Sà, Tannerus, Villalobos, & Diana relati pro

lati pro secunda sẽtētia precedentis dub. 11. hanc profitentur conclusionem, sed etiam Palao *tract. primo disp. 3. puncto 4. num. 3.* vbi affirmat de hac conclusione non posse Doctores dissidere Franciscus de lugo *de conscientia cap. 2. num 19.* & Ouiedo *tract. 5. controu. 4. num. 24.* vbi pro hac conclusione, vltra aliquos iam citatos adducit Molinam, Thomam, Sanchez, Reginaldum, Lessium, et Salonem. Secundò Probatur Argumentis adductis pro secunda sententia quæ hanc conclusionem conuincit.

Ad primum Argumentum ex factis pro prima sententia relata in dub. anted. concedo, quod in dubio nemo præsumitur commisisse, vel commissurum esse delictum, sed hoc est pro nobis; nam respectu patratoris non præsumitur delictũ, quousque constet vt vidimus in superioribus, quia cum sit res facti in dubio, non presumitur; cum verò damnum sequutum est, non presumitur; sed scitur ab agente perpetratum; an verò à se, vel ex consilio alterius, in dubium vertitur, in quo iudicandum, est ex circunstantijs, an ex consilio id cueuerit iuxta dicta: & in dubio non est iudicandum, ex consilio processisse iuxta hanc conclusionem, & id probat principium in hoc argumento assumptum.

Ad secundum Argumentum nego Antecedens. Ad probationem dico, quòd licèt constat de cõsilio, & damno, non tamen constat, an tale damnum proueniat ex consulente, & hoc ambigitur, Sed presumptio est, quod malè operans ex se malè agit, non verò quòd ex alterius suasione, nisi id probetur.

Ad 3. Argumentum nego Antecedens. Ad probationem dico primò, tunc solùm præsumi consulentes esse causas damni, quando perpetrans non habet causam, vel motiuum, quo credatur ex se fecisse; tunc autem etiam iuxta nostram sententiam tenetur restituere. secundò dico, quod licèt in foro exteriori præsumantur ex sufficienti motiuo mali consilij, non verò in foro cõscientiæ, de quo loquimur, quia conscientia magis procedit in rei veritate, quam in præsumptionibus Tertiò dico, quòd si fortè etiam in foro conscientię sit præsumptio contra consiliantem sed in eodem foro se pungat per diligentiam exhibendam iuxta Conclusiones supradictas.

Sed meritò inquires: an tenearis restituere, quando licèt fort coniecturę suadeant se non fuisse causam damni illati quantũ ad substantiã benè tamen quantum ad accellerationem, vt scilicet citiùs fieret; & modum vt maiori audacia faceret.

Prima sententia affirmat, tunc teneri consulentem ad restitutionem, quam videntur tenere Caietanus 2. 2. *q. 62. art. 7.* Sotus *lib 4. de iustitia, q. 7. art. 6.* Nauarra de restitut. *lib. 3. cap. 4. num. 15.* Molina, Vasquez. fundamentum est, quia de facto in hoc casu; consulens fuit causa, vt fieret damnum, quando factnm est. Secundò. quia facta dilatione, multis modis poterat impediri.

Secunda sententia negat, tunc teneri ad restitutionem. Pro qua citantur Syluester, *Sa,* Nauarrus, Lessius, Layman, Diana, Franciscus de lugo.

Fundamentum est; quia in hoc casu consulens nõ fuit causa efficax, vt damnum absolutè, ac secundùm substantiam inferretur siquidem alter ex se iam erat in tali dispositione. quod absque suo consilio idem perfecisset, licitè fortasse non tam citò, vel non tanto animo, & confidentia.

Secundò, quia si damnum erat patrandum æquale, quod maiori, vel minori animo patraretur, & quod fiat hodie, vel cras, dum non maius malum fiat, non videtur restanti momenti, vt moraliter possit estimari.

Petes 2. *In casu, quod iudicetur prudenter consilium, vel similem concursum non fuisse causam substantiæ Homicidij; an qui consuluit, teneatur aliquid satis facere.*

Conclusio. In casu, quòd iudicetur prudenter consilium, vel similem concursum non fuisse causã substantię homicidij, vel cuiuscũque damni, sed soliùs paruę accellerationis, vel maioris audaciæ, non tenetur qui consuluit aliquid sat sfacere. Si autem ex tali acceleratione vel concursu, ita anticipatum est homicidium, vel quodcunque damnum, vt hoc ipsum causa sit nuoui damni, vel esset spes, quod dilatione interposita impediendum esset, in vtroque casu restituendũ esset, & per hoc possunt conciliari duæ contrarię sententiæ supra relatę. Prima pars conclusionis est, quod si ex quacunque cooperatione sua solùm sequuta est parua acceleratio eiusdem damni, & non maioris, non teneris restituere; & sic potest exponi secunda sententia. & hæc pars probatur auctoritatibus, & rationibus pro illa adductis. Secunda pars conclusionis ste quòd si ex tali acceleratione, sic anticipatum est damnum, vt hoc ipsum causa sit noui damni distincti à substantia damni, quod imminebat futurum, vel ex maiori audacia sequutum est maius, sic consilians, vel concurrens tenetur restituere illud nouum, vel maius damnum. Sic Layman, *lib. 2. sect. 5. tract. 2. cap. 5. nu. 5.* Diana *3. parte tract. 5. resol. 44.* & Franciscus de lugo *de conscientia, &c. 1. num. 48. in fine.* Et probatur, quicunque est vera causa damni, tenetur restituere, etiamsi solum sit causa moralis, vt suadens, ludens &c. sed in casu conclusionis cõsilians, est vera causa illius damni, ergo tale damnum tenetur restituere. Maior est S. Th. 2. 2. *q. 62. a. 7.* & omnium Theologorum *ibi.* Minor verò probatur, nam in primis contingere potest, quod si homc in hac die occisus superuiuerit, amplum patrimonium hæreditario iure consecutas fuisset, vel aliquod aliud notabile emolumẽtum, quia illo motiuo iure maioris propinquitatis, ad alios transit. Item contingere potuit, quod ex tali consilio, qui erat furtum commissurus, audicior factus plus furatus fuerit, vel si debeat segetes alterius incendere, vel vineas deuastare plus damni efficeret. & huiusmodi argumenti fit causa consulens, vel quocunque modo inducens.

Tertia pars Conclusionis est, quod si esset spes probabilis, quod si damnum ex consilio, vel quacunque operatione non esset acceleratus, ita differetur, vt opinabile sit, quod fuisset impedimẽtum, tunc etiam tenetur restituere. Moueor ad hanc conclusionem ex hoc, quòd in casu, verè est causa substantialis damni: ergo tenetur restituere: consequentia est bona, & antecedens probatur, quia certis, vel probabilibus coniecturis deprehendi potest, quod tale damnum illatum impediretur, vel quod fortè iturus erat per longũ tempus in regionem remotam, quòd talis persona quæ ad hoc iudicatur conueniens, disponebat se intro mittere, vt has personas ad pacem educeret, s Item quod autor maleficij paulo post mortem

tem subiturus est, vnde non posset malum dilatũ perficere, & similia sunt plura, Et iuxta hoc debet intelligi prima sententia supra allata. & hæc conclusionis pars ex conclusione supra posita satis patet.

Ad rationes vtriusque sententiæ relatæ, quatenus aliquo modo possunt militare contra nostras conclusiones in illis tradita, abunde potest satisfieri.

Secunda conclusio. Quod in superioribus diximus de cõsulente, proportionabiliter potest intelligi de alijs speciebus concursus ad damnum, vt de laudante, & approbante id, quod disponitur fieri dequomodocunque concurrente, vt est adiuuans, non obstans, non manifestans, quos omnes enumerat S. Thomas 2. 2. *q.* 62 *a.* 7. verum est, quod de quibusdam vix potest esse dubium, quin sint verè causę damni secuti, vt de adiuuante, seù asocianre aduertunt Palao, & Ouiedo citati; cæterum de his concurrentibus, de quibus potest esse dubium, andamnum secutum fuerit ex eorum influxu saltem morali, idem dicendum est, quod dictum manet de consiliante, quia eadem prosus est ratio.

Petes 3. si consulens, vel quocunque modo concurrens ad homicidium dubitet, an reuera contigerit; andebeat reputari irregularis.

Conclusio. Si consulens, vel quocunque modo concurrens ad homicicidium, dubitet; an reuera contingerit, non debet reputari irregularis. si verò homicidium secutum fuerit, dubitat autẽ diligentia facta. an ex sua motione, vel quacunque operatione euenerit, vel ex sola volontate occidentis; in hoc dubio irregularis censendus est, vt verè irregularis procedere debet.

Prima pars conclusionis est, qaod si consulens dubitet, an reuera homicidium de facto contigerit, nec ne facta sufficienti diligentia, non est irregularis. *Sic* Henriquez *lib* 13. *de irregul. cap.* 16. *n.* 3. *littera D.* Sanchez *lib.* 1. *decalgi*, *cap.* 10 *n.* 44. & Franciscus de lugo *de conscientia c.* 2. *n.* 91. Proba tur primò; quia tunc nulla est præsumptio contra consulentẽm, sed ille est in possessione irregularis: ergo dum dubium permanet; irregularis non est censendus. Antecedens est factum, quia homicidium est factum: factum autem non præsumitur, nisi probetur: dum ergo homicidium non Probatur, neque consulens potest præsumi homicida. neque tam grauis pæna debet induci delicto dubio.

Secundò probatur. Nam licèt in iure homicidę etiam dubio de effectu imponatur irregularitas *in capi ad audientiam in cap. significasti*, & secundò, & *in capi panultimo, de homicidio*, tamẽ hęc capita intelliguntur de ipso proprio homicidiò, qui scilicet operatus est ad occisionem, licèt dubitet de effectu, & non de consulente, laudantę &c. vt tradunt Suarez *in* 7. *parte, tomo* 9. *disp.* 40. *sect.* 6. *n.* 8. Salas 1. 2. *tract.* 8 *num.* 168. & licèt irregularitas homicidij in iure extendatur etiam ad consulentes *in capi si quis viduam, dist.* 50 *in cap.* 2. *de Clerico pugnante in duello; & in cap. sicut dignum, § vltimo, de homicidio*, Tamen hæc iura loquuntur de consilio, ex quo sequutum fuit homicidium, & nihil dicunt de casu, in quo dubia est cooperatio, seù dubius influxus, & in re tanti momenti, & tam grauis pænæ, non debet extendi ius ad casum, de quo expressè non louqitur. ergo in iure nil decretum est contra hanc partem Conclusionis.

Secunda pars conclusionis, est, quod si homicidium reuera fuit secutum, & diligentia facta manet dubium, an processerit ex præcedenti cõsilio, nihilominus irregularis est, & hęc est communis sententia. Ratio est, quia cũ constet de homicidio, & de cõsilio, præsũptio est contra consiliantẽ tam in foro conscientiæ, quàm in foro exteriori. & ideò nisi diligentia adhibita inueniat ex suo consilio non processisse, & purget se, irregularis est censendus. licet Henriquez loco citato putet, durante dubio irregularem non esse.

DVBIVM XXIII

An in alijs materijs a Iustitia sit melior conditio possidentis?

IN regula proposita à nobis supra est, *quòd in pari debicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* Quam vsque veram varijs casibus ad materiam iustitiæ propriè dictæ pertinentibus ostẽdimus: nunc in dubium vertimus an eodem modo hæc regula locum habeat in dubijs crica materiam aliarum virtutum, vt circa materiam voti, & iuramenti, quæ pertinent ad Religionẽ, & similiter circa Sacramentorum materias, & circa materiam temperantię; vt siquis dubitat, an habeat ætatem, vt ieiunio obligetur. Et circa materiam fortitudinis, vt siquis dubitat. an periculam tale sit, quod debeat aggredi & circa materiam censuarum. Si enim verum habet etiam in his matetijs ex parte possessionis dubium speculatiuum componi poterit cum iudicio practico, de eo quod operandum est, non obstante illo dubio, sicut vidimus in materijs iustitię. Prima conclusio. Sicut in materia iustitiæ propriè dictę, ita in materia ceterarum virtutum, Sacramentorum, Censurarũ, votorum & c. potior est conditio possidentis, ita in dubio, quod adhibita diligentia deleri non potuit sequi debeat pars, cui fauet possessio, & hæc cẽseatur tuta, licèt sit minus tuta, quàm contraria, & hoc tam in dubio iuris, quàm facti; tam in foro contentioso, quàm in foro conscientiæ, iuxta dicta circa illam regulam in materia iustitiæ.

Conclusio hæc est communis, quam tenent Soto *lib.* 7. *de iustitia, q.* 3. *a.* 2. *documento* 2 *§. sed est hic* Medina *in summa lib.* 1. *cap.* 14. Ludouicus Lopez *parte instructorij cap.* 45. *§ dubitans de voto*, glossa *in c.* 4 *parte de censibus c.* 2. *decisionum cap.* 31 *in fine* Enriquez *l.* 11. *de matrimonio cap.* 11. *n.* 5. *& lib.* 8 *de eucharist. cap.* 45. *n.* 3. *littera* P. Rodriquez *tomo* 2. *summæ. cap.* 99. *concl.* 5. Suarez *de censuris disp.* 40. *sect.* 5. *n* 15. *& sect.* 6. *n.* 8. *& tomo* 2. *de* Rleig. *lib.* 2. *de voto. c.* 33. *n.* 7. *& lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 6. Thomas Sanchez *lib.* 1. *decalogi, c.* 10. *n.* 19. *& lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *n.* 32 Filliucius *tract.* 21. *n.* 159. *&* 165. Bonac. *de restit disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto.* 2. *§.* 1. *n.* 1. Rebellus *parte prima, lib.* 1. *q.* 2. *sect.* 2. Coninch *de matrim. disp* 83. *dub.* 10. *n* 86. Layman *lib* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 31. Villalobos *tomo* 1. *difficul.* 21. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 1. Sà *verbo dubium*, *& verbo votum*; Angelus *q.* 9 *de ieiunio, art.* 1. *difficul* 7. Zerola episcopus minorensis *in praxi episcopali, parte* 2. *verbo votum.* Malderus 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. *disputatione* 77. Diana *tomo.* 4. *tract.* 3. *resolut.* 2.

Probatur primò. Possessio titulus est vniuersalis, & communis omnibus virtutibus, & materijs. ergo nõ solũ in materia iustitiæ propriè dictæ, sed

in

in quacũque materia est titulus fauens in dubio posśidēti iuxta regulā, de qua disputamus. Cõsequētia est bona, nā ideò potior est in dubio conditio possidētis circa materiā iustitiæ, quia possidēs preter ius dubiũ proprietatis, in quo par est cõtraria parte certũ cũ possessionē habet, in qua planè excedit. Sed similiter in alijs materijs preter ius dubiũ obligādi, vel deobligādi partis vtriusq; dari potest pro vna parte certa possessio libertatis, vel deobligationis: ergo pars hæc excedet aliam, ac subinde in alijs materijs, potior erit pars possidens in dubio sicut contingit in materia iustitiæ. Antecedens verò probatur primo, quia in quacunque materia alterius virtutis interuenire potest aliqua obligatio faciendi hoc, vel illud, quia potest, interuenire præceptum, aut promissio, vel aliquid huiusmodi. ergò etiam potest interuenire ius faciendi, vel implendi, vel non implendi talem obligationem. ergo cum fuerit dubius de eo, cui competit, vel non competat tale ius, debemus inspicere possessionem, quia hoc ius ad aliquem pertinere debet, & illa pertinentia quędam possessio est, & sic pro eo iudicari debet, ad quē tale ius pertinet, quod est possessionem attendedere pro iudicanda tali parte. Et ideò si dubium sit pro qua parte iudicandum sit, necessē est, quòd talis possessio magis ponderet, vt pro ea parte iudicium feratur, eo quòd si est possessio, non debet quis spoliari illa propter solum dubium. ergo si in alijs materijs præter materiam iustitię habent locum, possessio, & ius, & præceptum, & obligatio, etiam habet locum, quod non spolietur quis possessione propter solum dubium, & sic in dubio melior sit conditio posśidentis.

Secundò probatur. In foro externo conditio posśidentis præualet in dubio in alijs materijs à iustitia propriè dicta. ergo similiter in foro conscientię. Consequentia est bona nam quod ligat in foro externo, ligat in foro interno, & eodem modo sicut in foro externo iudicandum, & operandum est, quoties forum exterius non innititur falsę præsumptioni, nec in pęnam sententia iudicis damnat aliquem, vt commune est non solùm his, qui nostram sequuntur sententiam, sed etiā eis, qui contrariam tenent. Vasq. enim 1.2. *disp. 66 cap. 1. num. 3.* cùm Nauarra docet Hostiensis id absque vlla exceptione verum esse, de qua etiam re videantur Sanchez *lib. 1. Decalogi, c. 10. nu. 11.* & Hurtado *disp. 4. de conscientia, difficult. 9.* & Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 6. num. 1.* & Antecedens probatur, nam in externo forò, etiā in alijs materijs à iustitia, cognita solùm obligatione dubia, nemo contra possessionem potest cogi ad illam, cum ex alia regula iuris à nobis supra exposita. *cùm partium iura sint] obscura, reo potius fauendum est* possessor semper est reus, quia ipse non postulat, sed ab ipso petit actor.

3. Probatur Conclusio in materia religionis. Nam cum quis dubitat de substantia Voti, nempe an vouerit? non tenetur ad votum, vt communiter tenent Doctores, quia possessio libertatis non debet deturbari propter dubium, voti, quod probatur rationibus inductis supra. Item cùm quis certus est voti, dubius tamen de materia eius, nõ tenetur ad illam materiā; vt si quis certò scit se Religionem vouisse, dubitat verò, an hanc in particulari: vel cùm certum est se vouisse ad nullam feminam accedere, dubitat tamen, an intellexerit de copula licita: vel certum est se vouisse non ducturum vxorem, dubitat verò, an vouerit castitatem, sed dubitat, an vouerit religionem. Circa quæ videatur Salas, Professores horum casuum citans *tract. 8. n. 250.* In predictis verò casibus apertè constat, quòd in dubio materiæ voti, homo posśidens suam libertatem, in ea conseruatur.

Confir. Nam idem dicendum est circa præceptum audiendi Missam, nam si quis dubitat, an sit dies festus, non tenetur sacrum audire, de quo Suarez *tomo 4 in 3. pa tem, disp. 40. sect. 2.* Item idem est in materia temperantiæ, nam dubius, an expleuerit viginti vnum annos, non tenetur ad ieiunandum, de qua re nos infra.

Salas *tract. 8. n. 252.* contendit concordare primam sententiam superius tactā cũ conclusione posita, itaut inter se conueniant, quibusdam conditionibus intellectæ: quę quia omnino sunt alięnę à sensu Auctorum vtriusque sententiæ, ideò vt vanam talem omittimus concordiam. Sed quia preced. conclusione supposita, in alijs materijs, à iustitia diffic liter aliquando discernitur, pro qua parte stat possessio, constituendæ sunt in sequētibus conclusionibus quędam regulę, quibus id commodiùs discernatur.

Secunda conclusio. Possessio est pro parte, pro qua datur iuris præsumptio. Sic Soto *lib. 7. de iustitia, quæst. 3. art. 2. §. Hæc verò* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 10. num. 13.* Aragon 2. 2. *q. 88. art. 8. notabili 2.* Bonacina *de peccatis disp. 2. q. 4. punct. 7. n. 14.* Probatur, quia ius nil sine causa ca usa presumitur, ne prę̨sumptio sit temeraria. ergo cum ius pręsumit pro aliqua parte, pro illa esse possessionem rationabiliter iudicatur Nam pręsumptio iuris definitur. quod sit *veri similitudo quædam sufficiens, ad rē dubiam credendam.* Vel dicitur esse, *coniectura probabilis ex certo signo proueniens, quæ præsefert veritatem, donec oppositum probet aduersarius, in quem eius probationis onus transfertur.* ergo dum præsumptio iuris stat pro aliqua parte, illa debet censeri vera, & possessione foueri, donec oppositum ostendatur tam in externo, quàm in interno foro Et ideò, quando non constat de veritate, standum est præsumptioni, vt docent Menochius *de præsumptionibus, lib. 4. præsumpt. 83. num. 62.* & Molina *tomo 1. de iustitia, disp. 196. columna 3.* Thomas Sanchez supra, & Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 6. num 2.*

Confir. exemplo. nam quando in matrimonio adiecta conditione impossibili dubius est adijcientis consensus, standum est in vtroque foro præsumptio fori externi, quod fauore matrimonij cõditionem illam habet pro non adiecta, vt probat Sanchez *lib. 5. disp. 3. de matrimonio num. 15.* Item cùm est dubia testatoris Voluntas, standum est pręsumptioni iuris, & ideò dum ius præsumit valorē legati, nec id cõpēsari cũ alio dubio testatoris erga legatariũ, & est legatarius tuta cõscientia legatum illud, ac pręterea dubitũ recuperare.

Tertia Conclusio. Ius interdum resistit possessioni, & tunc præsumptio iuris constat pro posśidente, sed pro contrario, & contra illud. Sic Mascardus *verbo possessio conclus. 1200* Martienzo *lib. compilationis, titulo 8. lege 9. glossa 3. nu. 13.* & ex Theologis Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 6. n. 2.* Franciscus de Lugo *de conscient. a, cap. 2. nu. 70.* & Ouiedo *tract. 5 contr. 4. num. 35* Probatur primò. Nam licèt regulariter spoliatus possessione sit ante omnia restituendus, vt probatur ex toto titulo de restitut. spoliatorum; tamen quando

quandoius resistit possessioni, non datur spoliati restitutio, quia præsumptio iuris præponderat possessioni. Vnde possessor Nobilitatis spoliatur possessione, & cogitur tributum soluere, statim ac ei mouetur lis circa nobilitatem, donec illam probet: quoniam illi possessioni præpõderat præsumptio iuris existens pro Rege, vt probat Ioannes Garcia *de nobilitate, glossa* 10. *numero* 12.

Secundò probatur ex iure, nam *in cap. ad decimas, de restitutione spoliatorum in 6.* Canonici spoliati dicimus Parochię Sancti Nicolai, non restituuntur, nisi manifestè probent, quòd eas legitimè possederunt. Nam cùm ille decimę prouenirent ex agris in aliena parochia constitutis, præsumit ius illas à Canonicis iniustè occupatos fuisse. Idem probari potest *ex cap. ex intimatione, de Procuratoribus, & ex cap. constitutis, de electionibus*, & in alijs multis relatis à Mascardo *verbo Possessio. conclusione* 1200. *nu.* 65. Martienzo *lib. 5. compilationis, titulo* 8. *lege* 9. *gloss. tertia num.* 14. & Azeuedo *ibi, num.* 15.

Quarta conclusio. Si præsumptio iuris pro hac, vel illa parte sit incerta, vt si est dubia, vel pro vtraque parte probabilis vt non rarò contingit, in hoc casu iudicandum est, ac si nulla subesset præsumptio. Sic Salas 1. 2. *tract.* 8. *num.* 233. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 6. *num.* 2. Franciscus de Lugo *de conscientia, cap.* 2. *n.* 71. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *n.* 34. & probatur, quia cũ litigatur de possessione, pro nulla parte supponitur, cùm ambæ partes eam ęqualiter prætendãt, sed quia cognoscere pro qua parte stat præsumptio iuris nõ minoris est difficultatis interdũ, quã pars possideat, & difficile hoc omnino potest regulis comprehendi: dicta sufficiant; nam id ex casu cum resolutione amplius dignoscetur.

Prima sententia opposita negat conditionem possessionis suffragari in materia, aliarum virtutum, vt voti, matrimonij, censurarum, & c. atque adeò illam regulam ad materias extra iustitiam propriè dictam, non extendi. Ita Corduba *in summa quæst.* 141. Vasq; 1. 2. *disp.* 65. *cap.* 3. *n.* 13. Montesinos 1. 2. *disp.* 29. *q.* 4. *n.* 112. Azor *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 10. *& lib.* 11. *cap.* 25. *q.* 2. Sayrus *in claui lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 36. *& c.* 16. *n.* 30. Torres de Iustitia *disp.* 13. *dub.* 3. *n.* 19. 21. Basilius Legionensis *de matrimonio lib.* 10. *cap* 15. *n.* 3. Antonius Perez *certamine* 10. *Scholastico num.* 131.

Arguitur primo pro hac sententia. Nam possessio solius iustitiæ propriè dictę, titulus est. ergo extra materiam iustitię propriè dictę nihil cõfert. Antecedens probatur, nam possessio solùm est de rebus, quarum proprietas, & dominium haberi potest, vt vidimus circa prima regulam. Hoc autem pertinet ad materiam iustitię, quę vnicuique tribuit ius suum. ergo vbi verum ius non interuenit, non datur vera possessio, nec habet locum regula possessionis.

Respondetur nego Antecedens. Ad probationẽ dico, quòd, vt in eo loco aduertimus licèt Iuristę solum corporalis rei tentionem, possessionem rigorosam censeant spiritualium verò rerum qu asi possessionem nominent; sed apud Theologos, & Canonistas, cum de rebus conscientię tractant possessio etiam rerum spiritualium conceditur, & in hoc sensu debet regula possidentis exponi, vt vidimus ibi. Dicimus ad argumentum, quod possessio fundatur in iure, sinè titulo, quo aliquid cimus nostrum, negamus autem hoc ius, seù titulum restringi ad materiã iustitiæ propriè dictę, sed dicimus per omnem materiam virtutum extendi, sic enim Voluntas possessionem suæ libertatis habet ad quemcunque actum virtutis, & in eo capax est pręcepti, & obligationis, vt voti, & iuramenti, atque adeò potest esse dubium pro qua parte stat possessio talis libertatis, & obligationis, atque adeò in alia materia à iustitia potest esse ius possessionis.

Secundò Arguitur; nam alias regula illa: *In dubijs tutior via est eligenda*, numquam haberet locum, quod est frustare illam sequela probatur, quia si non solùm in materia iustitię, sed aliarum virtutum arbitrandum est pro possidenti, cũ homo semper, possideat suam libertatem, vix relinquitur casus, in quo in dubio eligatur tutior pars. Nam in dubio præcepti legis, censurę, voti, iuramenti, semper pręualet conditio possidentis suam libertatem.

Resp. nego sequelam. Ad probationem nego quòd homo semper possideat suam libertatem. Nam cum libertas hominis determinetur, & obligetur lege, promissione, voto, & iuramento, sępè in dubio possessio non stat pro homine, sed pro lege, obligatione, voto, vel iuramento, nempè quando dubium non est de substantia, & existentia eorum iuxta dicta,

Tertiò Arguitur ex iure. Nam *in cap. ad audientiam, & in cap. Significasti & l. 2. de homicidio.* Sacerdos dubitans, an occiderit, censetur irregularis nam in eo casu, ait Pontifex, tutius est cessare ab officio, quam temerè celebrare. Si autem possessio obtineret in hac materia, non esset censẽdus irregularis, quia est in possessione administrandi, & regularis. Item in cap. illud de clerico excommunicato ministrante, determinat Innocentius 3. dubitantem, an esset excommunicatus, deponendum esse si celebrauit ante obtẽtam absolutionem, quoniam in dubijs tutior via est eligenda. Vnde debuerat abstinere à celebratione, cùm tamen ipse esset in possessione regularì, & ad ministrandi. Tertiò *in cap. Iuuenis, de sponsalibus* iuuenis, qui puellam nondum septeniam accepit, & cum illa consumare tentauit, & si non potuit, & postea consobrinam illius nouit, iubetur à Pontifice reparari propter impedimentum dubium publicæ honestatis, & rationem reddit, eo quod in dubijs, quod certius est, tenere debemus.

Resp. ad hoc Argumentum concedo, quòd in illo cap. ad *audientiam* Clemens 3. & Innocentius 3. & in illo *c. significasti*, ob reuerentiam altaris decreuerũt, quod dubij de homicidio in maioribus ordinibus non ministrarent sed haberẽtur irregulares. Hic tamen est casus singularis, in quo ius possessioni resistit, & quo probatur conclusio tertia. Sed inde non fit regula ad alia. vel 2. Resp. quòd casus in prędictis iuribus decisus, erat dubium facti, in quo tutior pars est eligenda nisi proprium ius, vel magna incommoditas contrarium postulet, iuxta dicta in superioribus. & licèt in eo casu proprium ius Sacerdotis videatur esse suis ordinibus fungi, cùm tamen ius hoc sacerdos non habeat, sed recipiat ab ecclesia, recipiendo ordines, recipit dependentes a conditionibus ab Ecclesia institutis, & sic cùm hac nam prædicta capita imponunt, quòd scilicet dubius de homicidio, se abstineat ab executione maiorum ordinum.

Ad caput *illud de clerico excommunicato ministrante*

ſtante; Reſp. primò, quòd cum iuxta dicta ad duo capita præcedentia, dubitans, an homicidium commiſerit, cenſendus ſit irregularis conſequenter ſequitur, quod cenſendus ſit excommunicatus, ſi non obtenta diſpenſatione miniſtrauit; vel 2. Reſp. quòd meritò punitur tamquam temerarius cenſuræ violator, quia dubius de illa non præmiſit debitam diligentiam ad vincendum dubium; dum enim diligentiam illam non adhibuit, tenebatur ſequi partem tutiorem, & à diuinis abſtinere, alias efficitur poſſeſſor malæ fidei.

Ad cap. *Iuuenis, de ſponſalibus* dico, quòd poſſeſsio matrimonij nihil iuueni illi fauere potuit, quia dubium, de valore primorum ſponſalium precesſit matrimonium, & ideo ſemper fuit poſſeſſor malę fidei. Iudicauit autem Pontifex in eo dubio æquali pro vtraque parte, quòd matrimonium erat nullum, quoniam ſponſalia priora fuere valida ſupplente malitia ætatem, vt videtur colligi ex eo quod iuuenis tentauit conſummere. & alijs circumſtantijs. Vel dicitur cum Abbate, & communi opinione, quòd iuuenis erat ſeptennio maior, & puella ferè ſeptennis, & eam traduxit in domum ſuam, vnde, ex eo contractu naſcitur impedimentum publicæ honeſtatis.

Secunda ſententia oppoſita diſtinguit de præceptis affirmatiuis, & negatiuis, & dicit. In alijs materijs quæ nõ ſunt iuſtitiæ propriè dictę, poſeſsioné nil operari in dubio circa pręcepta negatiua, ſed vim obtinere contra precepta affirmatiua. ſic Garcia *de beneficijs parte 7. cap. 2. à num.* 13. fundamentum eſt Quoniam vt quis obligatur ad nõ agendum, ſatis eſt, ſi dubitet, an liceat id facere; tunc enim locum habet regula iuris, indubijs tutiorem partem eſſe eligendam. Sed vt aliquis obligetur ad aliquid poſiuè faciendum debet obligatio conſtare. Tunc enim præualet illa regula in pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſsidentis.

Ad fundamentum huius oppoſitæ ſententiæ Reſp. diſtinctionem illam pręceptorum eſse inutilem, & applicationem illarum regularem voluntariam r quia homo ex ſua libertate æqualiter eſt in poſseſsione operandi, & non operandi, prout vult. ergo vt prohibeatur operari, & vt obligetur operari, æqualiter debet eius libertas à lege obligari, iuxta ea, quę dicta ſunt. ergo quòd lex, de qua dubitatur, ſit affirmatiua, ſiue Negatiua, ad hoc non conducit differentiam.

DVBIVM XVIII.

Quid debeat facere dubius de matrimonio.

DVbius de matrimonio ille dicitur, qui dubitat, an ſit validum matrimonium, vel ex aliquo impedimento, pręcipuè dirimente, vel ex defectu alicuius per ſe requiſiti, vt conſenſus? Dubitamus ergo quid debeat fieri in caſu huiusmodi dubij? Poteſt autem tale dubium tripliciter ſe habere ad matrimonium. Primò antecedenter, cùm ſcilicet dubitat aliquis, an licitè, & validè poſſit matrimonium contrahere? Secundò cõcomitanter, ita vt dubio practico manente contraxerit mala fide, vnde manet idem dubium poſt contractum matrimonium. Tertiò conſequenter, cùm ante matrimonium, vel in ipſo eius cõtractu non fuit dubium, ſed contraxit bona fide, ſed poſt matrimonium bona fide contractum incepit de valore eius dubitare, de quibus ſuo ordine dicemus.

Prima concluſio, Dubitantes an licitè, vel etiã validè poſsint contrahere matrimonium manente dubio, & non facta competenti diligentia, non poſſunt contrahere, & ſi de facto contrahunt, peccant mortaliter. Sic Soto in 4. *diſt.* 37. *q.* 1. *art. vltimo, circa finem,* Veracrux *in ſpeculo coniugorum art.* 13. *in fine.* Henriquez *lib.* 11. *cap.* 15. *num.* 13. Thomas Sanchez *lib. 2 de matrimonio, diſp.* 42. Ioannes Sanchez *diſp.* 43. *num.* 44. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 23. Palao *tract.* 1. *diſp.* 3. *puncto* 8. *numero* 10. & debet eſſe communis ſententia.

Probatur primò; nam fauor, & reuerentia ſacramenti requirit, ne aliquis illud perficiat dubius, an peccet, vel an efficiat ſacramentum nullũ ſecundò ex axiomate apud Iuriſprudentes receptiſſimo: *Mala fide contractum iniri, & poſſeſſionẽ ab illo capi, qui dubitat, nõ poſſ cõtrahendi, poſſidendi ve ius habeat* Tertiò, quia, vt ſepè diximus, temerè ſe committere dubio, aut periculo peccandi, eſt illicitum, & peccatum, atqui non apponens diligentiam temerè, & ignorantia culpabili procedit quantò, quia ſic videtur definitũ *in cap. in præſentia, de ſponſalibus, & ſpon in cap, dominus de ſecundis nuptijs.*

Eſt tamen aduertendum, præfatam concluſionẽm non comprehendere dubitantem circa impedimentum maleficij. aut frigiditatis, quia cum hoc dubio nondum examinato, poteſt aliquis licitè contrahere, & poſt contractum matrimonium licitè petere debitum, contrą definienda, eo quod circa hæc impedimenta occurrit, deponi. niſi experimento potentiæ, & vſu matrimonij, & ideò poteſt dubius contrahere, & poſt matrimonium contractum petere debitum, donec certus fiat in vna; vel altera parte. Videatur Loria *diſp* 38. *memb.* 4. *S. eſt. tamen aduertendum.*

Petes 1. *An facta competenti diligenta, ſi nihil certi comprehendatur, ſiuè ſit vnus qui dubitat, ſeù vterque coniux poſsint licitè contrahere abſque aliqua diſpenſatione.*

Concluſio facta diligentia, ſi nihil certi comprehẽdatur, ſed maneat idẽ dubiũ ſiue vnus ſit qui dubitet, ſiue vterque, poſſunt licitè, & bona fide contrahere abſque aliqua diſpenſatione. Sic Thom. Sanchez, *de matrimonio, lib.* 8. *diſp.* 6. *n.* 18. Ioannes Sanchez *diſp.* 43. *n.* 44.

Probatur primo, nam huiuſmodi contrahentes ſunt in poſſeſſione libertatis ad contrahendum, eo ipſo, quòd ſunt vir, & fæmina, niſi ſit aliquod obſtans huic iuri, & impediens ia maior caſu concluſionis nileſt, quod obſtet, & impediat. ergo licitè, & bona fide contrahunt. Maior eſt certa, & minor probatur. Nam ſi aliquid obſtaret maximè prædictum dubiũ, ſed tale dubium non obſtat; ergo nihil obſtat Minor probatur; nam tale dubium, vel ſumitur in ratione vincibilis inquantum ſi apponatur diligentia, excludi poteſt per maiorem notitiam, & illa non facta eſt ignorantia craſſa, affectata, & culpabilis, & ſic fatemur iuxta primam concluſionem obſtare, & impedire matrimonium; vel ſumitur in ratione rigoroſa dubij, & ignorantiæ inculpabilis, inuincibilis, & inſuperabilis, (ſiquidem adhibita diligentia debita ſuperari non potuit,) & ſic inculpabilis, & hoc dubium nullo modo obſtat, vel impedit, quia hoc dubium eſt, de quo dicitur in *regula* 65. *iuris in* 6. *in pari dubio, vel cauſa,*

potior eſt

potior est condio possidentis, quę à nobis supra manet exposita. ergo cum vir, & femina possideant, libertatem nubendi, in dubio inuincibili, vincit libertas.

Secundò probatur, quia in hoc casu, qui nolunt nubere, se habent vt rei quibus obijcitur, non posse ob dubium, sed manente dubio, reo fauendum est, quàm actori, vt supra dictum est. ergo dum non est aliquid certi. vincit pars volentium nubere.

Contra præcedentem Conclusionem, tenet Palao de conscientia *disp. 3. puncto* 8. *n.* 10. vbi respondens tertio Argumento de matrimonio ait & si cuilibet licitum sit matrimonio copulari: non tamen illi illicitum est, si dubius sit habere impedimentum, quia numquam habuit ius se matrimonio copulandi, nisi probando impeditum non esse, vbi ex eo quod ad libertatem nubēdi expostulat, probare impedimentum non habere, colligitur, quod loquitur etiam de dubio manente post adhibitam diligentiam. sed hæc sententia & est contra communem, & veritatem, & fundamento falso nititur. Nusquam enim requiritur ad libertatem nubendi, quod probēt nubentes, se non habere impedimentum sufficit quod non stet illud esse.

Petes 2. *Qui de facto contraxit dubitans de valore matrimonii non facta competenti diligentia, sed mala fide, durante illo dubio; an possit petere debitum.*

Concl. qui de facto contraxit dubitans de valore matrimonij, non facta competenti diligentia; sed mala fide, durante illo dubio, & negligētia diligētis examinationis, non potest petere debitum, sed altero coniuge postulante, tenetur reddere. Conclusio hæc est communis sentia, de qua videatur Paludanus *in* 4. *dist.* 36 *q.* 2. *a.* 3. & S. Antoninus 3. *parte*, *titulo primo*, *cap.* 9. Syluester *verbo matrimonium*, *quarto num.* 2. 9. & 10 vbi alij *Summistę*. Soto, Ioannes Medina, & multi alij cum Cornexio, *tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 3. *§. communis ergo*.

Probatur primò ex iure. Nam cap. *Dominus, de secundis nuptijs*, & cap. *inquisitioni; de sententia excommunicatinis*, Pontifices definiunt, quoties aliquis coniux post secundas nuptias dubitat de morte prioris coniugis, (& idem est de quocunque alio impedimento, quo matrimonium reddatur nullum,) debere reddere debitum coniugale alteri coniugi petenti bona fide, sed non posse simile debitum exigere ergo casus nostræ conclusionis est definitus in iure.

Ad hoc argumentum aliqui respondent primò in citatis iuribus Pontifices definire quid in foro exteriori sit iudicandum, sed id in foro exteriori non habere locum, ne reddendo debitum se exponat periculó fornicandi sed hæc solutio non obstat. Primò, quia vt obseruat Nauarrus *in caput si quis, de pænit dist* 7. *num.* 91. Luccius 3. *in illo capite dominus* non scribit ad iudices fori externi, sed ad Christianos in captiuitate degentes. ergo non voluit definire id, quòd iudices in foro exteriori ordinare? sed quòd coniuges pro conscientiæ trāquillitate facere oportebat. Secundò, nam in eodem capite dicitur, quòd si dubium leue hoc est, scrupulum, deponatur consilio Pastoris: si autem dubium sit discretum, qui dubitat, reddat debitum petenti, sed ipse non petat, quæ planę conscientiæ cancellos tangunt.

Secundò respondent, prædicta decreta intelligenda esse, quando dubium tale est quod deponi potest eo solùm quod alter coniux dubium postulet. Sed hæc solutio non habet apparentiam, nam si tam leue erat dubium, seu scrupulum, vt ad petitionem cōiugis alterius posset statim deleri, etiam ante petitionem deponi poterat, & quod magis vrget, frustra præcipit Pontifex, quod reddat, sed non petat, cum dubio deposito ad coniugis petitionem, sicut potest reddere, potest petere. Secundò probatur Conclusio. In dubio, sicut possessio bonæ fidei debet præualere & manere in vsu rei possessæ: sic possessio malæ fidei non suffragatur, nec ius aliquod præstat. Sed in casu conclusionis alter coniux est in possessione bonæ fidei, & alter quasi in possessione malæ fidei. ergo in eo casu petente coniuge bonę fidei, debet ius reddi, non enim debet defraudari vsu rei propter quodcumque dubium alterius: sed alter malæ fidei non potest petere, eo quod talis possessio non suffragatur, atque adeò si petit sine sufficienti titulo, & causa, se exponit periculo fornicandi, & sic peccat, non verò peccat dando petenti, quia dat, ne priuet illum iure suo. Consequentia est bona, & Antecedens constat ex dictis *supra*.

Tertiò probatur. Nam in dubio dum non fiat debita diligentia ad inquirendam veritatem, ignorantia est vincibilis, atque adeò voluntaria, & culpabilis & ideò si cum illa absque ratione vrgente operatur voluntariè se exponit periculo peccandi, & ideò peccat, quòd non facit, si aliqua obligatione ducitur, vt ad reddendum debitum, ne iniuriam irroget alteri coniugi.

Sed contra præcedentem conclusionem dubitantem de valore matrimonij, nōn solùm non posse petere, sed nec reddere debitum poscenti, ne se exponat periculo fornicandi, non nulli fuerunt opinati. Adrianus enim sic opinatus est *in* 4. *q.* 2. *de sponsalibus §. hic oportet. & quodlibeto* 2. *in* 2. *puncto ad* 2. *Argumentum*, & ad Pontificum decreta relata in probatione prima Conclus. precedentis duobus modis *sibi* assignatis & à nobis impugnatis Respondet. Et Paludanus *in* 4. *dist.* 36. *q.* 1. *art.* 3. refert opinionem asserentium, ex natura rei coniugem dubitantem, nec petere posse, nec reddere. Sed quia Pontifices in capitalis citatis præcipiunt, vt reddant debitum, poterat reddere, vt obediat. Sed hoc est irrationabiliter dictum, nam si stando in iure naturę nec potest petere, nec reddere; Pontifex non potest pręcipere, vt reddat, sicut non potest præcipere, vt accedat ad non suam, neque si præcipiat, posset coniux obedire, sicut contingit aliquando, quòd iudex ex præsumptione fori exterioris pręcipiat, quòd aliquis certus de nullitate matrimonij cohabitet, & tamen iuxta omnes, nec tenetur, nec potest obedire, quia id iure naturę non licet.

Pro qua sententia, & contra nostram Conclusionem secundam est primum Argumentum, In casu, de quo disputamus, coniux habens dubium modo dicto, dubius est, an actus reddendi debitū, sit fornicatio, sed dubium, an aliquid sit peccatū, nō potest illud facere absque peccato: ergo coniux reddens debitum, peccat. Minor est certa iuxta dicta, & maior probatur. Talis coniux dubitat an accedat ad alienam. ergo dubitat, an fornicetur. Antecedens patet, quia dubitans de valore matrimonij, dubitat, an coniux sit propria. Et Consequentia probatur à definitione ad definitū cum eodem addito. Nam fornicatio est accessus

ad

ad non suam, vel non suum; ergo qui accedit cũ dubio, an sit sua, accedit cum dubio, an fornicetur sicut qui dubitat, an sit Animal rationale, dubitat, an sit homo.

Sed hæc opposita sententia, suppositis decretis Pontificum probabilis non apparet, & ad Argumentum Respondetur, nego maiorẽ. Ad probationem distinguo illud Antecedens. Talis coniux dubitat, an accedat ad alienam. Si intelligis de dubio speculatiuo, concedo; sed tunc nego consequentiam, & ad probationem antecedens, quia fornicatiõ est accessus ad non suam, seu ignorantiam vincibiliter, & culpabiliter, & hoc iudicio practico, alias Iacob dormiens cum Lia; Genes. cap. 29. 23. esset fornicatus contra communem opinionem. Si vero intelligas de dubio practico, nego, quia accedit cum hoc iudicio, supposito quòd coniux petens est in possessione, & petit bona fide, possum licitè, imò teneor licitè, & absque fornicatione reddere. De iudicio verò practico, & speculatiuo diximus ex professo supra. Aliæ solutiones huius Argumenti ponit Medina 1. 2. *q. 19. art. 6. q.* 8 *post conclusionem* 4. §. *Ad hec argumenta*.

Argumentum secundum est, ex illa parte conclusionis, in quo diximus coniugem dubitantem teneri reddere, sequitur contra aliam etiam posse petere. ergo vel male conceditur posse reddere, vel simil debet concedi posse petere consequentia est bona, & antecedens probatur, quia ex eo tenetur reddere debitum non obstante, quia in dubio alter coniux non est priuandus sua possessione peteñdo hâc enim rationẽ assignauimus cũ comuni opinione. Ad similiter côiux dubitãs est in possessione petẽdi ratione matrimonij ergo ratione dubij non debet priuari tali possessione.

Resp. nego antecedens. Sed eius probationẽ dico, quòd tunc aliquis non est priuandus possessione in dubio, quando est possessor bonę fidei, qualis est coniux, qui in nostro casu debitum exposcit: at verò, qui nupsit mala fide, hoc est, dubius, & in ea mala fide perseuerat, cùm reuera nõ habeat possessionem veram matrimonij, sed quasi possessionẽ, nõ suffragatur illi possessio, sicut alteri.

Tertium Argumentum. Maritus qui bona fide contraxit matrimonium cum muliere serua, putans esse liberam, si incipiat de valore matrimonij dubitare, non tenetur debitum reddere, etiã si per excommunicationem compellatur à Prelato. ergo neque in alijs dubijs de valore matrimonij tenetur reddere debitum. Consequentia videtur bona à paritate rationis ex eo enim in hoc casu non tenetur, quia dubitat an sit vxor. Ergo cùm idem dubitet ex quocunque alio impedimento dirimente, erit idem. Antecedens verò probatur primò quia ita videtur docere D. Th. *in* 4. *dist* 36. *in expositione textus*, & reuera tenent *S.* Bonauent. *ibi. dub.* 1. *circa textum.* Ricchardus *ibi art.* 2. *q.* 1. Paludanus *ibid. q.* 1. *a.* 1. *conclus.* 3 *num.* 9. Adrianus *quodlibeto* 2. *art.* 1. *puncto* 2. Medina C. *de restitut. q.* 19. *§. cùm eorum in solutione ad* 2. *& q.* 17. §. *Corrollarie sequitur.* Soto *de secreto. memb.* 3. *q.* 2. *post. conclusionem primã.* Bartholomeus Ledesma *de matrimonio, dub.* 2. *in fine* Henriquez *lib.* 11. *de matrimonio, cap* 10. *nu.* 5. *& c.* 15. *n.* 14. Vega *in summa* 401. & inter Iuris peritos, Innocentius *c.* 2. *de coniugio seruorum, in principio. & ibi num.* 1. Alexander *de Neuo* citans super *eundem locũ* Tancredum, Vincentium, Philip. & Goffredum. Item *in eodem capite* Panormitanus *num.* 6. Prępositus *num.* 11. & Ioannes Andreas Couarruuias 2. *parte de sponsalibus c.* 7. *num.* 11. *§.* 2. vbi dicit esse communẽ opinionem Iurisperitorũ. Nauarrus *cap. si quis autem de penit. dist.* 7. *n* 84. Gregorius Lopez *lege* 4. *titulo* 5. *parte* 4. *verbo departir*, Rosella *verbo impedimentum, impedimento* 3. *num.* 6. *&* 7. *& in eodem verbo* Tabienna, *impedimento* 1. *q.* 11. *n.* 12. Angelus *verbo, Matrimonium* 3. *impedimento* 4. *num.* 8. *&* 9.

Secundò probatur antecedens ratione. Nam vel ille homo debet accedere ad talem mulierem affectu fornicario, & ad hoc nullo præcepto constringitur, cum sit peccatum, vel affectu maritali, eo ipso ratificat matrimonium, etiamsi sit serua, ad quod non potest compelli.

Ad Argumentum Resp. primò concedendo Antecedens, & negando consequentiam, & ratio discriminis, est aperta, nam in eo casu, si coniux dubius reddit debitum affectu non maritali, peccat peccato fornicationis: si autem affectu maritali, eo ipso consentit in matrimonium nullum cum serua, & ideò ratificat Matrimonium, quod à principio fuit nullum ex ignorantia seruitutis: quod inconueniens non sequitur, si cum dubio alterius generis reddat debitum.

2. Respondeo negando antecedens; durante enim dubio licèt non possit petere dubitans, an sit serua, tenetur tamen reddere, quia dubium eius non potest defraudare ius alterius partis, & deturbare possessionem. Sic sentiunt S. Antoninus 3. *parte, titulo* 1. 13. §. 1. Paludanus *in* 4. *dist.* 36. *q.* 2. *art.* 2. *post conclusionem.* Palacios *ibi, dist.* 30. *disput.* 1. *& dist.* 36. *disp.* 1. Adrianus *de sponsalibus dub.* 13 *§. Preterea tertiò.* Corduba *lib.* 3. *q.* 8. *Corrollario* 1. *Inter* summistas Syluester *verbo Matrimonium* 8. *q.* 3. *dicto* 2. 3. 4. *&* 5. supplementum Pisane *verbo impedimentum, impedimento* 3. *in fine.*

Ad sanctum Thomam citatum pro opposita sententia dico, nullatenus pro illa stare. Verba Sancti Thomæ sunt. si antequam sit detecta seruitus vxoris, de qua dubitatur, petat debitum, si leui suspicione moueatur, debet reddere debitum, nec ex hoc ei aliquod preiudicium generatur. Si autem ex causa probabili dubitet, vel vehementer presumat, aut certè cognoscat, non debet ei bebitum reddere ecclesia præcipiente, quia vel sibi preiudicium faceret, si eam vxor o affectu cognosceret, aut aliàs fornicaretur. Vbi S. Th. contraponit leuem suspicionem, dubitationi ex causa probabili, hoc est, opinioni, & scientiæ, & sic nomine leuis suspicionis intelligit dubium negatiuũ, quod quid leue est respectu opinionis, & in tali dubio dicit, reddendum esse debitum, atque adeò habet nostram secundam solutionem. Ad reliquos relatos pro illa sententia dicimus, illam esse probabilem, vt vidimus in prima solutione;

Ad rationem, quæ probat Antecedens, dico, quòd in casu argumenti maritus potest reddere debitum affectu maritali, non cum animo reualidandi matrimonium, si forte validum non est, sed reddendi debitum mulieri, quam probabile esse vxorem, & cum certum est in possessione vxoris, in quo casu si matrimonium erat nullum, nõ ratificatur, sicut neque qui dubitat, an emiserit Votum, ex hoc quod adimpleat durante dubio, non ratificat; quæ solutio expressè est *S.* Thomæ in verbis relatis. Est tamen aduertendum circa eandem nostram conclusionem 3. quòd cum in ea

dicimus coniugem dubium debere reddere, intelligendum est post consummatum matrimonium, vel post duos menses, quos iura concedunt, vt coniuges deliberent, an velint matrimonium consummere, vel ad religionem transire; nam cùm intra illos duos menses certum de Matrimonio non teneatur reddere debitum, multò minus tenebitur dubium de illo. Videatur Lorca *prima secundæ, disput.* 38. *lib.* 3. §. *est tamen aduertēdū*.

Petes 3. *An qui de facto contraxit, dubius de valore matrimonij, non facta competenti diligentia, sed mala fide, si post contractum matrimonium adhibeat debitam diligentiam, vt è dubio exeat, quod tamen consequi non potest, sed in eodem dubio permansit, possit licitè non solùm dare debitum, sed etiam petere.*

Conclusio. Qui de facto contraxit, dubius de valore matrimonij non facta competenti diligentia, sed mala fide; si post contractum matrimoniū adhibeat debitam diligentiam, vt è dubio exeat, quod tamen consequi non potuit, sed in eodem dubio permansit, potest licitè non solùm dare debitum petente alio coniuge, sed etiam petere sic tenent Ludou. Lopez *in prima parte instructorij in secunda editione, cap.* 297. §. *sed si inquirat*; & *in* 2. *parte de matrimonio, cap.* 39. Veracrux, *in speculo, prima parte art.* 42. *conclus.* 3. & *art.* 18. *concl.* 5. citanturque pro hac sententia in manuscriptis. Victoria, Cano Pesia, Gallo insignis Salmantises Prædicatoriæ familiæ. Idē tenent Emanuel Rodriquez *in summa, verbo, matrimonium in* 2. *editione, cap.* 142. *nu.* 4. Henriquez lib. 12. *summa, qui est secundum de matrimonio, cap.* 6. § 5. & *lib.* 4. *de legibus cap* 18. *in fine.* Ledesma Angles Vega, Sanchez, & Salas *prima* 2. *tract.* 8. *num.* 189.

Probatur primò conclusio. In casu, de quo disputamus, certum celebrate Matrimonium, & dubium est, an fuerit impedimentum reddere actum illum nullum. ergo cum matrimonium sit celebratum, possessio stat pro matrimonio, & dum non probatur nullum facta sufficienti diligentia, non obstante dubiò debet iudicari validum, & sic relicto dubio speculatiuo vsus matrimonij quantum ad reddere, & petere bebet practicè iudicari licitus. Antecedens est certum, & consequentia probatur primò, quia præsumptio, & possessio stat pro matrimonio cum non sit dubium celebratum esse, & cum sit opus pium, pro illo debet stare præsumptio, & iudicium. Nec obstat, quod dubium est de valore, & substantia matrimonij, cum sit de impedimento dirimente Nam vt vidimus supra, cum quis dubitat, an lex sit acceptata, vel an sit vsu abrogata, an sit iusta, an sit posita ab habente auctoritatem, vel ob legitimam causam, quæ necessaria sunt ad valorem legis; tamen si legem supponat positam, tenetur legem obseruare, quia possessio stat pro lege, & dum non constant illę conditiones euacuantes illam non infringitur ex dictis dubijs, quia quod factum est, licitè factum præsumitur, dum contrarium non probatur, non obstante quocumque. dubio ergo similiter in præsenti dum supponitur celebratum matrimonium, præsumitur ritè celebratum, & pro illo stat possessio, non obstante quocunque dubio donec constet contrarium.

Confirmatur primò, quia in hoc casu matrimonium est reus, cui imponitur à dubitante inualiditas. ergo dubitanti incumbit probare illam, & ideò petitur ad illos sufficiens diligentia, quod si illa adhibita, nihil certi inuenitur de inualiditate matrimonij, arbitrandum est pro matrimonio, non obstante dubio, quia in dubio fauēdum est reo vt patet ex regulis supra assignatis: ergo non obstante dubio, facta diligentia, matrimonium stat pro omni vigore, & ratione illius vterque coniux potest reddere, & petere.

Confirmatur secundò; nam ex opposita sententia sequitur hoc magnum absurdum, quòd ambo coniuges non possent ex iugo matrimonij exire, nec possent petere, nec reddere debitum, sed perplexi manerent tota vita. Probatur sequela demus, quòd vterque contraxit mala fide cum prædicto dubio, & quòd postea consummato matrimonio perlistentes in dubio fecerunt competentem diligentiam, & nihil certi inuenerunt, sed manserunt cum eodem dubio, tunc illis licitū non est matrimonium deserere, vt nullum propter dubium, & non licet iuxta contrariam sententiā alicui eorum petere, aut reddere: ergo in perpetuum erunt suspensi.

Secundò probatur decretis Ecclesiæ. Nam Pius V. in quodam motu proprio relato à Veracruce, & Sayro locis citatis, concessit indis, quòd non inuenta priore vxore, cum vltima manere possent. Vbi cum esse dubium; vtrùm prima vxor viueret facta diligentia; & non inuenta, declarat illis, quod cum secunda maneant, vtique in vsu matrimonij, qui est noster casus. Deinde *in cap. litteras de restit spoliatorum* sine preiudicio aliarum opinionum, Innocentius 3. determinat quod in casu, de quo agitur de valore matrimonij ex impedimento, & quæstio est, an restitutio fieri debeat ante probationes, si probationes prolongentur, debere fieri restitutionem ad habitationem & thorum; cùm ergo ex sententia Pontificis, ex eo quòd ex parte sua fecerunt diligentiam, tardant probationes, permittatur vsus thori, apertè cēseat nobiscum posse reddere, & petere facta diligentia. Item cap. *Laudabilem*, de frigidis, & maleficiatis. Si frigidi, & impotentes bona fide contraxerunt, & processu temporis incipiant dubitare de impotentia, quæ matrimonium dirimit conceditur ipsis, quòd per trienū durante tali dubio possūt experiri, an sit verū tale impedimentum, petēdo, & reddendo. ergo in nostro casu durante dubio, dum nil certi cognoscitur, possunt durare in vsu matrimonij donec contrariū appareat.

Tertiò probatur; nam coniux dubitans de valore matrimonij, facta sufficienti diligentia, & manente dubio, potest prudenter illud deponere. ergo tunc poterit petere sicut reddere, si quidem deposito dubio nullum manet impediens. Consequentia videtur bona, & antecedens primò probatur; quia sic docent Syluester *verbo Matrimonium 6. quest.* 8. Angelus V. *matrimonium tertiò, n.* 4. & alij, quos sequuntur. Secundò, quia licèt fortassè non sit in possessione eius tale dubium vincere, vel excludere, quia non habet rationem in contrarium, sed tamen est in potestate eius tale dubium, vt speculatiuum contemnere, & affirmare ex rationibus inductis pro conclusione hoc iudicium practicū. Non obstante illo dubio speculatiuo, quod patior, ex rationibus assignatis iudico hic, & nunc mihi licere, non solùm reddere, sed petere, & hoc indicio, & conscientia recta ex illo informata, poterit licitè petere.

Contra

Contra præcedentem conclusionem, coniugem qui mala fide contraxit durante dubio, etiã facta quacũq; diligẽtia, non posse petere debitũ licet possit reddere; defendunt Sotus in 4. *dist.* 37. *q.* 1. *art.* 3. *& lib.* 4. *de iustitia*, *q.* 5. *a.* 4 Corduba *lib.* 3. *q.* 8 *corrollario* 3. Bartholomeus Ledesma *de matrimonio*, *dub.* 20. *conclus.* 2. Petrus de Ledesma *de matrimonio*, *quest.* 45. *a.* 1. *dub.* 2. Nauarra *in summa Hispanica c.* 22. *n.* 81. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 28. *&* 29. Valẽtia 3. *parte disput.* 10. *q.* 4. *puncto* 2 *& disp.* 2. *quest.* 14. *puncto* 4 *dub.* 4. Salon 2. 2. *q.* 62. *tract. de dominio, quest.* 9. *art.* 7. *ad finem* Rodriquez *secunda parte summa cap. si. concelus* 3. *& conclus* 4. *in fine*. Vasquez 1. 2. *disput.* 66. *c.* 3. § *Hanc sententiam; & cap.* 4. *in principio* Azor *tomo* 1. *lib.* 2. *c.* 18 *q.* 5. Antonius Perez *certamine* 10. *Scholastico numero* 134.

Præcipuum huius sententiæ fundamentum sunt capita illa iuris relata supra, in quibus Pontifices decernũt absolutè & absque aliqua distinctione, dubitantem posse reddere, sed non petere. Dum ergo manet dubium iuxta Pontificum decisiones reddere potest sed non petere. Sed hęc sententia licèt probabilitate non careat, sed nostra resolutio in conclusione posita, magis probabilis, & pia apparet, & ad fundamentum huius sententiæ Respondemus. Pontifices loqui absolutè de dubio in sua specie, & sic verum est, sed loquendo de dubio, vt examine purificato, alia est ratio, etiamsi dubium permaneat, nam primum dubium precedens examen iudicatur vincibile, & quòd fortasse examinata ne euanescet. atque adeò dum non examinat, ignorantia est voluntaria, & culpabilis sed facto examine si manet dubium, est inuoluntarium, & inuincibile, atque adeò iuxta nostram conclusionem, & rationes eius est deponendum, vel vt speculatiuum parui pendendum, & conscientia debet informari iudicio practico de eo, quod etiam petere potest.

Petes 4. *An Coniux, qui bona fide contraxit matrimonium sed post factum, & consummatum incipiat dubitare de valore matrimonij possit petere debitum, ac teneatur reddere.*

Prima conclusio. Coniux, qui bona fide cõtraxit matrimonium, si post contractum, & consũmatũ incipiat dubitare de valore matrimonij dum non facit debitam diligentia, vt dubiũ enodet, tenetur reddere debitum, sed non potest petere. Hęc conclusio est communis sententia, sequitur aperte ex dictis, & est absque dubio definita in capitibus iuris prò illa inductis. & alijs rationibus. Videantur Franciscus de Lugo, de *conscientia*, *cap.* 2. *n.* 1. 191 & Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *a.* 4. §. *ex quibus principijs.*

Secunda conclusio. Coniux, qui contraxit bona fide, si post contractum, & consummatum matrimonium incipiat dubitare, & facto sufficienti examine manet in eodem dubio potest non solũ reddere conforte postulante debitum, sed etiam petere; quæ conclusio maiorem habet probabilitatem, quã antecedẽs, quia in illa ponimus contraxisse mala fide, atque adeò possessio matrimonij non habet locum ex parte illius contrahentis sed in hac ponimus, quod contraxit bona fide, atque adeò dubium inuenit eum possessorem bonę fidei. Conclusionem hãc præter citatos conclus. antecedẽti, tenent Soto *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 3. *& lib.* 4. *de iustitia q.* 5. *a. in fine* Bannes 2. 2. *quest.* 62. *art.* 6. *dub.* 5. *conclus.* 4.

Et præter rationes adductas *pro cõcl. prec.* quæ à fortiori conuincunt illam modò probatur primò. Nam in casu huius concl. coniux, qui bona fide contraxit, est possessor bonæ fidei. Atqui si possessori bonæ fidei superueniat dubium, & diligenti inquisitione facta, non possit euincere illud durãte dubio, possessor debet permanere in sua possessione, & potest re illa vti, vt voluerit, vt expositum manet supra, & priuilegium hoc possessionis non solùm habet verum in materia iustitiæ sed in matrimonio, & alijs, vt videtur sup. ergo non obstante dubio, qui contraxit bona fide persistere debet in possessione reddendi, & petendi.

Secundò probatur; nam in casu conclusionis dubitans est reus cui imponitur impedimentum matrimonij, sed in dubio, & dum oppositum apertè non conuincitur, standum est pro reo, vt dixi supra. ergo dum impedimentum non constat, durante dubio coniux poterit, vti iure matrimonij petendo debitum. Ex conclusionibus *præcedentibus* apertè elicitur; quòd si post contractũ matrimonium vterq; coniux dubitet de valore matrimonij, ante præmissum debitum examen nemo petere potest, sed post factam debitam inquisitionem vterque potest petere videantur Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *n.* 55. Bonacina *de matrimonio*, *q.* 4. *puncto* 4. *num.* 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 41. & Franciscus de Lugo *de conscientia*, *cap.* 2. *num.* 181. *in fine*.

Contra præfatam conclusionem, coniugem, qui dubitat de valore matrimonij etiamsi cõtraxerit illud bona fide, & ad hibuerit debitam diligentiã, vt è dubio exeat, perseuerante dubio non posse debitum petere, sed solùm reddere, tenent Paludanus *in* 4. *disp.* 36. *quest.* 2. *a.* 3. Syluester *verbo matrimonium* 6. §. 8. *& matrimonium* 8. §. 3. Vasq. 1. 2. *disp.* 66. *c.* 3. §. *Hanc sententiam*, *& c.* 4. *&* 111. pro se vltra *prædictos* citat Sanctum Antoninum 3. *parte*, *titulo* 1. *c.* 9. Angelum *verbo matrimonium* 3. *impedimento* 18. *n.* 4. *& eodẽ verbo* Atmillam *n.* 44 Ioannem de medina *c. de restitut. q.* 17. Nauarrum *in cap. si quis autem*, *de pænit dist.* 17. *n.* 101. *& in summa c.* 27. *n.* 288 Couarruuias 2. *parte de matrimonio*, *c.* 7. §. 2. *n.* 1. Cordubam. *lib.* 3. *q.* 8. & Martinez 1. 2. *quest.* 19. *a.* 6. *dub.* 5. *post conclusionem* 2. ponens tertium exemplum de matrimonio, postquam retulit sententiam Soti à nobis positam *in hac conclusione* addit, *Tutiùs tamen est, & consulendum, quod reddat, & non petat.*

Primum, & precipuum fundamentum sententiæ huius est Auctoritas Pontificum, qui absolutè determinãt in cap. *Dominus* de secundis nuptijs, & in cap. *inquisitioni*, de sententia excommunicationis, quod dubitantes de valore matrimonij reddant, sed non petant debitum cùm ergo Pontifices id decernant de omni dubitante, cõprehendunt etiam dubitantes, qui bona fide contraxerunt, & fecerunt sufficientem diligentiam.

Secundò Vasq. c. 4. *citato* refert rationem Nauarri, & Ioannis medinæ sed videns eas debiles ad intentum, ipse approbat rationem Couarruuiæ quæ non habet maiorem efficaciam, & innititur illo principio. In dubijs tutior pars est eligenda, de quo egimus nos supra. ex quo principio sic sumitur argumentum, in dubio tutior pars est eligenda, sed posito dubio de valore matrimonij,

 tutior

tutior pars est non petere. ergo dubitans non potest eligere petere debitum. Maior loco citato vidimus, colligitur ex iure, & communiter accipitur. Minor videtur perspicua, quia non petens nulli se exponit periculo; petens verò, si quod dubitat est verum, se exponit periculo fornicandi. Quod verò possit reddere; ex eodem principio sic colligit ex duobus malis minus est eligendum; sed reddere petenti est minus malum, quàm negare, ergo debet reddere. Maiorem exdicto Principio probat, quia si tutior pars est eligenda, tutius est ex duobus malis ineuitabilibus, minus eligere, tunc definit esse malum comparatiue ad aliud de quo diximus sup. Minorem probat, quia reddere debitum solum se exponit periculo fornicandi, negare verò debitum se exponit periculo iniustitiæ atque maius peccatū est iniustitię, quàm Luxariæ sed obijcit Vasq; demus, quòd dub: ū cōiugis est, quòd eius primus vir viuit; tūc dādo se exponit periculo fornicādi, & periculo faciendi iniustitiam priori mariro; egro hoc est maius damnum, & sic debebat eligere non reddere. Hac replica præfsus Vasq; Respondet; quod & si in hoc casu exponatur etiam periculo iniustitiæ respectu prioris mariti reddendo, sed quod grauior iniustitia est negare petenti consorti, qui ratione possessionis actualis maius ius habet.

Sed hæc sententia licèt probabilis sit, sed aliquando est dura, atque adeo prior in conclusione exposita, vt magis pia, & probabilis est sequenda. Et ad primum argumentum ex modo factis pro ista, responsum est paulò ante, nempè quod Pontifices loquuntur de dubio ante eius diligens examen, neque enim est eadem ratio de dubio ante examen, & post ipsum, vt ibidiximus. Vel 2. nunc Respondemus quod Pontifices in dictis capitibus loquuntur de dubitantibus qui cōtraxerunt mala fide, quibus subinde non fauet possessio sicut nec fauet in rebus iustitiæ ei, quod cæpit possidere cum dubio, & mala fide, iuxta dicta.

Ad 2. Argumentum dicimus, quòd vt latè vidimus supra, principium illud; in dubijs tutior via est eligenda, cum grano salis, est intelligendū, & si particula illa *tutior*, sumitur comparatiuè ad tutam, non est præceptum, sed consilium: non enim tenemur sequi tutiora, & perfectiora, sufficiet sequi tuta, & perfecta, vt ergo sit præceptū, & regula iuris, debet sumi aduersatiuè, & pro parte tuta, vt distinguitur contra non tutam, & sic perere debitum in casu conclusionis pars tuta, & sequenda est Omitto, quòd ratio illa, vt ipse Vasquez perspexit, nil probat, quando dubium est de vita prioris coniugis, quia tunc reddendo exponit se periculo peccandi contra castitatem, & iustitiam prioris coniugis; negando verò solùm contra iustitiam petentis, & sic ex eo principio nec reddere debet. Respondet Vasquez, quod vir presens est in possessione, & ratione eius fit maior iniustitia: sed hæc solutio nullius momenti est, quia prior vir non minus fuit in possessione talis vxoris, nec ex hoc, quod ablatus fuit, perdidit possessionis ius: sicut nec possessor Palij, ex hoc quòd perdidit illud, definit habere ius possessionis. Et quid quid sit de hoc, peccatum iniustitię, & simul cum peccato Luxuriæ, maius damnū est, quàm solùm peccatū iniustitię negando debitum, & sic iuxta præfatam regulam, vt à Vasquez intelligitur, debebat eligere potius negare, quàm concedere debitum, quod est contra sententiam, & communem, & huic replichę non satisfacit Vasquez, licèt eam preuiderit.

Sed contra præcedentia insurgit dubium. An si alter coniugum contra fas petit debitum, alter teneatur reddere? Casus sit: Nupsit aliqui mala fide, & non facta debita diligentia perseuerat in dubio, id faciente altero coniuge. Iste iuxta dicta non potest peti licèt possit reddere. Seddemus, quòd peccans petit, dubitamus, an alter teneatur reddere. Idem est, si vterque dubitet, & non facta diligentia, vnus petit, an alius possit, vel teneatur concedere.

Prima sententia est, posse reddere, & teneri reddere. Ita Ludouicus Lopez *in prima parte instructorij in editione 2. cap. 297. §. sed si inquiras* Corduba *lib. 3. q. 6. ad 2. Argumentum, & in summa q. 45. punct. 3.* Enriquez *lib. 12. de matrimonio, cap. 6. num. 5. littera* I. vbi pro hac sententia refert Victoriam, & Canum. Bartholomeus Ledesma *dub. 2. de matrimonio, concl. 1.* Petrus Ledesma, *q. 45. de matrimonio, art. 5. §. Ad hoc dubium.* Probatur primò. quia si non redderet debitum in prædicto casu, exponeret se periculo irrogendi iniuriam consorti, qui est in legitima possessione, quæ præualet in dubio, v sæpè dictum est.

Secundò, si propter aliquam rationem non teneretur reddere, maximè, quia illicitè petit contra dubium non purgatum examine, alias teneretur reddere, vt probatum manet conclusionibus præcedentibus, & definitur in capitibus iuris citatis; sed quòd illicitè petat, si alias habet ius petendi, non tollit obligationem reddendi. ergo tenetur reddere. Minor probatur primò, nā si quis iuret, se nō petiturū, debitū in hoc anno, tamē si periurus petat, qui debet, tenetur soluere. Secūdò, nam si quis coniugum emisit votum Castitatis, senon petendi debitum, tamen si petat vxor, tenetur reddere. ergo similiter in nostro casu, eadem enim videtur esse ratio.

Secunda sententia est, in casu proposito negandū est debitum. Sic Syluester *verbo matrimonium, q. 2.* vbi dicit, quòd si alter coniugum fateatur se verè non consensisse in matrimonium, negandum esse ei debitum quamdiu consors credit, vel dubitat ipsum, verum dicere. Idem tenet Angelus *verba matrimonium 2. §. 14.* Nauarrus *cap. 22. num. 85.* (sed addit hunc non debere credere, idem habet Soto *in 4. dist. 27 q. 1. art. 3.* Richardus *ibi, art. 1. q. 4.* Astensis *lib. 8. tit. 31.* Vasquez *1. 2. disp. 66. cap. 6. num. 31. & 32.* & multi alij.

Probatur primò. In casu proposito, qui petit, non habet ius petendi; ergo neque alter coniux obligationem reddendi. Consequentia est bona, quia tota obligatio vnius coniugis ad reddendum oritur ex iure, quod alter habet ad petendū: cessante ergo hoc iure; cessat obligatio reddendi. Antecedens verò probatur, quia coniux petens in casu præsenti habet ius impeditum, seù dubium, ex quo iniustè petit. Secundò probatur. In casu, de quo disputamus, ideò vnus coniux non obstante dubio matrimonij, & fornicationis, tenetur reddere, ne alteri irroget iniuriam; negando, quod iustè petit: ergo illicitè se exponet periculo fornicandi supposito dubio.

Ex hac sententia apertè sequitur, quod si vterque coniux dubitat, & vnus contra fas petit debitum, alter non solùm non tenetur reddere, vt sententia habet, sed neque licitè potest reddere, quia cum à

cum à dubio non discusso impediatur, non excusatur ex metu faciendi iniuriam alteri, quæ non fit, cum iniustè petat. Secundò sequitur, quod si vnus solus esset dubius, & hic peteret, alter non obligaretur ad reddendum propter rationem dictam; sed si vellet, posset reddere, quia potest petere: ergo & reddere. Videatur Sanchez *lib. 2. de matrimonio, disp. 41. quæst. 5.*

Tertia Conclusio. Ex his relatis sententijs, quęlibet est probabilis, & vt talis licitè potest in praxi sequi, quę conclusio probatur auctoritate illorum, qui pro ipsis citati sunt, & rationibus factis; confirmaturque ex solutione earundem rationum in fauorem contrarię.

Ad primam rationem pro prima opinione facta: nego quod in eo casu coniux negans debitum se exponat periculo irrogandi iniustitiam petenti, eo quòd impeditus dubio iniustè petit.

Ad secūdam nego minorem. Ad vtramquę probationem Resp. quòd in vtroq; casu ex iustitia reddi debitum, non verò in nostra. Et ratio discriminis est, quod Dominus debiti per hoc quòd iuret, non repeniturum se illud in tali, vel tali tempore, non amittit ius ad debitum, sed se impedit voto, vel iuramento, atque adeò dum petit, frangit quidem votum, vel iuramentum quod ad debitorem non spectat, sed quod suum est, petit, & ideò debitor tenetur reddere, siue pecunia sit, siue debitum coniugale. Sed in nostro casu dubium de valore matrimonij, ipsum ius petendi impedit, & ideò non petit iure, & ideò non debet reddi. Itaque impedimenta prioris generis non opponuntur iuri, & possessioni, sed actui. Sed dubium de veritate matrimonij opponitur iuri, & possessioni.

Ad primam rationem pro 2. opinione inductā in fauorem primę; nego antecedens. Ad probationem dico quòd dubium non tollit Dominium, & ius, sed solùm impedit quousque purgetur, & ideò licèt male faciat petens debitum, sed alter coniux tenetur reddere, ne se exponat periculo irrogandi iniuriam. Et ad secundam, eadem ratione nego minorem. Si autem instes interrogando, quæ ex prædictis sententijs mihi probabilior appareat? Sub distinctione Respondeo, quod si petens debitum impeditus, propter dubium de valore matrimonij nondum discussum, nupsit mala fide, quia nupsit cum tali dubio, non debet reddi iuxta 2. sententiam, quia possessio non suffragatur illi, cum sit possessor malę fidei: sicut neque in alijs rebus possessio in dubio non suffragatur possessori malę fidei. Si autem bona fide nupsit, & postea dubium non discussum impedit petitionem; si tamen peccat, alter coniux tenetur reddere, quia dubium non tollit, vel interrumpsit possessionem bone fidei, sed solùm obligat ad inquisitionem, & dum non fit, impedit vsum; & alienationem rei; atque adeò cum maneat in possessione, iniuria irrogatur illi, si negetur debitum. Sed ad maiorem prædictorum lucem est aliud dubium, an cōiux dubitans de valore Matrimonij; teneatur suū debitum exponere, vt aliter licitè dubium non petat, & ipse excusat reddere? Ad hoc Respondet Sayrus *lib. 1. c. 13. num. 31. & 35.* teneri, si periculum non immineat, & spes sit fore, vt aliter ex hoc à debiti petione abstineat. Sed puto ad id nō teneri, immò neque conueniens esse regulariter loquendo, suum dubium alteri declarare. Primò, quia alter sine grauissimis indicijs nō tenetur credere, nec dubitare. Secundò, quia est alterum in graues inducere angustias propter suum dubium. Tertiò, quia sic vtroque impedito à petitione, & redditione, periclitatur vtriusque continentia, & tepescerent amor mutuus, & obsequia. Videatur Salas *1. 2. tract. 8. num. 199.*

DVBIVM XXV.

Quid debeat facere dubitans de voto, & Iuramento, & Promissione.

QVantum ad præsens dubium attinet, eadem prorsus ratio videtur esse de promissione facta Deo, quæ dicitur votum, & de promissione homini facta, quæ simpliciter dicitur promissio, & de iuramento promissorio, siue Deo fiat promissio, siue homini, de quo solùm ad pręsens dubium agere pertinet, non de asertorio, & ideò de omnibus his promiscuè dicemus. Circa dubium autem voti, Iuramenti, & promissionis; quinque se offerunt difficultates enodandæ. Prima, quid facere teneatur dubium de voto, iuramento, vel promissione; secunda, quid facere debeas quando certus es de voto, iuramento, vel promissione, & animo te obligandi, sed dubitas de libertate, seù deliberatione. Tertia, quādo solùm dubitas de quātitate, vel qualitate voti. Quarta, quando solū dubitas de quantitate, vel qualitate voti. Quinta quādo dubitas, an materia voti, iuramēti, vel promissionis sit iusta, vel licita, & sic, an debeas adimplere? ex professo autem nō disputo de dubitāte, an votum, iuramentum, vel promissio sit facta sine animo adimplendi illa, quia etiamsi sit certa notitia, quod huiusmodi perfeceris cum intentione non adimplendi, dummodo intenderis te illis obligare, staret obligatio, & teneris adimplere secundùm communē sententiam, atque adeò quòd defuerit animum adimplendi, siue constet, siue sit sub dubio, non tollit obligationem. De prædictis verò quinque difficultatibus dicemus in sequentibus Conclusionibus.

Petes 1. ***An dubitans de voto, iuramento, vel promissione teneatur illud adimplere.***

Casus est frequens. Dubitat aliquis; an votum emiserit in tali, vel tali occasione: an aliquid absolutè promiserit, vel à dicto iuramento, quo promissionem, siuè Deo, siuè hominibus factam, roborauit. Quærimus ergo, an sic dubitans, supposito, quòd debitam diligentiam adhibuit, vt dubium enodauit, manet tamen semper cum eodem dubio, teneatur adimplere votum iuramentum, vel simplicem sponsionem etiam acceptatam.

In hac re est multorum sententia, in prædicto dubio, etiam diligentia facta, & dubio permanēte, teneri ad adimplendum votum iuramentum, & promissionem. Ita Angelus *verbo votum 3. nu. 12.* Nauarrus *consilio 16. de voto nu. 2.* Corduba *in summa, q. 114.* Azor *tomo 1. lib. 2. cap. 19. q. 10.* Sayrus *in claui regia, lib. 1. cap. 19. num. 36.* Vasquez *prima 2. disp. 65. c. 3. nu. 13.* Montesinos *1. 2. disput. 29. quæst. 3. num. 111.* Perez *certamine 10. scholastico dub. 2. nu. 133.* Basilius Pontius *de matrimonio, lib. 10. cap. 15. num. 3.* Corneio *tract. 8. disp. 4. dub. 2. num. 2. & dub. 3. num. 6.* Pesantius *1. 2. qu. 19. disp. 3.* Hurtado *de conscientia disput. 4. difficul. 8.* & Salas *1. 2. tract. 8. num. 192. 235. & 253.* cum hac limitatione, quod obligat quando, adimpletio non adfert magnam difficultatem, vel incommoditatem.

Primum Argumentum pro hac sententia est.

in

In dubijs tutior pars est eligenda, maximè si non est in materia iustitiæ. Sed in dubijs, de quibus disputamus tutior pars est adimplere, quia non subest alicui periculo, ergo debet adimpleri. Maior pro prima parte est regula ex iure deducto, de qua egimus suprà. Et quod extra materiam Iustitiæ semper obliget, probant ex hoc, quòd possessio solùm iuuat in materia iustitiæ, vt ratione eius etiam posit eligi pars minus tuta, non verò in alijs materijs, quales sunt de quibus disputamus, & de quo egimus sup.

Secundum Argumentum. In dubio facti, in foro saltem conscientiæ semper debemus eligere partem tutiorem. Sed dubium, an voueris, an iuraueris an promiseris, est dubium facti vt per se patet. Ergo teneris in his dubijs. & Antecedens est multorum Iuristarum in cap. *ad audientiam* de homicidio. Super quod Abbas *num.* 2. Fellinus *num.* 17. & ratione conuincitur, quia in dubio Homicidij censeri debet quis irregularis, vt in iure deciditur.

Conclusio. Qui dubitat an vouerit, an iurauerit, an promiserit, si facta competenti diligentia manet cum eodem dubio, non tenetur votum, iuramentum, vel promissionem implere. Similem conclusionem habemus supra, ità tenent Soto *lib. 7. de iustitia, q. 3. a. 2.* Medina *in summa, c. 14. nu. 7.* Ludouicus Lopez *in instructorio, p. 1. c. 45. nu.* 343. Suarez *lib. 8. c. 45. num. 3* L. P. *in Glossa, & lib. 11. c. 12. num.* 5. Grafijs *lib. 2. decisionum, c. 31. in fine* Thomas Sanchez *lib. 1. de matrimonio; disp. 9 lib. 11. & lib. 4. summæ c. 1. nu. 16. num.* 176. Auila *de censuris, p. 7. disp. 6. dub. 5. concl. 2.* Granados 1. 2. *disp. 6. num.* 5. Fillicius *tom. 2. tract. 21. c. 5. num.* 165. Bonacina *tom. 2. disp. 1. de restitutione, q. 2. dub. incidente ad finem, puncto 2. nu.* 4. Layman *lib. 1. tract. 1. c. 8. §. 4. num.* 31. Tannerus *tomo 2. disp. 2. q. 8. dub. 4. num.* 47. Sà *verbo dubium, num. 2. & verbo votum, num.* 2. Manuel *tom. 2. c. 99. num.* 5. Ioannes Sanchez *disp. 83. num. 1.* Villalobos *tom. 1. tract. 1. difficult. 21. num.* 2. Rebello *parte 1. lib. 1. q. 3. sect. 2.* Aluarez 1. 2. *disp. 79. nu.* 5. Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q. 18. disp. 12. art. 4. §. Colligitur, & §. Cæterum* Corneio *tract. 8. disp. 4. dub. 2. §. Tertiò colligitur*, Palao de Conscientia *disp. 3 puncto 9. num. 2.* Ouiedo *tract. 5. controu. 4. num.* 61. Diana *parte 3. tract. 6. resolutione* 50.

Probatur primò. In pari causa melior est conditio possidentis; sed in casu, de quo disputamus, homo est in possessione suæ libertatis. ergo durante dubio non tenetur. Maior potest ex regulis in Superioribus adductis. & non solùm habet verum in materia iustitiæ, sed etiam in omnibus alijs, vt vidimus: Minor verò probatur, quia obligatio, quæ potest hominem à possessione suæ libertatis detrahere per votum, iuramentum, & promissionem, est dubia: ergo supponitur dubio homo possidens suam libertatem.

Secundò Votum. Iuramentum, & promissio se habent ad ligandum hominem, vt quædam priuatæ leges, ad quas ipse se obligat. Sed in dubio legis non teneretur homo ad eius obseruantiam vt vidimus supra. ergo neque in prædictis. Confirmatur; nam quoties agitur de obligatione contrahenda; debet adhiberi stricta interpretatio; Sed nunc agimus de obligatione Voti, Iuramenti, & promissionis dubiæ: ergo debemus hanc obligationem; quantum possumus, restringere. Maior probatur primò, quia odia sunt restringenda. Secundò, quia *in l. quicquid astringenda, ff. de verborum obligationibus; & c. 1. de iure iurando in 6. definitur.*

3. In dubijs iudicandum est in fauorem Voti, & iuramenti. Cedit autem in fauorem iuramenti, & præcipuè Voti, quòd qui dubitat, an illa emiserit, non manet obligatus. Ergo in dubio Voti, & Iuramenti, homo non manet obligatus. Maior videtur concedenda; quia in dubio fauendum est parti piæ, vt supra vidimus. Votum autem, & iuramentum sunt res piæ. Minor verò probatur, quia ad votum, & iuramentum requiritur deliberatio in efficiendo: perseuerantia, & constantia in adimplendo, quæ dubia sunt in eo, quia de voto, & iuramento dubitat.

4. *Cùm sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori.* itaut dum actor nō probat contra reum, sed manet dubium, iudicandum sit in fauorem rei contra actorem: sed in casu, de quo disputamus, homo est reus, & votū, & iuramentum, vel promissio est actum intendens eum ligare ad obseruantiam. ergo dum partium iura sunt obscura, in quantum sub dubio est, an homo se obligauit, & an Votum, Iuramentum, aut, promissio extiterint. ergo eo dubio permanente, iudicandum est in fauorem libertatis, & hominis, qui est reus. Maior est manifesta ex regulis supra citatis. Cætera patent.

Quintò. Iniquum est, quod aliquis teneatur ad certam solutionem propter debitum incertū, sed si homo dubium de voto, iuramento, & promissione teneretur ea obseruare, teneretur ad certam solutionem propter incertum debitum, vt ex se patet. Ergo non tenetur, dum manet dubium. Maior ex eo probatur, quòd si quis est certum de debito, & dubium de solutione, tenetur soluere, vt constitutum manet supra. ergo à contrario, si quis est dubius de debito, non debet certò soluere, quia sicut dubium certum non satisfacit dubia solutione, ita neque rationi est consonum, quòd debito incerto debeat dari solutio certa.

Confirmatur. Nam iniquum videtur, cogi promittentem ad certam solutionem, quin probetur promisisse. & ideò in foro externo nemo soluere cogitur, antequam monstretur esse debitor. & ideò nemo tenetur stare promissis, dum de promissione non constat. ergo idem debet circa dicta in foro interno seruari. Patet consequentia, quia vbi forum exterius non fundatur in falsa præsumptione, seruandum est in interiori, vt probamus supra. Sextò probatur. factum in dubio non præsumitur; sed debet probari; sed an voueris, an iuraueris, an promiseris, pertinent ad factum, an scilicet feceris votum, iuramentū, vel promissionem. ergo non debent præsumi factæ in dubio, quousque constent.

Prædicta conclusio verum habet, etiam si dubitans, an vouerit, iurauerit, vel promiserit, inclinet magis ad hoc, quòd prædicta effecerit, dūmodo actus maneat in ratione puri negatiui dubij, & dum non transit ad opinionem, vel maiorem certitudinem de effectione eorum. Sic Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 10. num. 36.* vbi retractat sententiam traditam *lib. 2. de matrimonio disp. 41 num. 38.* quod scilicèt, si magis propendat fuisse votum emissum, tenetur diuidere pro qualitate dubij. Bonacina *de peccatis, disp. 2. q. 4. puncto 7. num. 18. & de restitut. disp. 1. q. 2.*

1.q.2.*puncto* 2. *num.* 6. Palao *de conscientia*, *disp.*3.*puncto* 9.*num.*2. & hoc esse probabile tenent Garcia *de beneficijs tomo* 2. *parte* 3. *cap.* 2. *num.* 23. Moure *parte prima*,*cap.*2.*§.* 2. *num.* 4. Layman *lib.* 1.*tract.*1.*cap.*5.*nu.*31.& Diana *parte* 2.*tract* 1.*miscellaneo*,*resolut.*9 & *parte* 2 *tract.* 6. *resolutione* 50.

Contra conclusionem, quòd si dubium est inæquale, magis, que propendas in eam partem, vt emiseris votum, iuramentum, vel promissionem, tenetire voto sub mortali dicit Rebellus *parte* 2. *lib.*1.*q.*2. *sect.*2.*n.* 10. & quod mirum est, addit hoc à nullo negari. & hanc sententiam esse probabilem tenent Fillucius *tract.* 21. *num.*195.Sanchez verò *lib.*2.*de matrimonio disp.* 42.*nu.*3. existimauit; quòd si magis propendat fuisse emissũ votum, tenetur diuidere pro qualitate dubij, sed hanc sententiam retractauit, vt vidimus.

Fundamenta horum sunt. Nam possessio iuuat in pari causa, vt patet ex aliquibus regulis superius assignatis, atqui par non est causa, quando dubium magis inclinat in alteram partem. secundum, quia dato, quòd possessio sit pro homine, vel sit fauendus vt reus: tamen maior propensio in contrariam partem sufficienter compẽsat excessum possessionis alterius partis, vel fauorem elargiendum reo, vt ponit causa, & debeat diuidi. Dicendum tamen est, quòd si quis ita propendat in eam partem, quòd emiserit votum, iuramentum, & promissionem, vt efformet assensum opinatiuum, nec partis negatiuæ habeat assensum etiam opinatiuum, sed solùm formidinem, & dubium: in hoc casu tenetur adimplere, quia iam non est casus dubij, sed pro altera parte est opinio, atque adeò alia pars vincit dubium, & sufficienter compenlat excessum possessionis, quam habet libertas. sic Suarez *lib.* 4. *de voto*, *c.* 5. *n.* 5. Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio*, *disp.* 41. *n.* 34. Bonacina *de restitut. disp.* 1.*q.*2.*puncto* 2.§.1.*n.*4.Ioannes Sanchez *disp.*43. *nu.* 2. Palao *tract.* 1. *disp.* 3.*puncto* 9.*nu.* 2. sed si dubium persistit in ratione puri dubij negatiui, assensus ad vnam partem, licèt in ratione dubij magis inclinet in partem voti, iuramenti, & promissionis, tenendum est cum conclusione, quòd liberes ab obligatione eorum.

Ad primum fundamentum ex modo allatis pro contraria sententia, dico, quòd cum dubium manet in ratione dubij est par causa, quia paululum inclinare potius in vnam, quam in aliam causam, est excessus euidentalis, & qui pro nihilo in moralibus reputatur. ex quo ad secundum dicimus, quod illa parua inclinatio, cùm pro nihilo reputetur, non potest comparari cum possessione.

Deinde limitant conclusionem; itaut in dubio voti iuramenti, & promissionis si res sit facilis, & quę sine detrimento perfici potest, adimpleantur; non quando res est grauis, & molesta, & momẽti. Soto *lib.* 7. *de iustitia q.* 3. *a.* 2. Suarez 3. *parte*, *tomo* 4. *disp.* 40. *sect.* 5. Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio*, *disp* 9. *dub.* 3. *n.* 11. *& lib.* 2 *disp.*41. *q.* 3. Aluarez 1. 2 *disp.* 79. *n.*5. Corneio *tract.*8. *disp.*4 §. *Tertiò colligitur* & Glossa *c. ex parte*, *de censibus* sed puto cum Aluarez loco citato, hoc ad rectum consilium, non ad præceptum pertinere, vt Perfectiorem partem sequamur. Nam, vel huiusmodi obligãt,& sic etiam in materia graui, & pęnosa, vel non obligant, & sic nec in materia leui.

Ex conclusione hucusque explicata plura deciduntur. Primum in dubio non præsumi actum alicuius, vel legati, donationis, interuenisse, quia factum non præsumitur, nisi probetur, & quia præualet libertas voluntatis. sic Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 22. Franciscus de Lugo *de conscientia*, *cap.* 2. *n.* 130. Secundum. Si quis post adhibitam diligentiam dubitet, an promiserit matrimonium, non tenetur promissionem sic dubiã implere, nam possessio stat pro libertate; sic Sãchez *de matrimonio lib.* 1. *disp.* 9. *nu.* 10. Bonac, *de rest. disp.* 1. *q.* 2. *§.* 1. *n.* 4. Tertium, si volenti nubere objiciatur impedimentum ex voto castitatis vel simile causa, dum non probatur, sed res manet sub dubio, non debet impediri matrimonium, quia possidet, & est reus, & actori probare spectat. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 9. *n.* 2, Franciscus de lugo supra.

Ex dictis constat, nos non admittere sententiam in principio relatam. Ad primum Argumẽtum pro ea ad mittimus regulam Iuris; *In dubijs tutiorem partem esse eligendam*, & dicimus illam habere geminum sensum; Primus est, quod relicta parte tuta, debeamus sequi tutiorem, & sic non continet præceptum, sed consilium. Vnde sententia illa huic regulæ innixa, vt consilium maioris perfectionis admitti debet non vt doctrina obligatoria. Secundus sensus est, quod debeat sequi tutior pars aduersatiuè, idest relicta non tuta, & sic continet præceptum; sed iuxta nostram conclusionem tuta pars est, non teneri voto, vel iuramento, vel promissione in dubio, & sic sequenda. Vide, quæ diximus, exponendo regulam loco citato in argumento. Deindè meliorem esse conditionem possidentis, non solùm in materia iustitię, sed in qualibet alia voti, iuramẽti, promissionis, ostendimus supra, atque adeò per illam regulam possessionis limitari, & exponi hanc de tutiore parte eligenda.

Ad secundum dico, quod, vt vidimus supra. In dubio facti post debitam diligentiam, semper debemus sequi tutiorem partem, excepto quando ius persistit in contrarium. In casu verò de quo disputamus, Ius, & possessio libertatis præualet, & hęc est pars sufficienter tuta, vt non teneamur tutiores sequi, quia regula possessionis limitat illam de tutiori parte eligenda, vt tunc pars possidens sit tuta, seu tutior. Vide *ibi*. Ad Casus de irregularitate dicemus in speciali dubio.

Peres 2. *Quid facere tenearis, quando certus es de voto, iuramento, vel promissione; sed dubitas de Animo, seù intentione obligandi te?*

Dubium hoc de animo, seù voluntate obligãdi te ad impletionem voti, iuramenti, vel promissionis, ex duplici capite potest oriri. Primum ex eo, quód verba prolata ambiguum habent sensum, & possunt intelligi in sensu promissorio, vel in alio sensu: & aliquando denotant promissionem veram, aliquando solùm propositum, aliquando denotant iuramentum, aliquando simplicem assertionem; vt si dicas: Per fidem meam hoc faciam. Iuxta meam conscientiam præstabo hoc, vel illud. Secundò oriri potest dubium præsens ex voluntate, & intentione, an scilicet posito, quód verba nõ habeant dubiam significationem, sed certã, & indubitatam, an habueris intentionem vouendi, iurandi, & promittendi, vel potius simulandi te vouere, iurare, & promittere: vel dubitas an sciueris, vel aduerteris votum, iuramentum, & promissionem habere vim obligandi.

Prima Conclusio. Si certus de voto, iuramento,

to, vel promissione, dubium ex defectu intentionis, seu voluntatis te obligandi ortum habeat ex ambiguitate verborum, quibus id protulisti, non teneris voto, iuramento, vel promissione. Vt si dixisti: per conscientiam meam ieiunabo: Per fidem meam dabo librum; & dubitans, an in primo dicto solùm expræsseris intentionem iuxta scientiam tuam, an promissionem voti Deo. & in secundo, an volueris dicere, quod iuxta fidem, quā de te habent, sperare possunt, quod dicis: an quòd obstringit fides Catholica, quam habes, an fides hominis nobilis, Christiani, seu iusti, quòd promissum adimplebis. Et primo modo est tantùm assertio; secundo verò modo est iuramentum; & tertio modo est promissio. Casus ergo Conclusionis est, quod dubitas in quo sensu dixeris, certus es. Conclusionem sic explicatam tenent Suarez *tomo 2. de religione, lib. 2. de iuramento, c. 33 num 3. & lib. 4. de voto, c. 6. nu. 2.* Palao *tract. 1. disp. 3. puncto* 10. *nu.* 2. & Franciscus de Lugo *de conscientia, c. 2. num.* 138.

Probatur primò. Nam cùm eadem videatur esse ratio de his, loquendo autem de iuramento, videtur decisus hic casus, *cap. Clericus, de iureiurando*. Cuius casus est: Clericus iurauit seruare statuta suæ Ecclesiæ: posteà statutum nouum conditum fuit; promisitque per idem iuramentū factum, se seruaturum nouum statutum, & dubitatur; an ex iuramento teneatur seruare hoc nouum statutum, & Respondet ibi Pontifex, quòd licèt transgredi non debeat obseruantiam noui statuti, eo quòd id promisit: sed iuramento non teneri, significans, quod per illa verba ambigua non iurauit, licèt retulisset præteritum iuramentum. Probatur secundò. Nam tunc dubium, an sit votum, vel iuramentum, vel promissio; sed in tali dubio non teneris, vt vidimus in dictis Conclus. præteriti dub. anteced. ergo neque in hoc dubio; Vndè omnes rationes inductæ pro illa, hanc probant.

Secunda Conclusio. Quando verba prolata non sunt dubiæ significationis, sed apertè significant, votum, iuramentum, vel promissionem, & solùm dubitas, an habueris intentionem vouendi, iurandi, & promittendi, seu potiùs simulandi te promittere, vel etiam dubitas, an tunc scieris votum, iuramentum, vel promissionem obligare? In vtroque casu censendus es obligatus, voto, iuramento, vel promissioni. Sic Corduba *in summa, q.* 147. Suarez *de relig. tom. 2. lib. 1. de iuram. c. 33. nu.* 4. Nauarrus *lib. 3. consil tit. 34. de voto consil. 4. in fine*. Syluester *verbo iuramentum* 4. *q.* 1. Thomas Sanchez *de matrimonio, disput.* 9. *num.* 13. Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 10. nu.* 4. Franciscus de Lugo *de conscientia, cap. 2. n.* 138. Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 19. *disp.* 12. *a.* 4. §. *dico ergo*, & Ouiedo *tract. 5. controuers.* 4. *num* 67.

Probatur primò. Verba signa sunt intentionis, dum contrarium non probatur, ergo dum non probas contrarium, præsumendum est ex verbis te habuisse intentionem, atque adeò obligatum esse. Consequentia videtur bona, quia possessio, & ex consequenti arbitrium, & fauor in dubijs stat pro præsumptione iuris iuxta dicta. Antecedens verò probatur. Nemò enim dicere præsumitur, quod non sentit *l. Labeo. ff. de suppelect. legat.* vbi Celsus auctoritate Tuberaris dixit: Nomina esse, vt demonstrent voluntatem dicentis, & quemque non dicere, quod non sentit; Et idem habet Baldus *in cap. mandatum, de præscriptionibus, in principio, & in verb. de testibus, & in l. Voluntas C. de fideicommiss.* Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 35. & lib. 3. præsumpt. 1. à nu.* 37. Tiraquellus, *l. si vnquam, verbo litteris nu. 17. & sequentibus*.

Probatur 2. supposito, vel probato facto præsumantur adfuisse omnia requisita ad illud. Ergo cum in casu, de quo disputamus, ex verbis supponatur votum, iuramentum, vel promissio, præsumi debet voluntas requisita ad eius valorē. Consequentia est bona; & Antecedens prob. à Panormitano *in cap. 1., de his, quæ vi, nu. 9. ex cap. in præsentia de probationibus*. Vbi probata professione præsumitur, professum habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit onus probandi.

Probatur 3. Delictum non præsumitur in dubio, donec probetur; sed quod quis voueat, iuret, vel promittat absque animo adimplendi, est delictum, ad minus veniale; ergo defuisse animū, & voluntates vouent, iuranti, & promittenti, nō præsumitur in dubio, donec probetur; Minor est certa, & consequentia bona; Maior verò ostenditur ex *cap. absit* 11. *q.* 3. vbi dicitur, *Absit, vt quidquam sinistrum de his arbitremur, qui Apostolico gradu succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt*. Et id tradunt Doctores in *l. meritò, ff. pro socio*. Vbi Vlpianus, & confirmant Menochius, *cons. 99. num. 12. cons. 82. num. 105. cons. 101. nu.* 54. Alciatus, *in tract. de præsumptionibus regul. 3. præsumpt. 1. nu.* 1. & Mascardus *de probatio, verbo delict. conclus. 496. num.* 1.

Probatur 4. Nam in casu, de quo disputamus, possessio stat pro voto, & ex consequenti votum, (idem est de iuramento, & promissione,) est reus. Ergo in dubio vincit pars voti. Consequentia est bona, nam vt sæpè diximus, in dubio vincit possidens, & arbitrandus est pro reo, & Antecedens probatur: Nam in his, quæ sequuntur per se ad rationem voti, & sunt propria illius, possessio stat pro voto, sicut in his, quæ accidunt voto, possessio stat pro vouente, quia illa posito voto, ex natura rei sequuntur illud, atque adeò præsumptio est, quòd posita sunt cum illo, sicut illa, quę adduntur extra rationem voti, vt quod sint maioris, vel minoris quantitatis, vt si promisit decem mensuras olei, vel tritici, & dubitet, an sint maioris, vel minoris mensuræ, possessio stat pro vouente, quia hęc ex libera voluntate adduntur voto, & solùm tenetur dare minorem mensuram, vt videbimus. Sed quòd voto sit annexa voluntas adimplendi illud, est quid voto annexū, & ex natura eius requisitum. Ergo ei pro, quod supponitur votum, pro illo stat præsumptio, quod habuit intentionem se obligandi. Videatur circa hanc rationem Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 18. *disput.* 12. *a.* 4. §. *Dico ergo*.

Limitant doctrinam præcedentis concl. Panormitanus in cap. *si vero* de iureiurando, in fine. Angelus verbo *iuramentum* 5. n. 10. Syluest. verbo iuramentum 4. *q.* 7. *dicto* 4. vt non intelligatur de iuramento metu exorto. Nam putant istud in dubio non præsumi cum intentione iurandi prolatum cùm enim iurans causam habeat intentionis simulandi propter violentiam sibi factam, potest præsumi talem fictionem ad fuisse sed standum est conclusioni: nec admittenda est hæc limitatio. Et ratio est, quod iurans non potest intentionem simulare sine peccato, peccatum autem

autem non est presumendum, dum non probatur, præcipue cum potuit obuiare violentiæ vtendo restrictione mentali, vel vtendo amphibologia, & ita nobiscum censent ex Iurisperitis Felinus *cap. si verò de iureiurando, in fine*. Alexander 162. *n.* 42. Imola *in cap. ad audientiam, de his, quæ vi, n.* 4. Couarruuias 4. *Decretalium* 2. *parte c.* 3. §. 3. *n.* 3. *in fine* Gutierrez *de iuramento, prima parte*. 57. *num.* 20. & ex Theologis Suarez *lib.* 2. *de Iureiurando c.* 33. *n.* 6. Thomas Sanchez *lib.* 1. *sponsalium, disp.* 9. *n.* 13. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 10. *num.* 5.

Sed aduertunt Suarez, & Palao, quod in prædicto casu metus, si dubius es an cum ambiguitate verborum, vel restrictione momenti iuramentum, vel promissionem emiseris, te non manere obligatum, quia tunc dubium est de iuramento, vel promissione, & siquidem iurans scindat illos modos euacuandi vim iuramenti, vel promissionis, credibile est oppressum metu illis vsum fuisse, cùm hoc non interueniat delictum.

Aduertendum circa eandem Conclusionem, quòd si quis est certus de voto castitatis, dubitat tamen, an habuerit animum se obligandi, tenetur quidem iuxtà conclusionem, seruare tale votum castitatis: sed hoc non erit Pontifici reseruatum, quia cùm reseruatio sit odiosa, restringi debet ad casus certos. Sic Suarez *lib.* 6. *de voto c.* 26. *nu.* 6. Thom. Sanchez *lib.* 4. *Decalogi; c.* 40. *nu.* 26. *& cap.* 44. *num.* 3. & Diana *parte* 3. *titulo* 6. *resolut.* 50.

Petes 3. *Quid tenearis facere, cùm certus es de voto, iuramento, vel promissione, & de voluntate obligandi te: sed dubius de libertate, seù deliberatione?*

Contingere potest, quod aliquis sit certus de voto, iuramento, vel promissione, & dubitet, an huiusmodi effecerit cum libertate, quæ necessaria est ad eorum valorem. Defectus autem talis libertatis oriri potest ex tribus capitibus. *Primò*, ex minori ætate: licèt enim ante septennium possit aliquis esse doli capax, vt intelligatur ex *cap. Iuuenis, de sponsalibus*. Sed quoniam antè septennium raró contingit vsus rationis, ideò regulariter nec votum, nec iuramentum, nec promissum, & similia, quæ fiunt ante illam ætatem, valida reputantur, in dubio quæ reputantur inualida, quia subest præsumptio non leuis, defecisse rationis casum. E contra verò septennio transacto, vota, iuramenta, promissiones, & similia valida reputantur, quia ius præsumit vsum rationis, nisi contrarium probetur, de qua re videantur. S. Th. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 2. Syluester *verbo Baptismus* 4. *quæst.* 8. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 6. *nu.* 6. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, disput.* 9. *num.* 12. *&* 14. *lib* 4. *Decalogi, cap.* 1. *num.* 14. Ouiedo *tract.* 6. *controu.* 4. *num.* 69. Secundò prouenire potest defectus deliberationis ex somno, ebrietate, vel phrenesi, seù quacunq; amentia: & sic dubitari potest; an votum iuramentum, vel promissio sint facta tempore somni, ebrietatis, vel cuiuscunque amentiæ, & sic sine debita libertate. Tertiò prouenire potest defectus libertatis, seù deliberationis ex subita passione timoris, iræ, vel alterius alterationis, de qua dubitatur, an peruerterit vsum rationis in vouendo, iurando, vel promittendo, & de his dicemus suo ordine.

Prima Conclusio. Votum iuramentum, & promissio facta ante septennium, regulariter valida non reputantur defectu deliberationis, seù libertatis. Sed facta post septennium ex illo capite regulariter reputantur valida dixi *regulariter*, quia cum iudicare ante septennium non adesse vsum rationis, & adesse post septennium, sit præsumptio iuris, aliquando falli potest, & tum contrarium erit dicendum, nempè quod in casu, quòd ante septennium sit vsus rationis; prædicta valent, & in casu quod post septennium non adest vsus rationis, non valent: sed quod sit vsus rationis ante septennium, & non sit posteà, cùm sit contra quod regulariter contingit, & contra præsumptionem iuris, probandum est, aliàs in dubio præsumitur iuxta conclusionem.

Prædicta conclusio ex doctrina immediate ante eam posita explicatur, & probatur, quos communiter Theologi, & Iurisprudentes. Videātur Suarez *tomo* 2 *de relig. lib.* 3. *c.* 6. *à nu.* 9. Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, disp.* 9. *num.* 12. *&* 14. *& lib.* 8. *summa cap.* 4. *num.* 14. Palao *tract. primo, disp.* 3. *puncto* 11. *num.* 2. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 34. *difficult.* 9. *nu.* 3. Ouiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *num.* 69.

Secunda conclusio. Si dubium fuerit, an tempore voti, iuramenti, vel promissionis expleueris septennium; vt inde colligas habuisse, vel non habuisse libertatem, diligentia adhibita, & durante dub., iudicandum est, te non expleuisse septennium, atque adeò te non teneri tali voto, iuramento, vel promissione. Conclusionem hanc tenent Soto *lib.* 7. *de iustitia, q.* 3. *a.* 2. *documento* 2. *§. sed est hic*, Vega *lib. d. summa casu* 417. Capua *lib.* 2. *decisionum cap.* 31. *in fine*. Beia *casu* 49. Malderus 2. 2. *tract.* 10. *c.* 5. *dub.* 1. Diana 3. *parte, tract.* 6. *resolut.* 50. *§. Notandum est*, & probabilem censent Palao *tomo* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 11. *num.* 4.

Probatur primò. Cùm dubitatur, an sit emissū votum, iuramentum, vel promissio, non obligat votum iuramentum, & promissio. Sed dubitando; an hæc fuerint facta ante septennium, dubitatur de substantia eorum; ergo non obligant. Maior constituta, & probata est supra, & loquendo de dub. legis idem ostendimus ibi. Minor verò probatur; quia dubitare, an prædicta facta fuerint ante septennium, & vsum rationis, est dubitare de substantia eorum, cum sine libertate nullius sint ponderis, hoc est, nec verè est votum, nec iuramentum, nec promissio.

Secundò prob. votum, iuramentum, & promissio, in casu dubij semper debent in fauorem elicientis interpretari: ergo in dubio, de quo disputamus, debemus liberum iudicare vouentem, iurantem, & promittentem. Consequ. est bona, & Antecedens probatur *ex l. quicquid astringen de, ff. de verborū obligationibus, & ex cap. ex parte, de censibus*, vbi id habēt Panormitanus, & Glossa.

Contra præcedentem conclusionem, dubitantē, an vouerit, iurauerit, promiserit ante septennium, & sic ante vsum rationis, teneri voto, iuramento, & promissione defendit Thomas Sanchez *lib.* 4. *Decalogi de voto cap.* 1. *nu.* 14. cuius placitum probabile censent Palao *tomo* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 11. *num.* 4. & Franciscus de Lugo *de conscientia, cap.* 2. *num.* 141. Arguitur primò pro hac sententia. Præsumptio ex communiter contingentibus debet sumi; sed communiter vota, iuramēta, & promissiones fiunt post septennium, non ante. Ergo cùm de his dubitatur quando sunt facta, præsumēdū est esse facta post septeniū.

Hæc sententia parui momenti est; Vnde Resp. ad Argumentum, dicendo primò, quod contra præsumptionem possunt dari tales circumstantiæ, & rationes, quæ dubiam reddant ætatem, & vsum rationis. Secundò concessa maiori, distinguo illam minorem. *Sed communiter vota, & iuramenta fiunt post septennium, non antea*. Si septennio comparas tempus illud proximum post septennium, intra quod potest cadere dubitatio, nego; nam tam frequenter pueri vouent, iurant, vel promittant circa septenniũ, quã paulo post septẽnium: inter hæc enim non videtur notabilis differentia assignanda, & sic inde non potest desumi præsumptio. Si autem compares tempori ante septennium totam reliquam vitam absque dubio in tota illa frequentius fiunt vota, iuramenta, & promissiones. Sed hoc non est ad propositum, quia tempus totius vitę, & post octauum annum non subest dubio, an pertineat ad ętatem ante septennium atque adeò præsumptio non est desumenda ex illo, sed ex tempore, proximo ante septennium, & post septennium, quod subijci potest præsenti dubitationi.

Arguitur 2. In casu de quo disputamus, constat de voto, iuramento, vel promissione; excusatio verò est dubia, sed præualet certum contra dubium. ergo præualet votum, iuramentum, & promissio contra dubiam excusationem defectus septennij.

Resp. distinguo illam propositionem. *In casu de quo disputamus. constat de voto, iuramento, & promissione*; constat de verbis exprimentibus votum, iuramentum, vel promissionem, quæ materialiter possunt esse votum, iuramentum, vel promissio, concedo. Sed hæc nil sunt, nisi verba. Cõstat de vero voto, vero iuramento, & vera, seu essentiali promissione, nego. Cùm enim dubitetur de libertate, quæ est essentialis, necessariò dubitatur de ipsis rebus, quæ tales deficiente aliquo essentiali, esse non possunt, sicut deficiente Anima deficit homo, & solùm supponitur cadauer.

Arguitur 3. In casu dubij semper defendendũ est valor actus. ergo debemus iudicare in fauorem voti, iuramenti, & promissionis. Antecedens probatur primò, quia actus pręsumitur rectus, dum contrarium non probatur. Secundò, quia cum supponatur certò actus iurandi, vouendi, vel promittendi pro illo stat possessio, præcipuè cùm sit causa pia.

Resp. dicendo, quòd illud antecedens. In casu dubij semper defendendus est valor actus, absolutè prolatum, falsum est. Debent ergo intelligi quoties actus non est onerosus *ex l. qui iurare* §. *si pater* §. *de iure: iurando*, & ibi communi opinione cum Glossa, & Abbate. Et idem habent Felinus *in cap. finali, num.* 13. *de præsumptionibus*. Cùm ergo actus vouendi, iurandi, & promittendi ex propria ratione sint onerosi, non debent defendi ex eo quod facti sint nisi attendantur alia necessaria.

Arguitur quartò *cap. in præsentia de probationibus*. Vti, allegante, votum emisisse in minori ætate, & non probante, declaratur valuisse.

Resp. quod in illo textu in fauorem actum iudicatum fuit, quia ab ipso profitente religionem exhibiti fuere testes ad probandum in minoritate professionem emisisse qui testes cùm essent inducti ab ipso professo, debebant planè probare, vt ibi aduertit glossa, & cum in probatione defecerint. Ideò Pontifex valorem professionis pręsumpsit, & declarauerit, quę non contingut nostro casu. Vel 2. dicito, quod cum causa pia, & religio esset in possessione taliter profes ideò Pontifex dubium iudicauit in fauorem R gionis, quæ circumstantiæ non habent locum nostro casu.

Arguitur quintò: Baldus *in l. si maior, in fine* C. communi diuiden do, dicit, quòd cum quis velit elidere edictum propter inhabilitatem ætatis, debeat omnino probare talem inhabilitatem. & *consilio 66. nu. 5. voluntaria*. dicit: Ei, qui ex ætate petit restitutionem de aliqua lesione, vel alicuius contractus rescissionem, incumbit onus probandi dictam minorem ætatem, ex qua rescinditur talis actus; ergo similiter, qui allegat non esse validum votum, iuramentum, vel promissionem tenetur id probare, & in dubio censentur valida.

Respondetur, quod procedit in foro exteriori; in quo cum proceditur ex pręsumptione, & est in damnum tertij, ne contingat fraus, requiritur probatio: nunc autem disputamus in foro interno, quod non conformatur externo, quando procedit ex pręsumptione, nisi ipsa pręsumptio sit connaturalis materię.

Petes 4. *An si tales Circumstantiæ, & tam fortes coniecturæ fuerint, quod reuera in dubium versant iudicio prudentis, an Votum, Iuramentum, Promissio facta fuerint in somno, ebrietate, phrenesi, seù delirio, tenearis illa adimplere.*

Conclusio. Si tales Circumstantię: & tam fortes coniecturę fuerint, quòd reuera in dubium vertant iudicio prudentis, an votum, iuramentum, & promissio facta fuerint in somno, ebrietate, phrenesi, seu delirio, in tali dubio non tenetur homo adimplere illa.

Dixi, *si tales Circunstantiæ, & tam fortes coniecturæ fuerint*, qui pro contraria parte stat communis vsus, quo huiusmodi fiunt tempore vsus mentis, & nisi tales coniecturæ obstent, non inducitur, homo in rationabile dubium: si verò dentur circunstantię, quę sufficiant id in dubium vertere, eo quòd nec recordatur benè, quomodo huiusmodi egit; nec actus ostendit ita esse gestum, rectè, & ordinatè, vt tollat dubium; & si non præcesserit causa talem actum efficiendi, & alię plures sunt circumstantiæ, quibus positis sapiens dubitat, an reuera hęc facta fuerint in somno, in ebrietate, vel delirio.

Prædictam Conclusionem sic explicatam tenent Suarez *de voto lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 9. Palao *tomo* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 11. *num.* 8. Franciscus de Lugo *de conscientia. cap.* 2, *num.* 134. Quiedo *tract.* 5. *controu.* 4. *num.* 71.

Probatur in hoc casu dubitatur; an verè sit votum, iuramentum, vel promissio; sed vt sæpè manet probatum, cùm est dubium de lege, de pręcepto, de voto, de iuramento, & de promissione, hæc non ligant. ergo in præsenti non ligat votum, iuramentum, & promissio. Maior, in qua est difficultas, probatur. In pręsenti casu est, quòd dubitatur de libertate requisita essentialiter ad votum, iuramentum, & promissionem, cùm facta in somno, ebrietate, & amentia libertate careant. sed libertas, est quòd ita ad prædicta requisitum vt eam deficiente, verè non sit votum, iuramentum, nec promissio. ergo dubitatur, an hæc sint vera.

Contra hanc conclusionem, in casu, de quo disputamus, votum, iuramentum, & promissionem obligare

obligare, tenent Thomas Sanchez *lib. 8. in decalogum, cap. 1. num. 19.*

Probatur primò; quia somnus, ebrietas, vel phrenesis breui tempore durant. ergo non potest præsumi in eo tempore huiusmodi contigisse: secus est de amentia, quæ durat longo tempore.

Secundò hic constat esse votum, iuramentum, vel promissio, excusatio verò est dubia, sed dubia, excusatione non satisfit obligationi certæ. Tertiò, hic Votum possidet, & homini incumbit probare excusationem. Quartò, qualitas quę homini naturaliter inest, semper præsumitur inesse, dum de contrario non constat, quòd nullis textibus, & doctoribus probat: libertas autem naturaliter inest homini, & tandem ex communiter contingentibus præsumptio est sumenda: contingit autem frequenter, quod homines vtentes ratione similia faciant.

Sed hæc sententia vera non est absolutè loquẽdo propter rationem ex conclusione allatam. eius verò rationes ad summum probant, non esse de facili dubitandum, an hæc in somno, vel ebrietate, aut phrenesi contingerint, quod non fatemur in conclusione. sed dico, quod tales rationes sint vt verè dubitetur, quod pręsupponit casus, de quo disputamus, tenenda est conclusio. Propter quã rationem, Palao, Lugo, & Ouiedo citati, qui aliquantulum videntur fauere Sanctio quantum ad difficultatem dubitandi in hac materia, absolutè illum deserunt, & nostræ adhærent sententię.

Ad argumentum verò pro hac opposita sententia in primis dico, quòd somnus nõ breui tempore durat, cùm plerisque tertiam partem vitę dormiant octo horas somno concedentes, licèt temperati minori sint contenti. similiter ebrietas per plures horas durare solet, & phrenesis: & pręterea per interualla reddunt. Deinde, dato quòd hęc durent breui tempore respectu totius vitæ, non est breue, sed longum respectu requisiti ad has actiones, & aliquando contingit in breui spatio, quod non aliàs in tota vita. Ad secundum, nego pręsupponi in nostro casu votum, iuramentum, vel promissionem: nam dubitantes de libertate, de substantia horum actuum dubitamus: atque adeò possessio non stat pro illis; & euanescit tertium Argumentum. Ad quartum dico, quòd qualitas, quę homini naturaliter inest, semper pręsumitur in esse, sed non semper in actu, quando actus naturaliter cessat. Aliàs etiam cùm homo dormit, liberè operaretur, & cùm est ebrius, vel amens, & semper rideret, quod est stultum. Et ad vltimum dico, pręsumptionem sumi ex communiter contingentibus, nisi obstent rationes in contrarium. Vide dicta supra.

Prima conclusio. si dubium sit; supposito, quòd votum, iuramentum, & promissio facta sunt in somno, ebrietatę vel phrenesi, aut amentia an pro illo tunc, in quo facta sunt, talis fuerit somnus, ebrietas vel phrenesis, & amentia, quod abstulerint libertatem requisitã ad valorẽ talium actuũ; vel illam permiserint; stante hoc dubio non obligant. Hęc conclusio est communis, de qua videatur Thomas Sanchez *lib. 8 Decalogi cap. 1. nu. 15.* Suarez *lib. 4. de voto, cap. 6. num. 9.* Vbi adducit exemplum illius, qui in somnis habuit pollutionem, & dubitat, an fuerit libertas. Palao *tom. 1. tract. 1. disp. 3. puncto 11. num. 7.* Franciscus de lugo *de conscientia, cap. 2. num. 143.* Ouiedò *tract. 5. controu. 4. num. 71.* & Probatur, sicut precedens, quia dubitans de libertate, dubitat de essentia voti, Iuramenti, & Promissionis.

Secunda conclusio. si tales circunstantiæ, & tã fortes coniecturę fuerint quę reuera reddunt dubium iudicio prudentis, an votum, iuramentum vel promissio facta fuerint in tali animi possessione, quę priuauerit vsu rationis: tale votum, iuramentum, vel promissio non obligant.

Dixi, *si tales circunstantiæ, & tam fortes coniecturæ fuerint &c.* quia regulariter non potest prudenter dubitari de defectu libertatis ex hoc capite, quia vixun quam, seù raro, ita timor, amor, aut similis, passio, licèt vehemens, tollit vsum rationis sufficientem ad peccatum mortale, & per consequens ad valorem voti, iuramenti, & promissionis. sicut vix vnquam occidens alium, etiã vehementer iratus excusatur à mortali. Quare licèt gesta calore iracundę pręsumantur inconsultè facta, vt aduertit Menochius *lib. 1. de præsumptionibus, q. 13. num. 21.* non tamen pręsumitur defuisse deliberationem sufficientẽ ad peccatum mortale, sed maturum consilium. Et quãtum ad hoc, quod non pręsumitur defectus libertatis, dicunt, vota, iuramenta, seù sponsiones in vehementi passione facta valorem sentiri. Panormitanus *cap. dudum, de conuers. coniugat. num. 8.* Alexander *de neuo cap. sicut ex litteris, de iureiurando num. 18.* Felinus *ibi num 13.* Thomas Sanchez *lib. 1. de sponsalibus, disp. 8. num. 10.* Basilius de Leon *lib 8. de matrimonio, cap. 1. nu. 2.* Palao de conscientia *disp. 3. puncto 11. num. 10.* sed quia aliquando contingit, ex vehementi passione rationis vsum deperdi, nam, vt omittam varios casus relatos, ego ipse duos, vnum ex passione iræ; alterum ex passione amoris omnino à ratione alienos vidi: ideò de his euentibus loquendo apposui quod tales sint circumstantiæ, & tam fortes coniecturę, quę in dubium vertant, an ex passione aliqua rationis vsu absorto, tales actus contingerint. & quidem Antonius *cap. sicut ex litteris, de iureiurando, num. 19.* & Panormitanus *cap. si verò, eodem titulo nu. 7.* Angelus verbo *votum, 1. num. 6.* Tabienna *ibi, quæst. 1.* affirmant, quod si statim transacta passio pęniteat absque noua causa voti, iuramenti, vel promissionis, iudicant hęc facta absque libertate, quod ad minus vehemens signum huius æstimandum est.

Conclusionẽ sic modificatã, & explicatam cõmunem vidimus: sed specialiter videntur eam profiteri Antonius, Panormitanus, Angelus, & Tabienna paulò ante citat. Suarez *lib. 4. de voto, cap. 6. num. 10.* Palao *de conscientia disp. 3. puncto 11. num. 19.* Ouiedo *tract. 5. controu. 4. num. 72.* & ratio est eadem conclusionum superiorum, quòd scilicet dubius de libertate, est dubius de vero actu, ac de substantia eius: vnde pręualet possessio libertatis, & ei fauendum est, iuxta sępè dicta.

Petes 5. *Quid faciendum sit, cùm solum est dubium de qualitate, vel quantitate Voti, iuramenti, vel Promissionis.*

Casus est: quando quis vouit aliquid non exprimendo qualitatem, vel quãtitatem rei. v. g., vouit sancto imaginem sui, vel Pedis, & non expressit, an ceram, ligneam, vel argenteam. Vouit Castitatem, & dubitat, an per eam excluserit matrimonium.

Circa hanc difficultatem arbitrati sunt aliqui, qui in hoc dubio teneri nos semper inclinare in id, quod maius est, & magis fauorabile voto, iuramento, vel illi cui promitto, atque adeò si vouisti

uisti religionem, & dubitas, an quamcunque, vel hanc determinatè teneris ad omnem, itaut site in hac non admittant, aliam debeas ingredi, & pro hac re citantur S. Th. *in 4. disp.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 6. Carthusianus *ibi q.* 2. Angelus *verbo votum* 3. *num.* 12. Similiter qui vouit castitatem, & religionem, sed dubitat, an castitatem vouerit dependenter, aut independenter à Religione, debere seruare castitatem, etiamsi non admittatur ad religionem. Tenet Nauarrus *lib.* 3. *consilior. titulo* 38. *de voto. consilio quarto, vel aliàs* 13. Item qui uouit religionem, dubitat tamen, an vouerit se professum, debere iuxta votū profiteri, docent Nauarrus *loco cit. consilio* 18. & in alia impressione 26. & Emanuel Rodriquez *tomo* 2. *summa cap.* 95. *num.* 6.

Arguitur primò. pro hac sententia *ex cap. cū dilecti, de donationibus*, in quo dicitur. *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficijs quoque plenissima est interpretatio adhibenda*. vbi nomine *beneficij*, vt patet ex contextu, significatur quid quid diuino cultui, ibi enim erat sermo, de quadam eleemosina facta Ecclesiæ: si ergo est plenissima interpretatio facienda, debet in fauorem pietatis. extendi in voto, & iuramento, non in fauorem personæ.

Arg: 2. In dubio tutior pars est eligenda, vt est regula iuris, iuxta dicta, sed arbitrari in fauorem voti, iuramenti, vel sponsionis, obligando ad omne, ad quod possunt extendi, est quid tutius, & magis assecurans obseruationem: ergo in dubio sic latè sunt interpretanda.

Vnica conclusio. Quando quis est dubius de qualitate, vel quantitate voti, iuramenti, vel promissionis, solùm tenetur ad id, quod minus est intra limites dubij, hoc est ad id, quod magis fauet voventi. sic Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, disp.* 41. *num.* 33. Ioannes Sanchez *disp.* 43. *num.* 3. Bonacina *tomo* 2 *disp.* 1. *de restit. q.* 1. §. *incidenti, post punctum* 2 *num.* 5. Ioānes de Sancto Thoma 1. 2. *q* 18. *disp.* 12. *art* 4. §. *Dico ergo*. Franciscus de Iugo *de conscientia cap.* 1. *num.* 135. Ouiedo *tract* 5. *controu.* 4. *n* 64.

Probatur primò. Qui dubitat de tota voti obligatione, non tenetur ad votum, & idem est de iuramento & promissione. ergo qui dubitat de parte qualitatis, vel quantitatis voti, non tenetur ad illam partem Maior constituta est in hoc ipso dubio, *concl.* 1. & consequentia probatur, quia argumentum de toto ad partem validissimum est, vt probat Euerardus in loco, *de toto ad partem*, & sumitur ex L. *quæ de tot* §. *de rei vindicatione* Nā idem est iusde voto quo ad totū & de parte; quo ad partē sed qui dubitat de tota voti obligatione; quia dubius est, ā vouerit, ad nihil tenetur, vt vidimus *concl.* 1. ergo qui dubius est de parte, non tenetur ad partem, & qui dubius est de qualitate, vel quantitate, ad tales partes non tenetur.

Secundo probatur ex lege, *quid quid astringendæ* de verborum obligatione in illis verbis: *Quid quid astringēdæ obligationis causa cūdictū est idnisi palam exprimatur, omissum esse, intelligendum est, aut certè secundum promissionem interpretamur*; sic iuramentum astringendum esse, quantum fieri possit, vt minus obliget, docent Abbas *cap. cùm clerici, fin. de verborum obligationibus*. Angelus *iurament.* 4. *num.* 1. Syluester *Iurament.* 3. *q.* 3. *in fine*. Probatur etiam *in cap. ex parte, de censibus*. vbi glossa finalis docet, fieri pro vouente bonam interpretationem, & Abbas *num.* 3. & 4. ait, præsumi vouentem se minus grauare quam possit, & consonat Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. §. 1. *nu.* 5. Thomas Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 4. 1. *n.* 33. Diana *parte* 3. *tract.* 6. *resol.* 50.

Ex prędicta Conclusione deciduntur plures casus. Primus, quod si quis dubitat, an vouerit religionem in communi, vel hanc in particulari, tenetur solùm ad hanc particularem, itaut si non admittatur ad istam, liber sit à voti vinculo Secundus, qui vouit non habere copulam, & dubitat an intellexerit solam illicitam, ad hanc solū tenetur, & potest nubere. Tertius qui vouit castitatem, & religionem, & dubitat an castitatem vouerit dependenter à religione, in casu scilicet quod sit religiosus, solùm tenetur ad castitatem in religionis statu, de quibus specialiter videantur Ioannes de Sancto Thoma 1. 2. *q.* 18. *disp.* 12. *art.* 4. §. *dico ergo*, Franciscus de Iugo *de consciētia, cap.* 2. *num.* 137. & Ouiedo *tract.* 5. *cont.* 4. *num.* 64. 65. quartus casus, vouit quadragesimale ieiunium, & dubitat, an etiam comprehenderit abstinentiam à lacticinijs, non tenetur à lacticinijs abstinere. Videatur Angelus *prima parte de ieiunio, q.* 9. *art* 1. *dub.* 2. *concl.* 3. quintus casus: Vouit quis Religionem, & dubitat, an solū vouerit ingressum, an etiam profiteri in ista, solùm tenetur ad ingressum. Videantur Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *de voto, cap.* 8. *num.* 7. sextus casus: si quis vouet quotidie recitare Rosarium, & dubitat, an vouerit integrum, tenetur solùm ad tertiam partem. Suarez *lib.* 4. *de voto cap.* 8. *num.* 5. septimus casus; vouit castitatem, & dubitat an perpetuam, vel temporalem, solùm tenetur ad temporalem Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 13. *num.* 16. Octauus casus: vouit aliquis decem tritici, vel olei mensuras, & dubitat, an intellexerit ex maioribus, vel minoribus, solùm tenetur ad minores ex illis consuetis Valentia *tomo* 2. *disp.* 6. *q.* 8. *puncto* 4. Molina *tom.* 1. *disp.* 198. *&c.* Nonus casus est: si quis vouit dare calicem ecclesiæ, & dubitat ex qua materia, cum certum sit æreum, vel stanneum, intelligi non posse, quia in his non licet consecrare sufficiet, quod det calicem, cuius cuppa sit argentea. licèt pes sit vilioris materiæ, quia in tali calice consecratur, & non tenetur dare totum argenteum, & minus aureum; videatur Azor *tomo* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 10.

Ex dictis constat, sententiam in principio quæsiti relatam non esse ad mittendam nisi in ratione concilij maioris perfectionis. Et ad sanctum Thomam pro ea relatum dicimus, quod in eo loco versat casum primum ex propositis à nobis, & ponit, signa, vnde dignosci possit, an vouerit religionem in communi, vel in particulari dicens, *si in vouendo prius cogitauit de religione intrando, & postea eligit talem religionem, vel talem locum, obligatur simpliciter ad religionem. vnde si non potest in illa, quam elegit, recipi, debet aliam quærere. Si autem primò, & principaliter cogitauit de tali religione, vel tali loco, in voto suo intelligetur hæc conditio*. & post pauca. *Si autem* dubitet, quomodo in vouendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committeat. In quibus verbis sanum consilium in re tanti momenti proposuit, non obligationem præcepti, vt patet ex illa voce, *debet*.

Ad primum argumentum pro illa sententia factum in primis dico, quod in eo capite non erat dubia

dubia donatio defuncti, cùm dicat Pontifex. *Cùm ex tenore instrumenti vehementer apparet, quod hac fuit mens, & intentio donatoris* ex quo sequitur, quod casus, in quo debet fieri plenissima interpretatio beneficij, est cùm clarè, vel vehementer apparet, non cùm est dubium. vel 2. Resp. & melius quod prædicta verba de plena, pleniori, & plenissima interpretatione sunt intelligenda, quãdo aliàs non potest sortiri effectus, promissio, vel donatio, vt contingebat in casu, de quo loquitur Pontifex in illo textu, vt patet ex *l. quoties ff. de re dubia*. sed votum, promissio, & iuramentum in nostro casu non frustratur, sed effectum habet, et iamsi strictè interpretaretur.

Ad secundum Resp. quod illa regula *loco in argumento citato* ex posita est, & solùm obligat ad partem tutiorem, quando altera pars non est tuta, non enim sumitur dictio *tutio*, comparatiuè, sed aduersatiue.

Petes 6. *Anteneaaris voto, iuramento, vel promissione, quando dubitas de honestate Materia.*

Casus; vouit aliquis, iurauit, vel promisit rẽ, de qua dubitat, an sit honesta, & grata Deo, quia fortè caret debito fine, & circumstantijs vel quia ex illa potest sequi aliquod damnum animæ, vel corporis. cum autem certum sit quod votum, iuramentum, vel promissio rei malæ non obligãt, & non sunt adimplenda, statim sequitur dubium, an tale votum, iuramentum, vel promissio obliget, quando sub dubio est, an materia sit licita, vel illicita. Pro resolutione tamen sit.

Prima conclusio. In dubio, de quo disputamus, teneris viros doctos consulere, vt certificeris, an materia voti, iuramenti, vel promissionis sit honesta, an non, vel ad superiorem recurrere pro tali declaratione, vel dispensatione voti, iuramenti. Probatur primò, quia decisum videtur cap. *venerabilem §. idem, de electionibus*, vbi dicitur. *Non valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum*; cum nihilominus super eo nos prius consulere debuisset, quam contra ipsum propia auctoritate venire, Videatur 161. Glossa. Secundò probatur auctoritate Sancti Thomæ 2. 2. *q. 89. ad tertium*, vbi dicit, recurrendum in hoc dubio ad superiorem. Syluester verbo *iuramentum* 5. *q.* 1. Soto *lib. 7. de iustitia, q. 1. art. 3. ad argumentum principale*. Suarez *tomo 2. de religione, lib. 2. de iuramento, cap. 33. in fine*, & loquens de voto, *lib. 4. cap. 6. num* 12. Palao *de conscientia, disp.* 3. *puncto* 12. *n.* 1. & ex Iurisperitis Felinus *cap. 1. de iureiurando, num.* 19. Panormitanus *in cap. cùm contingat, num.* 25. & Innocentius *in cap. debitores, eodem titulo*.

Probatur 3. Nam qui dubitat, tenetur inquãtum potest, dubium vincere, ne laboret ignorãtia affectata, & culpabili; sed dubium de quo disputamus, vinci potest, vel sapientes consulendo, vel ad superiorem pro resolutione, vel dispensatione recurrendo, ergo ad hoc tenetur.

Probatur quartò hęc est differentia inter dubiũ hoc de honestate materiæ; & dubium an feceris votum, vel iuramentum: quia quando dubitas, an feceris votum, vel iuramentum, dubitas de exercitio tuę libertatis, quod alius scire non potest, nisi inquantum tud... [illegible] & ideò non teneris ad alium ire. At quando dubitas ex honestate materiæ, dubitas de re, quæ doctis debet esse nota, & de qua Prælatum vice Dei te docere, & gubernare debet; atque adeo in hoc dubio, ad eos debes recurrere.

Secunda conclusio. Si Tempus exequendi votum, iuramentum, vel promissionem; aut consultatione etiam superioris quacunque de causa enodare non potueris difficultatem, probabile censeo, & debere votum, iuramentum, & promissionem adimplere, & te non teneri ad talem adimpletionem.

Prima pars conclusionis est quod facta diligentia conclusionis preteritæ si remanet dubium, quod rarò contingit, vel si non est tempus consulendi teneris adimplere votum, & promissionẽ, quæ probatur primò auctoritate. Nam S. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 3. dicit, quod in huiusmodi iuramentis potest Episcopus dispensare; si autem non obligarent, non erat quod dispensaret. Et eadem ratione hęc Conclusio videtur omnium, qui citantur pro cõclusione precedenti, & pro hac citat Corneio *tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 2. §. *sed dices*, Sanctum Antoninum *in 2. parte, titulo* 11. *capite* 1. § *in fine* Palacios *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. Syluestrum *verbo, iuramentum* 5. *q.* 1. Aragon 2. 2. *q.* 88. *a* 2. *dicto* 3. *& quæst.* 89. *art.* 9. *dicto* 2. & ex Iurisperitis glossam, *cap. magna, de voto, verbo nouissi.* Hostiensem *cap.* 110. *verbo de iureiurando, verbo periurandi* Cottam *in memorialibus iuris. verbo fideiussor indemnitatis*.

Prob. 2. in casu, de quo disputamus, homo est certus de voto, iuram. & promissione, & de volũtate obligãdi, qua se subiecit, voto, iuramẽto, & promissioni, & solùm obicit eius adimpletioni duoiũ de iustitia materiæ. Ergo in hoc casu possessio stat pro voto, iuramento, vel promissione, & hæc sunt quasi reuus, cui obijcitur talis iniustitia. ergo homini, vt deobligetur, incumbit probare materiam esse illicitam. & dum id non constat, durante dubio, fauendum voto, vel iuramento, & promissioni, vt possidenti, & reo. Patet consequentia, quia in dubio fauendum est possidenti, & reo, vt sup. manet dictũ regula prima, & tertia.

Tertiò probatur. In nostro casu certum est votum emissum, iuramentum, vel promissio, & incertum est impedimentum iniustitiæ materię, sed propter impedimentum dubium non debet omitti obligatio certa, sicut neque propter solutionem dubiam certum debitum, vt vidimus in superioribus. ergo nec propter dubium iustitię materię debet omitti certa obligatio voti, iuramenti, & precepti. Confirmatur. Si Prelatus præcipit aliquid, quod subditus dubitat, an sit licitum, nihilominus manente dubio, tenetur obedire, vt communis fert sententia, & nos dicemus. ergo similiter in presenti. Secunda pars conclusionis est, in prędicto casu probabile esse te non teneri adimplere votum, Iuramentum, vel promissionem. Probatur primò, quia sententiã hanc tenent Suarez *lib.* 8. *de voto, capi* 6. *nu.* 18. Thomas Sanchez *lib.* 4 *decalogi cap.* 4. *num.* 32. *& cap.* 6. *nu.* 6. Corneio *tract.* 8. *disput.* 4. *dub.* 2. §. *caeterum eadem* Palao *tract.* 1. *disput.* 3. *puncto* 12. *num.* 2.

Probatur secundò. Nam qui dubitat de honestate materię promissæ, nec potest vincere dubium, est formaliter dubius de voto, vel iuramento, vel promissione, cùm dubitet de aliquo essentialiter requisito ad hęc non ergo possidet votum, iuramentum, vel promissio, sed libertas, cui, vt reo fauere debemus; Confirmatur; hac enim ratione diximus supra quod dubius de lege, non tenetur ad illam. Probatur 3. quia Deo non placent ea, quibus subest periculum culpę, ergo non

non possunt esse materia voti, iuramenti, vel promissionis.

Ad argumenta facta pro qualibet parte huius conclusionis, vt contra aliam militant, potest responderi ex fundamentis alterius: præcipuà enim difficultas est, proquo stat possessio, pro libertate an potius pro voto, iuramento, vel promissione.

DVBIVM XXVI.

An in dubio censendus sis Irregularis, excommunicatus, suspensus vel Interdictus.

Dvplex se potest offerre dubium circa huiusmodi inhabilitates seu censuras; vnum est iuris, vt cum dubitas, an pro tali crimine sit imposita irregularitas, vel excommunicatio. Et c. Aliud facti, vt cum dubius es, an commiseris aliquid, cui scis impositam esse irregularitatem, vel excommunicationem &c. deinde procedere potest quæstio loquēdo in foro conscientiæ, vel loquendo in foro exteriori. Ex omnibus his modis procedet.

Sit Conclusio. Posito dubio, an sis irregularis, excommunicatus, suspensus, vel interdictus, siuè dubius sis circa ius, siuè circa factum, antequam aliquid opereris ex prohibitis vna ex prædictis pœnis, seu censuris, teneris præmittere diligentem inquisitionem veritatis, siuè, per teipsū siue peritos consulendo, vt è tali dubio exeas. Itaut si per tempus liceat talem inquisitionem facere, & omissa opereris aliquid prohibito illa pœna, de qua dubitas, pecces iuxta grauitatem materiæ, & ex genere moraliter.

Similē diligentiam adhibendā necessariò. Fore circa omne dubium osten li supra. Vbi Conclusio hec probata manet quantū ad omnes suas partes, & breuiter patet ex eo, quod si diligentiā non adhibet, cùm dubium illud vel sit practicum, vel si est speculatiuum, practicum inferat, fiet, quod dubio practico circa materiam peccati operaris, & ex consequenti pecces exponens se periculo peccandi. Et Confirmatur, quia cum possis exire, de dubio illo saltem consulendo, & non facis ignorantia fit voluntaria, & culpabilis, & sic in eo casu non excusat. Et præter Auctores locis citatis inductos in hac speciali materia. Conclusionē tenent Suarez tertia parte, *tomo* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 12. Sanchez *lib.* 1. *decalogi, cap.* 10. *num.* 37. *Salas prima secundæ, tract.* 8. *num.* 164. Ioannes de sancto Thoma 1. 2. *q.* 16. *disput.* 12. *art* 8. §. *Ex his principijs.*

Sed prædicta Conclusio limitatur; vt si antequā dubium, de quo loquimur posit competenter examinari, magnum patiaris detrimentum, irregularitatem, excōmunicationem, suspensionem, vel interdictum seruanda, vt si præterit occasio recipiendi beneficium, suscipiendi ordines, ex quo magnam commoditatem, vel lucrum perdis, in eo casu, non teneris re, vt prædictis vinculis inodatum quantum ad hoc tractare, sed non obstante dubio speculatiuo; posse practicè statuere in tali dubio, & euentu non obligari, sed posse recipere beneficium, ordinari &c. quia lex dubia non obligat cum tali detrimento. Sic Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi c.* 10. *nu.* 37. Salas *tract.* 8. *num.* 169. Aduertit tamen Sanctus ibi, dūarū debere essentabile, quale non reputet præterire occasionem ordinandi. Sed id attentis circumstantijs prudentis arbitrio pensandum est; nam forte ex hoc quod tunc non ordinaretur, possunt sequi non contemnenda inconuenientia. Sed vt dilucidus procedamus dicemus prius de irregularitate, deinde de alijs.

Petes 1. *An In dubio Irregularitatis, siuè sit Iuris, siuè facti, censeri debeas Irregularis in vtroque foro.*

Si præmissa diligentia conclusione præcedenti expressa circa dubium irregularitatis, siuè dubiū sit iuris, siuè facti non valueris dubium superare, sed adhuc maneas dubius, videndum instat, an debeas in vtroque foro, vt irregularem reputare durante dubio, & ex consequenti abstinere ab his, quæ irregularibus sunt prohibita, in qua re.

Prima sententia est in dubio irregularitatis etiā procedentis ex homicidio, in foro conscientiæ neminem reputandum esse irregularem, secùs in foro exteriori. Ita Innocentius in cap. *ad audientiam*, de homicidio, & quando dubium est æquale pro vtraque parte, consentit Henriquez *lib.* 14. *c.* 3. *nu.* 3. & Medina in *summa lib.* 1 *c.* 11. §. 11. censetur tunc solùm esse irregularem, quando magis propendit ad hoc, quod occiderit. Suarez verò *tomo* 1. *disp.* 40 *sect.* 6. *num.* 10. & Salas *tract.* 8 *num.* 70. probabile existimatur decisiones iuris contrarium continentes, de quibus postea, solùm procedere in foro exteriori.

Primum Argumentum pro hac sententia est: In dubio melior est conditio possidentis in omni materia; sed homo dubitans, an sit irregularis, possidetur immunitatem ab irregularitate. Ergo conseruandus est in hac possessione durante dubio. Maior ostensa manet supra, & reliqua sunt manifesta. Secundum Argumentū. Pœnæ sunt restringendæ, vt patet *ex cap. in pœnis de regulis Iuris in* 6. Sed irregularitas est pœna, & grauis pœna. Ergo sic est restringenda, vt dicamus, in dubio non contrahi in foro conscientiæ. Tertium Argumentum. Nām Textus inducentes hanc irregularitatem in dubio homicidij, vel loquuntur in externo foro, vel in casu, quod verisimilibus apparet homicidium fuisse perpetratum, vt ex ipsorum verbis colligitur.

Secunda sententia per oppositum tenet, dubitantem de irregularitate, siuè iuris, siuè facti, in foro conscientiæ reputari irregularem. Sed non in foro exteriori. Sic Hostiensis & plures Iuristæ in cap. *ad audientiam de homicidio*; Nauarrus *c.* 27. *num.* 194. Philarcus *tomo* 1. *parte* 1. *lib* 4 *ca* 6. Syluester *verbo Homicidium* 3 *q.* 31. Armill. *verbo Irregularitas, nu.* 8. & 9. Tabienna *verbo Irregularitas, quæst.* 3 *num.* 4. Rodriquez *tomo* 1. *c.* 157. *num.* 3. Fundamentum sententiæ huius est, quod in foro interiori pars tutior est amplectenda: hęc autem est se vt irregulares gerere, nos in hoc nullum est periculum. In foro autèm exteriori nequit iudex sine sufficienti fundamento, aliquem condemnare, & sic non potest condemnare irregularem esse, dum hoc est dubium.

Tertia sententia est, quod in foro conscientiæ, & pœnitentiali, & in foro exteriori quasi pœnitētiali, vbi non agitur ad pœnas, sed vt hic abstineat, ab ordinum ministerio, in dubio tam iuris quàm facti, censendus est irregularis, non verò in foro contentioso, vbi purè agitur ad pœnam imponendam. Sic Abbas cum alijs, *cap. ad audiētiam de homicidio, num.* 2. Rosella *verbo dubiū nu.* 1. Angelus ibi *nu.* 2. Vega *tom.* 2. *c.* 15. *casu* 28. Fundamentum prioris partis est, quod in foro, in

ro, in quo attenditur ad statum conscientiæ, vt est internũ, & confessionis, & in illo externo, in quo solùm proceditur ad bonum subiecti, eligenda est tutior pars. At verò in foro exteriori punitiuo. Certa pœna incerto delicto imponi non potest.

Quarta sententia est, dubitantem siuè dubio iuris, siuè facti, in vtroque foro censendum esse irregularem. Ità Vasquez 1. 2. *disput. 66. cap. 1.* Garcia *de Beneficijs, parte 7. cap. 1. nu.* 21. Fundamentum est, quòd quando dubium est facti, id apertè deciditur cap. *ad audientiam*, cap. *significasti* 2. cap. *penultimo*, de homicidio; vbi redditur ratio, quia in dubio tutior pars est eligenda. Quasi supponat Pontifex, hoc esse principiũ iuris naturalis, & illo nixus decidat, dubitantes de homicidio esse irregularem. Sed simile principium militat in dubio iuris, nisi dubitans sequatur partem tutiorem, se reputans irregularem. Ergo in vtroque dubio censendus est irregularis. his prælibatis sententijs, per sequentia, quæsita nostram ponimus conclusionem; illisque satisfaciemus.

Petes 2. *An Quando dubium est iuris, an scilicet pro tali facto imposita sit Irregularitas, in neutro foro, reputandus sit Irregularis, quando adhibuit diligentiam, vt è dubio exiret.*

Conclusio, Quando dubium est iuris; an scilicet pro tali facto imposita sit irregularitas; vel an sub talibus verbis imponentibus irregularitatem contineatur talis casus: in neutro foro reputandus est irregularis, qui adhibuit diligentiam, vt è dubio exiret. Sic Nauarrus *cap.* 22. *num.* 193. Suarez *de censuris, disp.* 40. *sect.* 5. *nu.* 4. *&* 18. Sayrus *de censuris, lib. 6. cap. 2. num.* 16. Azor *tomo* 1. *lib. 2. cap. 19. q.* 10. *&*. Rebellus *prima parte lib. 1. q. 2. sect. 2.* Auila *parte 7. disp. 2. dub. 5. concl. 5.* Valentia *tomo* 8. *disp. 7. q. 10. puncto* 2. Reginaldus *lib. 3. num. 3.* Fillurius *tract. 1. cap. 2. q. 6.* Toletus *lib. 1. cap.* 57. Coninch *disp.* 18. *nu.* 21. Bonac. *de censuris, disp. 7. q. 1. puncto* 5. *num.* 2. Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num.* 39. Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap.* 10. *num.* 42. Villalobos *tomo 1. tract. 1. difficult. 22. num. 2.* Diana *parte 3. tract. 5. resolucione* 22.

Probatur primò ex *cap. is qui, de sententia excommunicationis in 6.* in quo definitur ius apparens, aut simile, non sufficere ad irregularitatẽ inducendam, nisi sit expressè in iure. ergo minus sufficiet, vbi solùm est ius in dubio. Confirmatur, quia textus inducentes irregularitatem in dubio commissi homicidij, quos ad duximus paulo ante in fundamento sententię quartę, & inferius adducemus iterum, loquuntur apertè in dubio facti nec vllus textus illam inducit in dubio iuris. ergo in dubio iuris non est admittenda. Nec est eadem ratio vtriusque dubij, quidquid dicat Vasquez; nam licèt irregularitas oriatur ex facto, tãquam ex radice, vel occasione, sed per se oritur ex iure, vt ex causa efficiente, & decernente illam Quare si ius est dubium, non potest irregularitatem, inducere.

Probatur Secundò quia si quis dubitat de lege naturali, vel positiua, diuina, vel humana, talis lex non obligat, vt determinatum relinquimus supra. & si dubium sit, an in lege certa contineatur, iste casus, non teneris tali lege ad talem casum, vt vidimus supra & si dubitas, an voueris, iuraueris, vel promiseris, non teneris voto, iuramento, vel promissione, vt ostendimus supra. Ergo neque si dubius es, an detur ius imponens irregularitatem, vel an iste casus contineatur in Canone imponente irregularitatem, debes in aliquo foro censeri irregularis. Consequentia est bona, quia eadem est ràtio, vtrobiquè enim dubitatur de substantia legis, voti, iuramenti, promissionis, vel iuris, ligantis ad solam censuram. Plura alia Argumenta inuenies locis citatis, quæ facillimè huic materiæ possunt applicari; & reputtamus, ne omittamus.

Petes 3. *An in dubio facti commissi homicidij, dubitans censendus sit Irregularis in vtroque foro.*

Conclusio. in dubio facti commissi homicidij, dubitans censendus est irregularis in vtroque foro. Ita censent Auctores citati pro conclusione præcedẽti, & Ioãnes Sanchez *disp.* 42. *n.* 4. *&* 14.

Probatur expressis Iuris decisionibus *in titulò de homicidio*, nempe *cap. ad audientiam, cap. significasti, 2. capite petito tua.* Quæ iura non solum loquuntur, quando verisimilium est homicidium fuisse perpetratum, sed etiam generaliter, quotiès est dubium. Deinde non solùm loquuntur de foro exteriori, sed etiam interiori. Primò, quia nõ procedunt ex falsa præsumptione, sed ex debita reuerentia administrationis Sacramentorum, in quo casu, quæ deciduntur in iure, ligans in vtroque foro, vt supra manet probatum. Secundò, quia irregularitas est talis pęna, quæ non indiget declaratione iudicis, sed ipso facto incurritur in vtroque foro. Tertiò, quia in cap. *ad audiendam* citato, dicitur, posse huiusmodi irregulari concedi dispensationem, vt minores ordines exerceat; dispensatio verò datur in vtroque foro.

Est tamen valde aduertendum, quòd huiusmodi ex dubio homicidij irregularis est censendus in vtroque foro quantum ad effectus, quos per se secum adfert irregularitas, qui sunt priuatio ordinis suscipiendi, & in susceptis ministrandi, non quantum ad alias pœnas, quas ius addit, vt est priuatio beneficiorum. Ad quas neque in foro externo debet condemnari. Nam pęna ordinaria decreta certo delicto, non est imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubij qualitate, vt aduertunt Suarez *de censuris, disp. 8. sect. 6.* Vasquez 1. 2. *disp. 66. cap. 1. num.* 5. Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap.* 10. *num.* 45. Sayrus *clauis lib. 1. cap.* 13. *num.* 2. Salas 1. 2. *disp.* 8. *n.* 176.

Sequitur ex præfata conclusione, quòd cum quis abortui præbuit causam, & dubitat, anfætus esset animatus, & ex consequenti, an vere sit homicida, irregularem esse in vtroque foro. Quoniam hoc est dubium, facti circa homicidium. sic docent Syluester *verbo abortus in fine.* Nauarrus *cap.* 27. *num.* 223. Rodriquez *tomo* 1. *summæ, cap.* 175. *num.* 4. Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *n.* 43. si tamen abortus contingit ante diem quadragesimum conceptionis, non est homicidium, quia ante fætus non animatur, iuxta communem opinionem, de qua videatur Bonacina *q.* 4. *puncto* 5. *num.* 13.

Sed inquires, *an qui dubius est, an mutilauerit, & facta inquisitione manet in eodem dubio, censendus sit irregularis* sententiam Affirmatiuã videntur tenere Nauarrus *cap.* 27. *num.* 206. Henriquez *lib.* 18. *cap.* 3. *num.* 4. *& cap.* 14. *nu.* 1. Siluester, Angelus, Armilla, & Tabienna, quos refert Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi cap.* 10. *n.* 49. Omnes eni misti dicunt, quòd quantum ad incursionem irregularitatis æquiparantur mutilatio, & homicidium. Nihilominus sit.

2. Con-

1. Conclusio. Dubitans, an mutilauerit, facta sufficienti diligentia, & manens in eodem dubio, non est censendus irregularis in aliquo foro, sic Sanchez *lib.* 1. *Decalogi. cap.* 10. *nu.* 49. Filliucius *tract.* 19. *num.* 47. Bonacina *de censuris, disp.* 7. *q.* 3. *num.* 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 39.

Probatur, quia mutilatio non est homicidium propriè, sed impropriè, & secundùm quid. Iura verò loquuntur in solo dubio commissi homicidij. ergo non debet extendi ad dubium de mutilatione. Maior ex se patet, & minor ex capitibus iuris citatis pro Conclus. praeced. Et consequentia probatur: quia pæna tam rigida, vt est irregularitatis nõ debet extendi ex dubio homicidij ad dubium mutilationis. Confirmatur ex cap. *is qui*, de sententia excommunicationis, in sexto, in quo deciditur, quòd pæna irregularitatis non debet induci ex similitudine, nisi sit pro qualibet re expressa: ergo licèt mutilatio habeat similitudinem cum homicidio, ex eo non licet inferre, ex hoc quòd dubitans de homicidio definitur irregularis, dubitantem de mutilatione esse irregularem.

Ex hac conclusione Colligitur, mutilationem non in omnibus æquiparari homicidio etiam voluntario, & ideò posse dispensari per Episcopum in irregularitate mutilationis occultę, iuxta Tridentinum *sessione* 24. *c.* 6. vt placet Emanuelli Rodriquez *tomo* 1. *regularium*, *q.* 24. *a.* 10. & Sa *verbo irregularitas ex deformitate illicita, in fine* Verũ est, quod contradicit Thomas Sanchez *loco citato*.

Petes 4. *Quãdo dubium facti non est circa materiam homicidij, sed circa quamlibet aliam; an in vtroque foro censendus sit Irregularis.*

Conclusio. Quando dubium facti non est circa materiam homicidij, sed circa quamlibet aliam, tam in foro conscientiæ, quàm contentioso, non est aliquis censendus irregularis: verbi gratia, si quis dubitat, an sit legitimus, legitimum esse reputandum. & si dubitat, an Vxor vnica, quam habuit, fuit virgo, ne sit bigamus, virginem esse reputandam, & ipsum non bigamum & si dubitat, an mutilauerit, se irregularem non debet reputare. sic Suarez *de censuris. disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 8. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *nu.* 48. Auila *de censuris p.* 7. *disp.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 39. Bonacina *de censuris, disp.* 7. *q.* 1. *punct.* 5. *num.* 3. Coninch *disp.* 18. *dub.* 2. Diana *parte* 3. *tract.* 5. *resolut.* 72.

Probatur primò. Non est irregularitas asserenda in aliquo foro, nisi in casibus expresis in iure. sed quod quis in dubio facti censeatur irregularis, non est expressum in iure, nisi in dubio homicidij voluntarij propter specialem eius deformitatem, in ordine ad sacrum Altaris ministerium, Igitur non est asserẽda irregularitas in dubio cuius cunque alterius casus. Maior decisa est *cap. is qui, de sententia excommunicat. in* 6. Minor verò patet ex iure; in quo nullibi reperitur irregularitas imposita pro dubio alicuius delicti, nisi solùm homicidij voluntarij *in capitibus citatis* pro concl. *supra* expositis. Confirmatur in dubio iuris circa irregularitatem, nemo censendus est irregularis, vt supra determinatum manet. sed an in alijs dubijs factis propter dubiũ homicidij voluntarij ius statuat irregularitatem, est dubium iuris, ergo hoc dubio stante, nemo censendus est irregularis in foro interno, vel externo.

Secundò, Regula Generalis vtriusque iuris est, quòd in pænis debemus adhibere expositionem strictam, sicut in fauoribus latam, sed extendere pænam irregularitatis impositam dubitanti an commiserit homicidium voluntarium, ad dubium cuiuscunque alterius delicti, est extendere pęnam, & latè eam interpretari: ergo est contra ius. Confirmatur, quia primum etiam iuris est valdè consonum rationi, in dubio, neminem esse condemnandum, ergo excepto casu dubij homicidij voluntarij, in quo ius statuit irregularem esse ob specialem rationem cultum altaris, nõ debemus id in alio casu admittere.

Contrariam sententiam, nimirum in dubio facti cuiscunque, cui annexa sit irregularitas, dubitantem censendum fore irregularem docet Rosella, & Angelus *verbo dubium.* Syluester *ibi q.* 4 *n.* 7. Tabienna *ibi q.* 2. *nu.* 3. Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *num.* 9. & 13. & *disp.* 66. *cap.* 1. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q.* 10. Ioannes Sanchez *disp.* 42. *num.* 4.

Primum Argumentum pro hac sententia est, quia licèt illa teneãt, qui adducti sunt pro concl. tertia, loquantur solùm de homicidio, rationem tamen reddunt ex illo principio naturali, in dubijs tutior pars est eligenda. Quæ ratio eodem modo militat in omni dubio irregularitatis. Confirmatur, nam Pontifices in præfatis iuribus non videntur nouum ius statuere, sed declarare quod ex ratione naturali seruandum videtur. Obeuitandũ Animę periculum, si fortè talis præcessit actus, & reuera sunt ex communicati, quod tam in alijs irregularitatibus, quàm in irregularitate homicidij potest imminere.

Secundum Argumentum: lex quantum vis pęnalis, si feratur in animarum fauorem, ad euitandum peccandi periculum, non censetur odiosa, sed fauorabilis, & ideò non est restringenda, sed amplianda. ergo decisiones citatæ pro dubio homicidij, extendendæ sunt ad quęcunque dubia facti, cui annexa est irregularitas.

Tertium Argumentum. Operari cum conscientia dubia in materia peccati peccatum est, quia est exponere se periculo peccandi, vt constitutum est à nobis supra. Sed qui dubitat, an commiserit actum, cui annexa est ipso facto irregularitas; operatur cum conscientia dubia in materia peccati, Ergo peccat. Minor probatur, quia si fortè talem actum commisit, verè est irregularis, irregularis verò ministran sgrauissimè peccat. ergo committit se periculo peccandi. His tamen paulo post satisfaciemus.

Circa has Conclusiones *dubitatur primo, num, dubitans, an occiderit in bello iusto, censendus sit irregularis.*

Partem Affirmatiuã tenent Auila de *censuris parte* 7. *dip.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. & Bonacina *de censuris, disp.* 5. *q.* 1. *puncto* 5. *n.* 4. fundamentum eorum est, nam capi. *petitio tua*, de homicidio, sacerdos pugnans contra infideles in bello iusto, declaratur in hoc dubio, irregularis. ergo casus videtur in iure. Dicendum tamen est non esse irregularem, qui dubitat, an occiderit iustè. Probatur, nam textus statuentes irregularitatem in casu dubio, quos adduximus supra loquuntur de homicidij dubio: occisio vero iusta non est homicidium & ad fundamentum oppositum dico, quod vt aduertit glossa eius verbo *remordet*, ille cum esset Presbijter, non poterat propria manu

pugnare,

pugnare, & ideò dabat operam rei illicitæ, & sic irregularitatem non euasit. Nobiscum consentiunt Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 8. *in fine*. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *num.* 50. Filliucias *tract.* 19. *num.* 47. Laymam *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 39. Diana *parte* 3. *tract.* 5. *resolutione* 70.

Dubitatur secundo, *num dubio iuris dubitans, an contraxerit irregularitatem, vel censuram aliquam, & ante præmissam veritatis inquisitionem absque vrgenti necessitate ordines recipiens?* Suarez *de censuris disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 19. & Salas 1. 2. *tract.* 8. *nu.* 169. censent esse probabile, tunc non posse ministrare, donec omnino certus sit se non contraxisse irregularitatem, seù censuram aliquam, quia possessio malè cæpta non reddit meliorem conditionem possidentis.

Sed dicendum est, quòd licèt iste peccauerit absque vrgenti necessitate ordines suscipiens, dubio non discusso, iuxta dicta supra; tamen rectè potest ministrare, & ordines exercere discusso dubio, & in eodem dubio remanere, quia in dubio iuris nemo censendus est irregularis, vel ligatus censura, vt vidimus supra. Sed hic versatur in dubio iuris, ergo non censetur irregularis, vel censura ligatus. Ita Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *num.* 46. & Bonacina *de censuris, disp.* 7. *q.* 1. *puncto* 5. *num.* 5. & ad fundamentum contrariæ sententiæ dico, in hoc casu ordinatum, de quo loquimur, non iuuari possesione, quæ, vt probat Argumentum, non fauet, cùm sit malæ fidei, sed ex hoc potest ministrare, quia non est impedimentum, vel censura ab Ecclesia imposita contra eum.

Pro plenioris difficultatis huius expositione, restat satisfacere sententijs, & Argumentis contrarijs. Prima sententia relata supra *conclusione* 3. est reiecta. Ad eius Argumentum dico, regulam illam melioris conditionis possidentis intelligendam necessariò esse, nisi ius debitam ob causam contrarium disposueris, & in hoc materia in textibus supra inductis ob maiorem reuerentiam Altaris statuta est irregularitas dubitandi, an commisit homicidium. Ad secundum dico, quòd pœnæ sunt restringendæ, quando non sunt expresse, sed dubiæ; at in capitibus prædictis expressè imponitur irregularitas dubitanti, an commiserit homicidium. Ad 3. Nago Antecedens. Ratio patet ex fundamento nostre tertiæ conclusionis.

Secunda sententia quamuis neget in foro exteriori irregularem esse reputandum dubitantem, an homicidium perpetrauerit; conclusione 3. est confossa; Ad eius fundamentum, quatenus id probat, dico, quod sic dubitantem debito fundamento iudex condemnaret ad pœnas irregularitatis in foro contentioso: fundamentum autem est decretum Ecclesiæ in iuribus allegatis pro Conclusione 3. Quòd si dicas, neque ius, neque iudicem posse pœnam imponere, nisi pro delicto certo; homicidium autem in eo casu dubium est. Resp. quòd licèt homicidium sit dubium, aliquod tamen delictum, ex quo ortum habuit dubium homicidij, inquantum causa talis homicidij in dubio, delictum fuit de facto, vt grauis percussio, vel quid simile, in quo fundatur dubiū homicidij.

Tertia sententia ex ea parte, qua negat dubitantem de homicido in foro exteriori esse condēnandum irregularem, conuenit cum secunda, & vera non est; & ad eius fundamentum idem dicimus, quod ad fundamentum præcedens.

Sententia quarta excedit, in eo quod dubitantem circa ius facit irregularem, cuius contrarium ostendit conclusio secunda. Ad eius fundamentum dico, quod dubio facti est expressa irregularitas in iure, non verò dubio iuris. Nec valet dicere, quòd militat eadem ratio eligendi in dubio partem tutiorem. Primò, quia irregularitas non incurritur ex similitudine causæ, nisi solum pro quo est imposita, vt dictum est. Secundò, illa causa non fuit adæquata, sed præcipuè fuit, quod qui dubitat, an homicidium fecerit semper per aliquid circa illam materiam sanguinis est operatus, ratione cuius indignus declaratur Altare, hanc verò causam ex natura rei suppositam Pontifices illo generali principio ornauerunt, nō tamen ideò vbicunque est tutior pars, irregularitas est censenda.

Sententia contraria post Conclusionem allata, eadem Conclusione fuit extincta. Ad primum eius Argumentum dico, Pontifices illi principio non irriti, tamquam obliganti generalitèr in omni materia, sed tamquam cōgruentia sui decreti, quo imposuit irregularitatem dubio de homicio propter specialem eius indecentiam ad sacras functiones. Quo autem sensu semper sit verum, quod in dubio tutior pars est eligenda; dix. sup. Ad Confirmationem nego Antecedens: Immò Pontifices in decretis citatis in odium homicidij statuerunt, vt etiam dubium de eo feriatur irregularitate, quibus decretis sublatans de homicidio nō esset censendus irregularis.

Ad secumdum Argumentum, concesso antecedente, nego consequentiam, & ratio, propter quam in alijs materijs leges etiam pœnales, quæ fauent bono Animæ, possunt ampliari; non verò in materia irregularitatis est; quia pena est adeò odiosa, vt de illa determinet ius esse asserendam ex consequentia, vel similitudine, sed solùm pro quo casu, pro quo expresse est imposita. Sic habatum *in cap. isqui de sententia ex communicationis in sexto*.

Ad tertium Respondetur, quod vt vidimus supra operari cum dubio speculatiuo, non est peccatum; cùm ergo nos dicimus, quod dubitans an sit irregularis vel quacūque censura ligatu ex cepto dubio homicidij, talè dubium est speculatiuum; compatiens hoc iudicium, non obstante hoc dubio, buod diligentia adhibita vincere non potui, licitè possum, me vt non irregularem gerere, & sic nullo se exponit periculo.

Petes 6. *An in dubio tam iuris, quàm facti, excommunicationis ouis suspensionis, vel Interdicti, aliquis censendus sit bis censuris ligatus; tam in forò conscientiæ quam exteriori.*

Idem quod de irregularitate disputauimus; inhuirimus in presenti circa ex communicationem, suspensionem, & interdictum. Circa euam difficultatem.

Prima sententia est, tam in dubio iuris, quā facti, & tam in foro conscientiæ quàm externo, dubitantem an sit ligatus excommunicatione, suspēsione, vel interdicto, ligatum esse censendum. Citantur pro hac sētentia Syluester verbo *absolutio* 3. *n.* 14. Corduba *lib.* 3. *q.* 6. & tenet Vasquez 1. 2. *disp.* 65. *num.* 9. & 13. & *disp.* 66. *cap.* 2. Proqua sit.

Primum Argumentum. In dubijs debemus amplecti partem tutiorem, quia aliàs nos exponemus periculò peccandi, de qua re sup. sed pars tutior est, vt in dubio te reputes censura ligatum,

abstinendo ab his, quæ censura expostulat, ergo debemus hanc partem amplecti.

Secundum Argumentum est ex iure; nam cap. *cum desideres* §. *secundæ quæstioni, de sententia excommunicationis*, consultus Pontifex, an communicare liceat cum eo, quem fama, vulgauerat percussisse Clericum? Respondet, ab eius communicatione abstinendum, *& cap. illud de clerico excommunicato ministrante*, iubet Pontifex deponi clericum audita suæ censuræ fama, celebrauit, cùm tamen vtrobique censura esset dubia, & rationem reddit Pontifex dicens quòd in dubijs tutior pars est eligenda.

Secunda sententia est, te esse ligatum in foro conscientiæ, & in foro exteriori, in quo non agitur ad infligendam pęnam, sed vt abstineas ab his, quę iure communi sic ligatis interdicuntur. Sic Abbas *cap. cum tu, in fine, de testibus*; Felinus *ibi in fine*, Angelus *verbo dubium, num.* 2. Armilla *ibi num.* 3. Vega *tomo* 2. *cap.* 15. *casu* 18. Vgolinus *de censuris, tab.* 1. *cap.* 14. *num.* 11. *&* 14. fundamentum primæ partis est idem, quod positum est pro sententia præced. secundæ verò partis est, quod pęna certa non est adhibenda delicto dubio.

Tertia sententia est, ligatum esse in foro interiori, non verò in exteriori. Sic Innocentius, Hostiensis, Henricus, Bellamera in cap. *iustū de testibus*. Fundamentum primæ partis est idem, quod positum est pro sententia precedentibus quod scilicet tutior pars est eligenda, in foro interiori. Secundæ verò, quod in foro interiori eligenda est pars benignior.

Quarta sententia est, in dubio iuris non esse ligatum, secus in dubio facti. Ita Sayrus *in claui lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. *&* 24. Azor *tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 10. *&* 11. fundamentum primæ partis est, quod in dubio iuris præualet possessio libertatis. Secundam partem probant, quia sic decernunt iura, licèt enim solùm loquantur expressè de dubio homicidij, & pæna irregularitatis, tamen rationem reddunt etiam censuris communem, & sic debent talia iura ad censuras extendi.

Conclusio 1. Si præmissa debita veritatis inquisitione iuxta Cōclusionē primā 1. q. maneas in eodem dubio, siuè iuris, siuè facti, tam in foro interiori, quam exteriori non censeris ligatus censura, & ideò non teneris abstinere à diuinis nec absolutionem querere. Ita Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10, *num.* 56. Ioannes Sanchez *disp.* 43. *num.* 46. Bonacina *de censuris, disp.* 2. *q.* 2. *puncto* 6. §. 2. *num.* 49. *& de peccatis quæst.* 4. *puncto* 7. *num.* 15. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 36.

Probatur primò: in pari causa, seù dubio, melior est conditio possidentis, sed in dubio censuræ homo est possidens ius communicandi cum alijs fidelibus, etiam in diuinis; ergo in dubio nō potest tali iure spoliari, obligando eum abstineri ab omni eo, quo censura priuat. Minor est regula 65. *de regulis iuris in* 6. de qua latè agimus *supra*. Secundò: quantum ad dubium iuris ex dictis satis probatur, vbi ostendimus, id in dubio iuris circa irregularitatem, & quantum ad dubiū facti probatur etiam ex dictis, vbi ostendimus in dubio facti non incurri pænam aliquam præter irregularitatem ex dubio homicidij, quia hæc solùm reperitur pro dubio stabilita in iure. Nec textus loquentes de illa debere extendi ad reliquas pænas, vel censuras.

Sequitur primò ex conclusione, quod quando dubitatur, an iudex tulerit sententiam censuræ contra aliquem, vel an impleta sit conditio, sub qua censura fuit lata, vel an Prælatus qui est in possessione ferendi censuras, habeat potestatem illas ferendi, talem sic dubitantem non censeri ligatum, quia præualet possessio suæ libertatis. Itē quando dubitat quis, an talia verba contineant censuram latam, vel ferendam, non censetur ligatus, quia tunc est dubium iuris, de qua re videantur Thomas Sanchez, & Bonac. locis citatis, pro Concl.

Sequitur Secundò, quòd quando dubitas, an fuerit clericus, quem percussisti, quàmuis percussseris sine timore clericatus, si tamen diligentia abhibita veritatem deprehendere non possis, manente dubio te non debere reputare excommunicatum. Et idem est de alijs censuris, vt si temerè, malaque fide sacros ordines suscepisti, dubitans, an haberes ętatem legitimam, si facta diligētia veritatem deprehendere non possis, sed manes cum eodem dubio, non es censendus suspensionem incurrisse. Tamen à Ministerio ordinum debes abstinere, donec certus sis de competenti ætate. Videatur Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 36.

Secunda conclusio. cùm aliquis dubitat, an censura lata sit iusta, seù procedat ex iusta causa, seù an imponens habeat ad hoc potestatem, si tamen est in possessione imponendi, aut an lata sit seruato iuris ordine requisito ad eius valorem, vel an cum intentione ligandi, vel solùm terrendi, in omnibus his casibus censendus es censura ligatus: sic communiter Doctores. Videantur Thomas Sanches *lib.* 1. *Decalogi, cap.* 10. *nu.* 57. Bonac. *de peccatis, disp.* 2. *q.* 4. *puncto* 7. *num.* 16.

Probatur, quia in hoc casu possessio stat pro censura: cùm constet illam latam esse. ergo, in quocunque ex propositis dubijs, dum durat, arbitrandum est pro censura iuxta regulam possidentis sæpè repetitam. Confirmatur. Nam in eo casu censura se habet vt reus, cui homo obijcit illos defectus, vt valorem eius euacuet, ergo dū non probat, & res manet sub dubio, censurę fauendum est, Patet Consequentia ex regula 11. *iuris in* 6. *cùm sunt partium iura obscura, reo fauendū est potius, quā actori. de que agimus supra.*

3. Conclusio. Quando constat de censura, sed dubitas, an sis absolutus ab illa, censendus es ligatus. Videantur Sanchez, & Bonacina *supra*. Probatur primò, quia sic definitur in cap. *sicut*, de sententia excommunicationis, vbi tenent illā Iurisperiti. Secundò quia tūnc possessio stat pro censura, cùm constet de ea, non de absolutione, qua ratione diximus supra, quod certus de debito, & dubius de solutione, tenetur soluere, quia debitum certum non satisfit, dubia solutione.

Tertiò quia absolutio est quid facti, factum autem non præsumitur, donec probetur.

Quarta conclusio, si dubium sit, an appellatio interposita sit ante sententiam latam, & per consequens impediat valorem, in dubio presumendū est censuram valere. Probatur ex cap. *sicut nobis, de sententia excommunicationis* vbi communiter canonistæ, & Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *num.* 57. *&* 59. Probatur 2. quia constat censuram esse latam, & non constat appellationem propositam precisè ergo censura posidet, quousque constet, cùm certæ obligationi censuræ non satisfiat dubia interpositione appellationis tempore opportuno. Si autem dubites, an lex imponens censuram

censuram sit acceptata, vel dirogata, vel dispensata, vel an detur excusatio sufficiens in omnibus his casibus censendus es censura ligatus, dum, huiusmodi effugia non constent. idem enim diximus de quacunque lege *supra*.

Sententia prima in principio huius quæsiti relata, inquantum ponit, indubio iuris reputandum esse ligatum, supra ostensa est falsa. Ad primum eius Argum. ex dictis locis in eo citatis dicimus, quod in dubio iuris tuta pars est, non se reputare ligatum, nec amplius exposcit illa regula debitè intellecta, aliàs si relicta via tuta, tutiorem petit, non est regula, sed consilium. secundò Resp. quòd illa regula non habet locum, cùm altera pars est in possessione, siuè sit in materia iustitiæ, siuè in quacunque alia; vt vidimus supra. Dubitans verò de lege censuræ, est in possessione suę libertatis; Vide, quę diximus supra,

Ad 2. Argumentum Resp. *in cap. cùm desideres*, non decidi reputandum esse aliquem in dubio censura ligatum; sed solùm excommunicationis notitiã per famam satisfecisse iuxta ius antiquum ad euitandum talem, sicut excommunicatum *vt ibi* tradit Abbas *n.6.* Item *in cap. illud*, vel illa fama plenè censuram probat, vt tradit Abbas *ibi n.* 4. vel saltem grauiter dereliquit, qui nondum præmissa veritatis indagatione temerè celebrauit, & ideò condemnatus fuit, vt notat Sãchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *num.* 36. Aliarum sententiarum Argumenta, quatenus aliqua possunt esse contra nostram doctrinam, facillimè ex dictis dissoluentur.

DVBIVM XXVII.

An subditus in dubio teneatur obedire Superiori, præcipuè cùm dubitat de bonestate rei præceptæ.

EX triplici capire oriri potest in subdito dubium circa Superioris obedientiam; Primò ex parte ipsius superioris, vt si dubitet de eius potestate & iuirsdictione, vt an sit ritè nominatus, vel electus, an confirmatus? an sit superior huius, cui præcipit? Secundò ex parte præcepti, vt an tale mandatum, vel præceptum impositum sit, an sit receptum, an obrogatum vsu, sublatum, vel dispensatum? Tertiò ex parte ipsius rei precepte, vt an sit licita, vel potius illicita, & ex cõsequenti talis, cui non possimus licitè consentire? De dubijs autem, quę ex duplici priori capite possunt suboriri, iam egimus supra, ostendendo, qualiter legibus debeamus obedire; est enim eadem ratio, & fusius, Deo concedente, dicemus in materia de legibus. Vnde fit, quod in præsenti solùm debeamus differere de dubio orto ex hoc quod subdito non apparet honestum, seù licitum id, quod superior pręcipit, in quo dubio ambigimus, quidnam sit faciendum.

Prima Conclusio. quando Superioris probitas, & scientia talis est, vt eius iudicio discrimen conscientię committi tutò possit, & pręcipit non ex abrupto præcipitanter, & in ira, sed seriò, & consultò, subditus debet deponere dubium de honestate rei pręceptę, & eo ipsò, quòd præcipit, honestum reputare, & tutè obedire. Si autem inconsiderate, & subitò pręcipit, & maximè in ira, vt suspicari possit honestatem rei non debitè perpendisse, debet ipsum adire, vt re maturius considerata ad eius consilium componat conscientiã, deposito dubio speculatiuo. Quòd si non talis sit superior, vel quocunque modo accessus ad eum non iudicatur conueniens, si executio pręcepti sine nota transgressionis differri potest, debet subditus interim Doctores consulere, & eorum consilio conscientiam dirigere; si tandem pręceptum exigat celerem executionem, itaut non sit spatium consulendi sine transgressione pręcepti, in tali casu non tenetur, immò non potest consulere.

Prima pars conclusionis huius est; quod quãdo superioris probitas, & scientia talis est, vt eius iudicio discrimen conscientię committi tutò possit, & pręcipit non pręcipitanter, & in ira, sed cõsultè, subditus debet deponere dubium, & eò ipso, quod pręcipit, rem pręceptam honestam iudicare, & tuta conscientia obedire. Sic Valentia *tomo* 3. *disp.* 7. *q.* 3. *puncto* 1. Nauarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 3. *dubio* 12. *num.* 261. 2 *&* 266. Thomas Sanchez *lib.* 6. *Decalogi, cap.* 3. *nu.* 19. Probatur primò, quia in eo casu habet verum mysticorum Theologorum doctrina, quod obedientia debet esse cęca; Pręlato enim incumbit videre, quòd imperet, qui pro subdito est in iudicio rationem redditurus; subditi verò munus non est, pręcepta superioris discutere, sed simpliciter obedire, deponendo dubia vti speculatiua, vt se practicè conformet Pręlato dirigenti. Secundò quia Prælatus probus, & doctus per se sufficiens est, vt eius consilio cuiuscumque indocti conscientia dirigatur; ergo multò magis vt dirigatur conscientia subditi, cùm hoc ipsum, quod præcipit consultò, sit quasi responsio ad similem interrogationem.

Secunda pars est, quod si Superior, & si probus, & doctus aliquid, de cuius iustiria dubitatur, præcipit inconsideratè subdito, seù in ira, vt suspicari possit subditus ad rei honestatem nõ satis attendisse, debet ipsum ad re, & re cùm ipso maturiùs discussa, iuxta eius consilium, & mandatũ componere conscientiam, & securè obedire.

Probatur primò, quia in hoc casu suppletur defectus considerationis in Prælato, & iam seriò, & maturo consilio procedit, & sic sine suspicione deceptionis. Secundò, quia tunc Superior ex vna parte præcipit, vt talis, iam maturo consilio; vnde est ratio prioris partis. Deinde est Doctor consultus, & vt talis respondet. Cùm ergo coniunganiur duo, quorum quodlibet per se sufficeret, scilicet præceptum superioris probi, & sapientis consultò datum, & consilium Doctoris cõsulti, vtique abundanter sufficient.

Tertia pars conclusionis est, quod si non talis sit superior, vel quocunque modo accessus ad eum, non iudicatur conueniens, si executio præcepti sine nota transgressionis differri potest, tenetur subditus interim Doctores consulere, & eorum consilio conscientiam dirigere. Sic Angelus verbo *bellum num.* 8. Syluester *verbo bellum,* 1. *q.* 9. *concl.* 3. *& verbo obedientia, q.* 2. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 13. *num.* 10. & quod in hoc casu examen debitum pręmitti debeat, tradunt Couaruuias regula *peccatum parte prima, num.* 5. *in* fine, & Thomas Sanchez *lib.* 6. *Decalogi. cap.* 4. *num.* 25.

Probatur primò, quia talis inquisitio veritatis bona quidem est, non enim dirigitur ad quærẽdas excusationes pręcepti, sed ad illud securius adimplendum, & ad certiùs deponendum dubiũ de honestate eius. Ergo non est contraria perfectioni obedientiæ, cùm actus bonus non contrarietur virtuti. Confirmatur, quia in casu, in quo

 loquimur,

loquimur, talis consultatio non obstat obedientiæ debitæ, cum ex illa non omittatur, nec eius perfectioni, quæ solùm requirit integram, & promptam executionem tempore debito. ergo dum non vrget tale tempus, sed datur locus inquisitioni, ratio dictat vt apponatur, ne cæco modo operetur, & fortè comperiet rem præceptam esse malam, & euitat malum illud, saltem materialiter contentum in præcepto.

Secundò probatur; Nam licèt munus inferioris non sit examinare Superioris præcepta, quando de illorum honestate non dubitat; sed posito dubio tenetur veritatem inquirere. Nam, vt sæpè diximus, dubitans an aliquid sit peccatum non potest operari sine examine, & dispositione, talis dubij prudenti, aliàs procedit cùm ignorantia culpabili, & exponit se periculo peccandi, atque adeò eoipso peccat, vt diximus supra. Confirmatur, quia præceptum Superioris non poterat esse efficacius præcepto diuino; sed qui dubitat, an hic, & nunc obliget præceptum diuinum, eo quòd alteri præcepto videtur repugnare, tenetur inquirere dubij solutionem; quantum possibile fuerit, vt diximus supra, ergo quando dubitat, an præceptum superioris repugnet diuino, multò magis tenetur de hac re inquirere.

Quarta pars Conclusionis est, quòd si præceptum exigat celerem executionem, itaut non sit spatium consulendi sine transgressione præcepti, in tali casu non debet, nec potest consulere. Probatur, quia eoipso quòd detineatur, ad consulendum, præceptum frangit, antequã habeat rationem sufficientem non obediendi.

Sed merito inquires; *si non est spatium consulendi, vel facta consultatione semper res manet in eodem dubio, quid, huiusmodi debeat facere, obedire, an omittere facere rem dubiam contra Præceptum? Ad hoc sit*.

Conclusio si dubitans de honestate rei præceptæ, vel an excedat præcipientis potestatem, & facta diligentia, seù consultatione sibi possibili, maneat in eodem dubio, tenetur, absolutè loquẽdo, obedire, conformando iudicium practicum conscientiæ iudicio præcipientis, etiam si præcedens dubium speculatiuè remanẽs repugnet. Dixi in conclusione, *absolute loquendo*, propter quasdam doctrinę Conclusionis limitationes in sequentibus conclusionibus apponendas.

Probatur primò: eam enim habet glossa, cap, *qui culpatur*, super verbum, *iniquitas* 23, *q*. 1. in quo capite Sanctus Augustinus, docet Regi quamuis iniquo bellũ indicenti sparãdum esse à subditis, dum iniustitia belli non constat; Ioannes Andreas, Innocentius, & alij quos refert, & sequitur Syluester *verbo bellum* 1. *q*. 9. *& verbo conscientia, quæst. vlt. & verbo obedientia, quæst*. 2. *& verbo religio*, 6. *q*. 6. Molina *tomo* 1. *disp*. 113, *concl*, 3. Azor *tomo* 1. *lib*. 2. *cap*. 19. *q*. 9 Petrus de Ledesma *tomo* 2. *tract*. 3. *cap*. 13. *concl*. 29, Nauarra *de restitut. lib*. 2. *c*. 3. *parte* 2. *dub*. 12, *num*. 152. Nauarrus *cap*. 23. *num*. 527. Sanchez *lib*. 6. *Decalogi*; *cap*. 3. *num*. 3. Lorca 1. 2. *disp*, 38. *&* 2. 2. *sect*, 3. *disp*. 53. *num*. 8. *&* 9. Toletus *de peccatis cap*. 15. *nu*. 6. Valentia *tomo* 2. *disp*. 2. *q*. 14. *puncto* 4. *& tomo* 3. *disp*. 3. *q*. 16. *puncto* 2. *& disp*. 7. *q*. 3. *puncto* 2. Sà *verbo bellum*, *nu*. 1. Sayrus *Claui lib*. 1. *cap*. 13. *num*. 4. Villalobos *tomo*, 1. *tract*. 1. *difficult*. 26 Ioãnes Sanchez *disp*. 33. *num*. 37. Garcia *de beneficijs, tomo* 2. *parte* 11, *capite* 5 *nu*. 366.

Secundò probatur. Nam superior in hoc casu habet pręcipiendi possessionem, & subditus obediendi; ergo melior est conditio superioris, à qua non potest expoliari propter dubium inferioris, vt patet ex regula possessionis sępè citata, de qua supra egimus. Confirmatur; nam Superior in hoc casu se habet vt reus, cui obijcitur iniustè præcipere; sed in dubio, & dum hæc iniustitia nõ probatur, fauendum est reo. Ergo dum iniustitia, vel excessus iurisdictionis non constat, obediendum est, Minor, & est regula 11. iuris in sexto, de qua supra ægimus.

3. Probatur. in dubio pro illa parte est arbitrandum, pro qua est præsumptio iuris; sed in hoc casu ius pręsumit pro iudice, quòd scilicet iustè pręcipit, dum contrarium non constat; ergo pro Prælato debemus iudicare. Minorem ex *cap. qui culpatur citato*, & alijs probat Couarruuias *regula peccatum parte prima, num*. 5. *in fine*. Confirmatur, quia vnum ex muneribus superioris est dirigere inferiorem, quando dubitat, ne erret, ergo subditus quãdo dubitat, debet subijci mandato superioris.

Quartò prob. quia in casu, de quo disputamus nullus inuenitur titulus honestans transgressionẽ præcepti superioris, ergo ea non est licita. Patet consequentia, quia ex se malum est non obedire superiori præcipienti. ergo vt desinat esse malum, requiritur causa honestans; & Antecedens probatur. Quòd enim dubites, an tale prę ceptum sit contrarium legi Dei, vel si excedens Prælati iurisditionem, te non excusat, cùm tibi incumbat onus hoc probandi quòd dubio non probas. quòd verò mandatum sit conforme legi, & rationi, non incumbit Prælato probare, cùm hoc semper presumatur, dum oppositum non constat: alias Prelati tenerentur subditis rationem reddere eorum, quę præcipiunt, Confirmatur, quia irrationabiliter subditus anteponeret suum dubium iudicio certo superioris.

Contra pręcedentem conclusionem non esse obediendum superiori, dum inferior dubitat, an res præcepta sit licita, censuerunt Adrianus *quod libeto* 2. *parte* 1. *&* 2. Vasquez 1. 2. *disp*. 66. *c*. 9. *concl*. 2. 3. *&* 4. *& de ordine iudiciali cap*. 7. *nu*. 12. Salas 1. 2. *tractatu* 8. *num*. 51. *num*. 157. *&* 183. Pro qua fit.

Primum Argumentum, Prelatus non est in possessione pręcipiendi res illicitas, vel excedentes eius potestatem, vt ex se patet. ergo subditus dubitans, an res sibi pręcepta sit licita, vel excedens eius potestatem, simul etiam dubitat, an superior illam præcipere possit, ac subinde repugnans tali præcepto, non spoliat superiorem possessione præcipiendi talem rem, quia nunquam superior habuit potestatem.

Secundum Argum. Pręceptum superioris non potest facere licitum, quod alioquin est illicitum sed operari quod dubitas esse illicitũ, illicitũ est: ergo facere quod superior præcipit, dũ dubitas, an sit licitum, non est licitum. Confirmatur. Nã operari cum conscientia dubia, est peccatum, vt dix. sup. sed conscientia dubia de re præcepta nõ potest deponi ex solo præcepto superioris; ergo manet conscientia dubia, cùm qua nõ potest operari. Minor probatur, quia ex solo præcepto superioris non videt subditus rationem, ob quam prudenter deponat conscientiam.

Sed quia conclusio est solida, vt vidimus, ideò ad 1, concesso Antecedenti, nego consequentiã;

Nam

Nam ex illo principio, Prælatus nõ est in possessione præcipiendi res illicitas, vel excedentes eius potestatem, rectè sequitur ergo subditus non tenetur obedire, quando præcipit res illicitas, vel excedentes eius potestatem. Non verò quod nõ teneatur obedire, quandò dubitat, an sint illicitæ, vel excedentes eius potestatẽ. Neq; etiã sequitur, quod subditus dubitãs, an res sibi præcepta, sit licita, vel excedens eius potestatem, simul etiam dubitet, an superior illam præcipere posfit. Immò debet iudicare, quod illam potest præcipere, quia potestas superioris ad præcipiendum non limitatur ex iudicio subditi. Habet ergo potestatem præcipiendi quæcumque sibi licita videntur, dum non constat de turpitudine, qua possessione non potest subditus propter suum dubium spoliare, quousque constet, vel esse licita, vel esse extra potestatem præcipientis.

Ad 2. Argumentum dico, quòd licet Prælatus non posfis facere suo præcepto licitum, quod ex se est illicitum; potest tamen facere, quod rectè videatur licitum, quòd videbatur esse illicitum. Sicut cùm quis ex ignorantia putat aliquid non licere, & Doctor illi ostendit esse licitum, facit quod tunc videatur licitum, & licitè operetur. sic piè Prælatus dum subditus est in dubio, an illa res sit licita, & diligentia facta, nil certi inuenit, suo præcepto illuminat, & dat principium, quo deponat conscientiam dubitantem, cum qua non poterat operari, & etiamsi dubium speculatiuè remaneat, efformat conscientiam rectam dicens: In dubio præualere debet Auctoritas, & iudicium Prælati, & eius mandatum, & ideò tuta cõscientia teneor obedire, etiamsi dubitem speculatiuè de iustitia rei præceptæ. Vnde ad confirmationem nego minorem. Nam teneri subditum deponere conscientiam dubiam, posito superioris præcepto, docent rectè Nauarro *cap. 16. nu. 4. & c. 23. num. 36.* Molina *tomo 1. disp. 11.* & Salas 1. 2. *tract.* 8. *num.* 268.

Ex præcedenti conclusione sequitur primò, quòd quoties valetudinarius, vel alio laborans impedimento, dubitat, an teneatur ieiunare, vel abstinere à carnibus, vel recitare diuinum officium; debet parere superiori præcipienti, ne ieiunet, ne abstineat à carnibus, ne recitet, quia præceptum superioris in eo casu est, te legis obligatione non teneri, atque adeò teneris ei obedire, Ita Soto *de secreto, membro 3. q. 2. concl. 1.* Salas *tract. 8. n.* 155. Thomas Sanchez *lib. 6. decalogi c. 3. numero* 10.

Sequitur secundò, quòd vt inferior teneatur obedire superiori, non est necessarium, vt certo constet inferiori rem præceptam esse licitam, & contentam intra potestatem præcipientis, sed sufficit, quod subditus non certò sciat illicitam esse, vel extra potestatem præcipientis: constat ex dictis. Videatur Valentia *tomo 3. disput 7. q. 2. puncto 2.*

Sequitur tertio, cessante præcepto, vel expresso, vel tacito; non licere subditis dubitantibus de rei honestate illam exequi, eo solùm, quòd nouerint suum superiorem sentire rem illam esse licitam, nisi talis esset auctoritas, & scientia superioris, vt ea ducti prudenter subditi iudicarent, esse probabilem eius sententiam, quia seclusis his dotibus, & præcepto, sola Prælationis auctoritas non facit opinionem esse probabilem, nec præbet sufficientem causam, ad deponendã Conscientiam dubiam, & idem est, si Prælatus vni præciperet, non alijs alij enim ex hoc nõ possent deponere conscientiam dubiam. Videatur Sanch. *lib. 6. decalogi* 1. 3. *num.* 18.

Petes 2. *An Inferior quando dubitat, an res præcepta sit licita vel contineat magnam difficultatem, vel molestiam aut damnum, vt diuturna abstinentia, longum iter, &c. teneatur cum tãto discrimine obedire.*

Conclusio. Quando inferior dubitat, an res præcepta sit licita, vel excedens præcipienti auctoritatem, si res præcepta continet magnã difficultatem, vel molestiam, aut damnum, vt diuturna abstinentia, longum iter, non tenetur subditus statim parere, quousque re maturiùs discussa, constet rem esse licitam, vel contineri sub potestate præcipientis: quod si facta inquisitione adhuc manet dubium, non tenetur cum tanto discrimine, manente dubio obedire. Probatur primo, quia sic docent Soto *de secreto, memb. 3. q. 2. conclusione* 1. Lopez 1. *parte c.* 56. Sayrus *in claui, lib. 1. c. 13. n. 40. & lib. 12. c. 16. n. 7. &* 18. Sanchez *lib. 6. decalogi c. 3. n. 23.* Salas *prima 2. tract.* 8. *num.* 154

Probatur 2. quia licèt possessio stet pro superiori; tamen pro inferiori stat dubium simul cum illa magna difficultate, quæ duo simul præponderant possessioni superioris, & fauent libertati subditi. Confirmatur primò quia non dictat recta ratio, vt subditus de facto subeat tã graue onus, propter præceptum humanum, de quo dubitatur, an sit validum. Confirmatur secundò, quia possessio fauet in dubio, quãdo iura partiũ sunt æqualia, at in præsenti non sunt æqualia, quia vltra dubiũ præponderat graue dãnũ notabile subditi.

Contra conclusionem hanc, quod in eius casu non obstante difficultate, & grauamine rei præceptæ, teneatur subditus obedire, vt probabile defendit Palao *tract. 1. disp. 3 puncto 13. nu.* 18. eius fundamentum est, quòd illa molestia, vel onus non est quid alienum à re præcepta, sed idem prorsus cum illa. ergo cum in casu dubij debeas obedire superiori propter possessionem præcipiendi, teneris obedire etiam, cum præceptum est molestum, & difficile, cùm etiam circa illud præualeat possessio superioris, aliàs nulla esset certa regula obediendi in dubijs. Sed cum molestia, & damnum si maximum est, vt vitæ, salutis, honoris, & totius rei familiaris etiam præceptum certum humanum casum reddat, quia non obligat cum tanto dispendio, vt communis fert sententia, non debet mirum videri, quod notabile damnum excuset à præcepto humano dubio iuxta nostram concl. quæ communis est, & vsu recepta, vt fatetur loco citato. Et ideò ad eius fundamentum ex dictis Resp. quod talis difficultas, vel incommoditas simul cum dubio præponderant possessioni, nec causa partium est æqualis.

Dices, *quid si superior præcipit aliquid sub conditione. de qua dubium est, an sit impleta.* Salas *tract. 8. n.* 177. dicit teneri subditum obedire, si potest sine magno incommodo; sed consequenter ad superiùs determinata dicendum est, in eo dubio subditum facta diligentia, non teneri parere, quia præsumendũ est conditionẽ nõ esse impletam donec oppositum constet. ergo obligatio non est non apposita conditione. Consequentia est bona, & antecedens probatur, quia impletio conditionis est factum; & factum non presumitur, donec probetur, vt de voto, iuramento,

mento, & promissione conditionatis diximus supra.

Petes 3. *Si simul dubitant subditus, & Pralatus de honestate rei praeceptæ, & id subdito cōstet, antequam legitimam adhibeant diligentiam ad discutiendum dubium, tenetur subditus obedire?*

Conclusio. Si simul dubitans, subditus, & Prælatus de honestate rei præceptæ, & id subdito constet, antequam legitimam adhibeant diligetiam ad discutiendum dubium, subditus nec tenetur, nec potest obedire. Post verò debitam diligentiam, si dubium perseuerat, probabilius est, quòd subditus tenetur obedire. Et si tandem dubitante superiore, inferior certus est, rem præceptam esse licitam, statim tenetur obedire.

Prima pars conclusionis, quod si simul dubitant subditus, & Prælatus de honestate rei præceptæ, & id subdito constat, subditus non tenetur, nec potest obedire, antequam adhibeant diligentiam ad discutiendum dubium. Sic Bannes 2. 2. *q.* 40. *a.* 2. *dub.* 6. Sanchez *lib.* 6. *decalogi c.* 3. *n.* 21. Petrus de ledesma *tomo* 2. *tract.* 3. *c.* 13. *concl.* 21. Rodriquez *tomo* 1. *cap.* 126 *concl.* 4. Salas 1. 2. *tract.* 8. *n.* 275. Palao *tractu* 1. *disp.* 3. *punct.* 13. *num.* 13.

Probatur primò. Tota ratio propter quam in dubio subditus licitè potest, & tenetur obedire præceptis in nostro casu est, quia superior petit sibi debitum ratione possessionis, ne scilicet in dubio priuetur possessione certa, sed cùm superior etiā incipit dubitare, an res præcepta sit licita, vel excedat limites suæ potestatis, non fauet ei possessio. ergo cessat obligatio parendi. Minor prob. quia potestas, in cuius possessione est superior, solùm est ad præcipienda ea, quæ ipse iudicat licita, & esse suæ potestatis. ergo non se extendit ad ea; quæ dubitat, an sit licita, vel an sint suæ potestatis.

Secunda probatur. Cum possessor bonæ fidei incipit dubitare de iustitia suæ possessionis, tenetur dubium examinare, & interim rem possessam non potest distrahere, vel consumere, & si noluit facere diligentiam incipit esse possessor malæ fidei, vt latè vidimus sup. ergo Prælatus quantocumque sit in possessione præcipiendi, si incipit dubitare, an aliquid possit præcipere tenetur diligentiam adhibere, vt exeat à dubio, & interim licitè non imperat: & si non vult diligentiam facere, non potest etiam præcipere; & si hoc constat inferiori, non potest ei parere.

Tertiò prob. Nam superioris est examinare rei, quam præcipit, honestatem, dum de illa dubitat, ne subeat periculum errandi, & dum moraliter non cōstat honestas rei præceptæ; nec præmisit debitam diligentiam ad eam dignoscendā, non potest illam præcipere, ne in imponendo præceptum, sit temerarius. Quare si sine debito examine præceptum imponat, subditus id sciens, nō tenetur obedire præcepto temerario,

Secunda pars conclusionis est, quod post debitam diligentiam si dubium perseueret tam in superiori, quàm in inferiori, probabilius est, quod subditus tenetur obedire. *Dixi probabilius est*, quia ex Doctoribus citatis pro præcedenti parte generaliter videntur sentire, in dubio vtriusque non esse obediendum, & aliquæ ex rationibus eorum id suadent; vnde probabile est; sed quod probabilius sit teneri nobis placet, de qua re videatur Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 14. *nu.* 11.

Probatur; in hoc casu Prælatus legitime præcipit, cum habeat præcipiendi possessionem, & dubitationem subortam vincere non possit: ergo dubditus tenetur ei obedire. Confirmatur primò, quia qui bona fide possidet, & incipit dubitare, si facta diligentia vincere dubium non potest; licitè manet in possessione. vtend. sup. ergo similiter in præsenti. Confirmatur 2. quia cōiux, qui bona fide contraxit, & postea incipit dubitare de valore matrimonij, licèt dum nō sit diligentia ad enodandum dubium, non possit petere debitum, facta tamen, & dubio manente, potest petere, & vti iure suo vt vid. sup. ergo idē erit in Prælato dubitante.

Tertia pars cōclusionis, est quòd nō obstāte superioris dubio ab inferiori cognito si inferior certus est, quod res præcepta est licita, tenetur obedire absque aliqua alia diligentia; quia in illa re verè debetur obedientia superiori, quamuis ille per errorem id nō cognoscat. sicut si aliquis rē suā apud me depositā per errorē credens nō esse suā, à me malè petat, nihilominus dum mihi constat suam esse, teneor reddere. Item dum alter coniux dubitat de valore matrimonij, & malè petit debitum; si alter scit Matrimonium esse validum, tenetur reddere. ergo idem est in præsenti. sic Couarruuias *lib.* 4. *Decretalium parte* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 6. Sanchez *lib.* 6. *Decalogi, cap.* 3. *n.* 21. Palao *tract. primo. disp.* 3. *puncto* 13. *n.* 11.

Petes 4. *Quando dubitas an id quod superior precipit, sit licitum, & ex obedientia timet aliquod detrimentum proprium, vel alterius, Vita, salutis, bonoris, bonorum fortunæ, &c. tenearis obedire.?*

Conclusio Quando dubitas, an id, quod superior præcipit, sit licitum, & ex obedientia times graue detrimentum proprium, vel alterius vitæ, salutis, honoris, aut bonorum fortunæ, vt si interrogat te de tuo, vel alterius delicto, & dubitas an iuridicè interroget? non teneris obedire, quando vertit in damnum alterius. secus verò est, quando solùm vertit in dannum tuum, tunc enim non teneris obedire, sed si vis, potes, quia tu potes cedere iuri proprio, sed non iuri alieno,

Prob. conclusio sic explicata auctoritate: nam eam tenent Soto *de secreto, memb* 3. *q.* 2. *concl.* 1. Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. *concl.* 3 Lodouicus Lopez *prima parte, cap.* 56. Vega *lib.* 4. *summæ, casu* 198. Corduba *lib.* 3. *q.* 6. Suarez 3. *parte, tomo* 4. *disp.* 40. *sect.* 9. *& disp.* 26. *lectione* 6. Aragon 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. Sayrus *lib.* 1. *cap.* 13. *nu.* 8. *&* 40. Rodriquez *in summa parte* 2. *cap.* 9. *verbo obedientia, conclu.* 5. *& tomo* 3. *regularium, q.* 19. *art* 3. *&* 6. Salas 1. 2. *tract.* 8. *num.* 153. Sanchez *lib.* 6. *decalogi, cap.* 3. *n.* 24. Lessius *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 10. *& cap.* 41. *n.* 77. Villalobos *tomo primo tractatu primo, difficult.* 26. *nu.* 1. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 13 *num.* 16.

Probatur 2. nam obedientia debita superiori, & possessio, quam ad hoc habet, non tollit ius, & possessionem tuam, vel alterius in bonis corporis, honorris, & fortunæ. ergo non erit rationi consonū, vt teneatis amittere possessionem istam in re magni momenti propter obedientiam, de qua dubitas, an in isto casu debeatur. Consequentia probatur 1. quia possessio tua, vel alterius est certa; possessio verò superioris in hoc casu est dubia: certum autem præualet dubio. 2. quia cum ex parte Prælati sit possessio, & ex parte similiter, in casu æquali videtur, quòd præualet possessio superioris, sed

sed si addat possessioni tuæ graue damnum; iam hęc pars prævalet, & præponderat alteri, maximè cum tua sit certa, & superioris præmatur dubio. 3. probatur, nam præcepta certa, etiam Ecclesiastica, non obligant cum graui detrimento: ergo multò minus preceptum superioris in dubio casu.

Contra præcedentem Conclusionem, in casu eius teneri subditum obedire etiam cum graui detrimento, tenet Ioannes Sanchez *disp. 43. n. 28.* Proqua sententia est primum Argumentum. Illud damnum quod timetur futurum, iam à superiori præuisum est, & illo non obstante precipit. ergo debes obedire. Prob. Consequentia, quia debes presumere, superiorem rectè præcipere, nec iudicium temerarium de Prælato habens. 2. Argumentum. Si tibi certò constaret, superiorem rectè precipere, tenebaris obedire. ergo etiam cum dubitas, an rectè præcipiat. Patet Consequentia, quia in vtroque casu est in possessione precipiendi, & tu teneris iudicare illum iustè precipere. Sed hæc non sunt multi momenti; & ad primum Argumentum dico, quòd & si præsumens, superiorem iustè precipere, cum autem de hoc non sis moraliter certus, sed dubius, non teneris possessionem tuam certam amittere propter possessionem dubiam superioris. Ad 2. nego consequentiam, quia causa dubia non æquiua et certo. Et si certa esset iustitia precipientis, eius possessio preualeret contra tuam, quia subijceres illi, sed eo, quod dubia, & tua certa, & detrimentum multi ponderis, faciunt iura partium inæqualia, in quo casu non preualet possessio.

Petes 5. ***An ea, quæ conclusionibus præcedentibus diximus de superiori, & inferiori, extendenda, & intelligenda etiam sint de Prelatis, & subditis Religiosis.***

Conclusio. ea, quæ Conclusionibus præcedendiximus de superiori, & inferiori, extendenda, ac intelligenda etiam sunt de Prelatis, & subditis Religiosi.

Conclusionem hanc tenent Auctores pro precedentibus citati, & quia generaliter loquuntur de superioribus, & inferioribus, & sic etiam comprehendendo etiam Religiosos, & quia vtrarumque est ratio: quia licèt requiratur eorum voluntas, & votum ad talem statum, sed eo suscepto, habet Prælatus iam ius præcipiendi, non solùm ratione voti, sed etiam ratione traditionis, & iurisdictionis à Pontifice manantes, quia illis, sicut & alijs fidelibus superiores etiam in spiritualibus assignandi erunt, quibus verè subsint.

Contra hanc Conclusionem. Religiosos in dubio non teneri obedire Prelatis falsis; tenet, vt probabilem Palao *tract. 1. disp. 3. puncto 12. nu. 7. & 8.* & probat primò, quia Religiosus solùm est subditus ratione votorum constituentium Religionem, ac proinde Prelatus nihil aliud præcipere potest, nisi ea, quibus Religiosus per obedientię votum voluit astringi. ergo in dubio Religiosus non tenetur obedire. Nam, vt docet communis sententia, nemo tenetur id exequi, de quo dubitat, an sub voto suo comprehendatur.

Confirmatur primò, quia licèt vota Religiosi traditionem habeant adiunctam, ratione cuius Religio ius habet, & dominium in Religiosum, quo possit illum cogere ad obediendum in casu dubio, cum melior sit conditio Prælati possidentis suam potestatem. Tota autem hæc possessio principium habet ex voluntate Religiosi, quare solùm extenditur ad id, quod voluntas Religiosi voluit extendi. Cum ergo voluntas Religiosi numquam videatur ad casum dubium extensa, consequens est in illo non obligari.

Confirmatur secundò, quia & si iurisdictio superioris in Religiosum non sit accepta per votum, sed à Pontifice, qua non videtur priuandus in casu dubij: tamen hanc ipsam iurisdictionem non habent Prælati regulares, ad alias materias, præter eas, ad quas se vota Religiosorum extenderunt, sed numquam extensa fuerunt ad res dubias. ergo neque ad tales res dubias extenditur iurisdictio Prelatis regularibus à Pontifice concessa, quę radicatur in votis Religiosi.

Secundum Argumentum. Actus voluntarius præsumitur ita gestus, vt minus sit onerosus agenti vt probat Menochius *lib. 6.* præsumptione q. ergo non est presumendum votum extendi ad obedientiam in casu dubij.

Confirmatur 1. Nam in declaranda obligatione debet fieri stricta interpretatio, vt patet 1. *quidquid astringenda §. de verborum obligationibus & cap. ex parte de censibus*. Vbi Abbas *num. 2. & 4.* dicit, præsumi vouentem re minus, quam possis grauare. ergo non debemus censere ad casum dubij se vouentem extendisse, nec iurisdictionem à Pontifice traditam, cum solùm iurisdictionem conferat ad ea, ad quæ se voluntas vouentis extendit.

Secundum Confirmatur ex differentia legis, & voti. Nam obligatio legis cum oriatur ex potestate superioris, ex eius iurisdictione metienda est. At obligatio voti, ac subinde præcepti dimanatis ab illo, cùm pendeat ex intentione vouentis, & hęc duntaxat extendatur ad materiam certam, quoties aliud non constet, ad casum dubium non extenditur.

Sed hæc sententia, licèt probabilitatem habeat respectu illis, qui extra Religionem per votum simplex obedientiæ se subdidit Confessario, vel alteri, respectu cuius potestas gubernantis limitanda sit iuxta votum, & intentionem vouentis, vt censet Suarez *de Religione tomo 3. lib. 10. c. 3 n. 6.* Sed loquendo de veris religiosis, censeo esse singularem, improbabilem, & perniciosam, quia periculosum est introducere, quod potestas Prelat. limitanda sit iuxta intentionem vouentis solemniter Religionem. Vnde standum est Conclusioni.

Vt autem quę longè pro illa proposita sunt, subditus euertantur, aduertendum est, quòd Prelati Religionum vltra potestatem, quam habent ex traditione subditorum per vota, habent à sede Apostolica supra suos per Religiosos potestatem Iudicis, & Prælati, seu superioris, similem illa, quā Episcopi habent in suos Clericos, vt iudices, & Prelati eorum. Hoc autem ex eo patet quòd in primitiua Ecclesia religiosi erant subditi Episcopo Diœcesis, vbi morabantur; sicut alij seculares clerici vt patet *ex cap. qui verè 16. q. 1.* & ex Concilio Toletano IV. *cap. 50.* & ex Conc. Calcedonensi *cap. 4.* & tradit S. Thom. *2. 2. q. 186. art. 5. ad tertium*.

Vnde tunc superiores Conuentuum solùm habebant potestatem illis per vota, subditorum data, nisi forte Episcopi communicarent alijs maiorem iurisdictionē: sed postea sedes Apostolica varijs priuilegijs Religiones exemit à iurisdictione Episcoporum, & immediatas constituit Sedi Apostolicę, & potestatem Episcoporum transtulit in Prelatus dictarum Religionum, & ideò iam Prelati

lati vltra potestatem traditam per vota, quæ fortassis possent iuxtà vouentem intentionem rectè limitari, habent potestatem puniendi subditos, vt iudices, & gubernandi, & præcipiendi, vt verè Prælati succedentes loco Episcoporum: & hæc potestas neque dependet ex votis, nisi vt ex conditione ad ingressum Religionis, neque commensuratur illis, neque data est à Sede Apostolica iuxta intentionem vouentis. Sed generali ratione, qua istæ oues debent habere superiorem, & si non Episcopum, alium eiusdem auctoritatis. Ex quo certo fundamento ruunt omnia argumenta pro præfata sententia.

Ad primum nego antecedens. Religiosus enim non solùm est subditus ratione votorum, sed quia Sedes Apostolica potestatem Episcoporum super illos transtulit in Prælatos. Ex hac doctrina ad primam Confirmationem dico, quòd licèt votũ Religiosi sit conditio, sine qua non est Religiosus, nec Prælato Religioso subditus, sed radix iurisdictionis Prælati non inde pensanda est; sed ex iurisdictione Episcopi, quam in Prælatos Religionum Papa transtulit, quia sine Prælato non debebant manere istæ oues. Secundum Argumentum cum suis Confirmationibus procedit ex intentione vouentis, vnde non sunt ad rem, quia non inde habet vim Prælati regularis auctoritas, vt dictũ est.

DVBIVM XXVIII.

De dubitantibus circa confessionem.

TRes se offerunt casus dubitantium in ordine ad confessionem. Primus est, cùm quis dubitat de Auctoritate Confessoris. Secundus, cùm dubius est circa aliquod peccatum mortale. Tertius est, cùm est dubius, an casus sit reseruatus, vel si certum est, esse reseruatum, dubitat, an extet Priuilegium, quo absolui possit, de quibus dicemus suo ordine.

Sit conclusio. Per se loquendo, non licet confessario, nec pœnitenti vti iurisdictione dubia. In casu verò magnæ necessitatis, vel ad euitandum scandalum possunt tali iurisditione vti sub conditione.

Prima pars conclusionis, quòd scilicet per se, & sine graui necessitate, non licet confessario auctoritatis dubiæ confessionem ministrare, nec pœnitenti absolutionem ab illo accipere, est communis sententia, de qua videatur Suarez 3. *parte puncto* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp.* 8. *dub.* 2. *in fine* & probatur, quia vterque irrationabiliter exponeret se periculo non solùm non efficiendi Sacramentum, sed efficiẽdi sacrilegium, nam si fortè non adest iurisdictio, non efficiunt Sacramentum, & efficiunt sacrilegium.

Secunda pars est; quòd in casu magnæ necessitatis, (vt si instat longa nauigatio,) non adiit habens auctoritatem certam, vel cùm ex hoc, quod aliquid non celebret, vel communicet, instet scãdalum, & non adest alius Confessor, tunc posset audire talem confessionem, & absolutionem sub conditione expressa, vel intellecta, si possum, vel habeo iurisditionem, impendeo, etiam videtur certam. consulantur Doctores citati pro præcedenti parte. Et prob. quia positis his duabus conditionibus, actus manet rectus. Nam necessitas est causa, quòd non fiat temerè, nec ex mæra, & irrationabili voluntate. Deinde conditio, sub qua confessor vtitur tali iurisdictione, tollit periculum, nam si adest vera iurisdictio, fit Sacramentum; si verò deest, non fit iniuria Sacramento, quia conditionalis nil ponit in esse. Confirmatur, nam aliquando non solùm erit licita talis Confessio, sed etiam obligatoria, vt si instet necessitas celebrandi, & reus peccati mortalis nõ habet alium confessorem, tunc enim non sufficit conteri, quia tenetur præmittere confessionem. verum est, quòd post talem confessionem habita copia Confessoris indubij, tenebitur confessionem iterare, propter dubium, an præcedens fuerit legitima, si autem iurisdictio Confessoris non sit rigorosè dubia, sed probabilis, diximus de hac re disp. præced. quæ breuiter dicta sufficiant pro nunc, nam de hac re ex professo disputare pertinet ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Petes 1. *Qui dubio negatiuo dubitat, an commiserit aliquod lethale peccatum, vt an consenserit delectationi libidinosæ, vel vindictæ teneatur id peccatum vt dubium confiteri.*

Conclusio est Affirmatiua. Prob. primò, quia sic docent Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *& dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Paludanus *ibi q.* 2. *fine.* Ricardus *dist.* 16. *art.* 5. *q.* 1. & Soto *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. Medina *codice de confessione, quæst. de confessione facta prauo Sacerdoti.* Syluester *verbo confessio* 2. *q.* 2. Victoria *nu.* 130. Nauarrus *cap.* 9. *num.* 14. Suarez 3. *parte, tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 9. *num.* 1. *&* 7. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 4. *nu.* 5. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *nu.* 67. Azor *tomo* 1. *lib.* 1. *cap.* 4 *q.* 3. *verbo confessio, nu.* 7. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 108. Bonacina *de Sacramentis, disp.* 4. *q.* 6. *puncto* 1. *num.* 12. *& disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *puncto* 2. § 3. *difficult.* 4. *n.* 4. Diana 3. *parte, tract.* 8. *resol.* 80.

2. Prob. si aliquod obstaret quominus in tali dubio dubitans teneretur, peccatum mortale cõfiteri, maximè possessio suæ libertatis, & sanæ, quã dubitans habet, à qua possessione non debet deturbari per dubium, quia in dubio melior est cõditio possidentis, ex regula iuris, de qua supra egimus; sed hæc ratio non obstat; ergo confitẽdum est. Minor probatur. Conditio possidentis præualet in dubio quando aliquis obligatur ad aliquod excedens dubij limites, sed in præsenti conclusione non obligatur dubitans ad aliquid vltra dubij limitem, cum solùm obligetur peccata aperire sub dubio, quod habent.

3. Prob. quia in Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. solùm excipiuntur à confitendi necessitate peccata venialia. ergo peccata dubia censentur confitenda. Quartò probatur. Lex quantumcunque pœnalis, & odiosa sit est amplianda, quando ordinatur in animarum salutem, atque fauorem ad euitanda peccata; sed lex confessionis integræ est in fauorem animarum ad delenda peccata. Ergo dato, esset odiosa, & pœnosa, debet extendi, vt etiam peccata dubia deleantur, si fortè commissa sunt.

Quod verò hæc peccata debeant confiteri, vt dubia, & non vt certa, probatur, quia peccata sunt detegenda confessario, vt sunt in Conscientia: cùm ergo in conscientia sunt dubia, sic aperienda sunt, præcipuè quia si vt certa confitentur, confitens mentitur in re graui. Vnde sequitur quod si postea recordetur confitens se tale peccatum commisisse, debet illud iterum vt certum confiteri, eo quòd cum iam hoc peccatum sit certum, non sufficienter est confessum vt dubiũ,

eo

eo quòd iam modò aliter est in Conscientia, & sicut est, debet confiteri, de qua re videantur Auctores, quos citat Diana *parte 3. tractatu 8. resolut. 91.*

Contra hanc conclusionem, quod peccatum mortale dubium nemo teneri confiteri docere videntur Henriquez *lib. 8. cap. 45. n. 39.* Coninch *de Sacramentis, disp. 7. dub. 8. n. 6.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 31.* Pro qua sententia est.

Primum Argumentum; quia Tridentinũ sess. 14. *cap. 9.* & 4. *canone* I. ad integritatem confessionis solùm requirit, vt pœnitens dicat omnia peccata mortalia quorum post diligentem discussionem conscientiam habet. ergo non exposcit confiteri peccata dubia.

2. Argumentum. In dubio potior est conditio possidentis suam famam, & libertatem; Item in dubio, delictum præsumi non debet. ergo ex vtraque ratione non tenetur peccata confiteri dubia. Confirmatur. Nam in nullo foro possumus aliquem accusare, vel condemnare propter delictum dubium, cùm iniustum sit pro culpis dubijs certam adhibere pœnam *ex capite graui 23. q. 3.* ergo neque in foro Penitentiæ.

Sed hęc sententia non est admittenda, vt probabilis practicè, tùm rationibus adductis pro cõclusione; tum quod in re tanti momenti vsus totius Ecclesiæ stat in contrarium, nam omnes timoratæ conscientiæ in dubio confitentur, an consenserit, vel non cogitationi libidinosæ, vel motui iræ, & vindictę &c. Et ad primum ex his Argumentis dicimus, quòd licèt in eo loco Tridentinũ id non definiat; sed colligitur ex eodem loco, vt pro concl. adduximus. Ad secundum dico ex secunda probatione conclusionis, quòd non est contra possessionem confiteri in dubio, quod dubium est. Nec præsumitur actus; sed dubius exprimitur, & iuxta quartam probationem conclusionis, cùm hæc sit causa pia, & fauorabilis Animę, extendi debet.

Petes 2. *Qui scit peccatum commisisse, dubitat tamen, an fuerit Mortale, vel Veniale; An teneatur sub hoc dubio confiteri?*

Conclusio. qui scit peccatum commisisse, dubitat tamen, an fuerit mortale vel veniale, tenetur sub hoc dubio confiteri.

Probatur primò. sic enim sentiunt S. Th. *in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3.* Alensis, Paludanus, Angelus, Armilla. Rosella, Syluester, Tabiènna, Soto, Nauarrus, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi cap. 10. num. 66.* Suarez *3. parte, tomo 4. disp. 22. sect. 9. num. 1. & 2.* Pettrus de Ledesma *de pænit. cap. 10.* Toletus *lib. 3. cap. 7. num. 6.* Sà *verbo confessio, num. 7.* Azor *tomo primo. lib. 11. cap. 4. q. 3.* Bonacina *de Sacramentis, disp. 4. q. 6. puncto 1. num. 12. & disp. 5. q. 5. sect. 2. puncto 2. difficult. 4. n. 1.*

Secundò probatur rationibus pro concl. præced. adductis, & insuper, quia in dubijs est eligẽda pars tutior, quando possessio non fauet dubitanti, sed in pręsenti pars tutior est, ea peccata dubia confiteri, cum confitens nullum subeat periculum confitendo, nec extrahat à sua possessione, cùm non petat confessionem nisi sub dubio, quo pacto sunt peccata, ergo in dubio confiteri debent.

Tertiò prob. quia in hoc casu possessio non fauet dubitanti, nam potius possidet pręceptum possessionis, quod pręcipit, vt peccata aperiantur eo modo, quo sunt in conscientia; sed penitens scit in sua conscientia, esse peccata dubia: ergo vt dubia tenetur confiteri.

Petes 3. *Qui scit se peccasse mortaliter, sed dubitat, an illud peccatum confessus fuerit, nisi dubium rationabiliter deponat; an teneatur illud confiteri.*

Conclusio. Qui scit, se peccasse mortaliter, sed dubitat, an illud peccatum confessus fuerit, nisi dubium rationabiliter deponat, tenetur illud confiteri. Dixi, nisi dubium rationabiliter deponat, quia sunt plures, qui cùm nõ possint certò recordari de Confessione singulorum peccatorum, quæ in decursu Vitę commiserunt, statim de omnibus dubitant, an sint confessa, & iterum confiteri volunt, sepius, & confessores scrupulis vexantes, qui ex hoc ipso, quod de omnibus, vel pluribus dubitant, satis indicant esse scrupulum, non verũ dubium, ad quod non sufficit, quòd quis non recordetur se id confessum fuisse, cùm meritò credere debeat, se confessum fuisse de omnibus mortalibus, nisi sint rationes speciales dubitandi, vt quod ita memoria exciderat, vt per plures annos talis peccati non habuerit memoriam, quod pro illo tempore non reputabat hoc esse mortale, vel quod simile.

Prob. primò conclusio; quia sic censent generaliter Doctores citati pro conclusionibus pręcedentibus, sed specialiter Nauarrus, *cap. si quis autem, de pænitentia, di st. 7. nu. 77.* Suarez *3. parte, tomo 4. disp. 22. sect. 9. num. 2.* Thomas Sanchez *lib. 1. Decalogi, cap. 10. num. 71.* Salas *1. 2. tract. 8. num. 69.* Coninch *de Sacramentis disp. 7. dub. 9. num. 69.* Probatur 2. quia certus es de obligatione confitendi; & dubius, an satisfeceris, in quo casu debitorem teneri restituere, ostendimus in superioribus.

Circa pręcedentes Conclusiones aduerte primò cum citatis Doctoribus. quòd verum habent etiamsi dubitans propẽdat magis intra dubij ambitum, in vnam partem, quam in alienam. Verbi gratia, quod peccatum non fuerit, quod non fuit mortale, quod iam confessum est. Quoniam cum maneat dubius, concludunt rationes factæ & parum magis declinare ad vnam, quam ad aliã partem pro nihilo reputatur. Secundò Aduerte, quòd si dubius es, an Confessio fuerit valida, aut irrita, siuè ex parte confessoris, siuè ex parte pęnitentis teneri eam iterare, eo quòd iuxta dicta, obligatio valide confitendi est certa, & solutio huius obligationis dubia.

Secunda conclusio. Si dubium est, an Casus sit eseruatus vel priuilegium concessum, vt ab reseruato absolueris; durante dubio Casus non cẽsetur reseruatus, neque priuilegium concessum. Ratio primi est, quia dubium reseruationis casus, est dubium legis reseruantis, in dubio verò legis non teneris lege. Ratio secundi est, quia reseruatio, seu quælibet alia lex exposcens dispensationem, si certa est, possidet, & obijcienti priuilegium, quo eximatur, incumbit probare, & dum nõ constat de priuilegio, seruanda est lex.

DVBIVM XXIX.

De dubijs circa Tempus, vel Horam ad aliquid requisitis.

ALiqua sunt, quæ petunt determinationem ætatis. vel temporis, vt vigesimum primũ annum expletum præceptum ieiunando, vigesimũ

primum expletum Ordo subdiaconatus, & vigesimum quartum expletum Ordo Sacerdotij. Itē hora duodecima noctis, vt ante illam possit cenare quando sequens dies est Ieiunij, vel post illam, quando præsens dies ieiunij est. Item quòd post horam noctis duodecimā non comederis, vt possis die sequente communicare, & plura sunt similia. Dicemus ergo de his suo ordine, vt ex his alia similia notata maneant,

Prima conclusio. dubitans, an expleuerit vigesimum primum ætatis annum, non tenetur legi ieiunij. sic Thomas Sanchez *de matrimonio*, *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 28. Ioannes Sanchez *disp.* 43. *nu.* 6. & 7. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 33. & 35. Bonacina *de restitutione, disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. §. 1. *num.* 11. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 8. *num.* 7. Ratio est, quia sic dubitans, à natiuitate sua est in possessione non ieiunandi: ergo vt per legem ieiunij à tali deturbetur possessione, debet constare habere expletum annum vigesimū primum, in quo lex incipit obligare, & durante dubio, arbitrandum est pro possessione, quòd ieiunare non tenetur.

Secunda conclusio, Dubitans, an attigerit ætatem a Sacris Canonibus institutam ad Sacros ordines, vel beneficia obtinenda, non potest huiusmodi obtinere, donec certificetur attigisse talem ætatem. Sic omnes, qui citati sunt pro conclusione præcedenti. Et ratio est, quia sic dubitans à natiuitate sua probabilibus est legē expostulare certam ætatem ante illam prædictam recipere. ergo lex est in possessione prohibendi, & hunc in possessione prohibiti, ergo quousque constet talem ætatem expleuisse manente dubio, lex est in possessione prohibendi, & homo prohibitus.

Petes 1. *Si in die, quo decet cenare, vel Carnes comedere, sed sequens dies est ieiunij, aliquis dubitat, an hora duodecima noctis insonuerit, possit cenare, & vesci Carnibus.*

Conclusio est Affirmatiua, idest; si in die, quo licet cenare, vel carnes comedere, sed sequens dies est ieiunij, aliquis dubitat, an hora duodecima noctis insonuerit, potest cenare, & vesci carnibus. si autem è contra in die ieiunij, cui succedit dies non prohibitus, dubitet an sit hora duodecima noctis, nec vesci carnibus, nec cenare poterit, quousque certificetur esse horam duodecimam sic Thomas Sanches *de matrimonio*, *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 40. Ioannes Sanchez *disp.* 43. *num.* 5. & *disp.* 42. *num.* 3. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 36. Bonacina *de restitut. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. § 1. *num* 8. & 10. Salas 1. 2. *tract.* 8. *nu.* 264. Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *difficult.* 21. *nu.* 6. & 7. quia aduertunt, tunc horam esse duodecimam, cùm eius primus pulsus sonat. Ratio autē vtriusque partis conclusionis est. Nam possessio præualet durante dubio, quousque de contrario constet; sed cùm est dies edendi carnes: & sequitur vigilia, homo est in possessione cænandi, & edendi carnes: ergo dum rationabiliter dubitat, an sit hora duodecima, licitè potest cænare, & comedere Carnes. E contrario verò, quando est dies ieiunij, & sequitur dies Carnis, ieiunium est in possessione ligandi hominem, vt non cęnet, vel carnes comedat; & homo est tali lege astrictus. ergo in dubio, & dum non venit certitudo, quòd transactus sit talis dies, præualet obligatio ieiunij, & homo nec cenare, nec carnes comedere licitè potest.

Petes 2. *Qui dubius est, an comederit, vel biberit post duodecimam horam noctis, vel an lauans os aliquid per modum potus deglutierit, possit communicare.*

Conclusio; qui dubius est, an comederit, vel biberit post duodecimam horam noctis, vel an Lauans os aliquid per modum potus deglutierit, probabile est, quod possit communicare, & similiter, quod non potest illo die cōmunicare. Primam partem, quòd scilicet possit communicare sic dubitans, tenent Medina in summa in declaratione tertij præcepti Ecclesiastici §. 42. Ioannes Sanchez *disp.* 42. *nu.* 1. & 9. Franciscus Ortiz Lucius *in quarto præcepto Ecclesiæ*, & Sà verbo *Eucharistia*, n. 28. in editione Complutensi, dum liberalius dicit, *traiectum aliquod contra Volūtatem, vt parum aquæ, dum os abluitur, non impedit communionem.* ergo à fortiori neque quando dubium est.

Probatur primo. Vnusquis fidelis est in possessione communicandi, dum non adest legitimū impedimentum. ergo in dubio an sit, vel non sit tale impedimentum comestionis, vel potus, poterit communicare. Patet consequentia; quia in dubio melior est Conditio possidentis, ne propter dubium deturbetur à possessione, vt ostendimus supra.

Secundò probatur. Qui cenat carnes die Iouis, dubitans, an sit hora duodecima noctis, non aduersatur pręcepto abstinendi à Carnibus, quia dubium est, an tale præceptum vrgeat, cùm hoc dependat ab hora dubia. ergo similiter comestio, vel potus dubius non aduersatur præcepto ieiunij ad communicandum, quia dubium est, an vrgeat tale præceptum.

Confirmatur. Si quis haberet pręceptum ieiunandi crastina die ieiunio naturali, sine vllo prorsus potu, & cibo, & hodie dubitans, an sit hora duodecima noctis, comederet, talis comestio, ieiunium naturale non violat, vt ex dictis manet clarum, quia pro tunc non possidet præceptum ieiunij, sed libertas hominis. ergo similiter ex tali comestione cum dubio horę duodecimæ non redditur inhabilis ad communicationem. Patet consequentia, quia solùm potest reddi inhabilis, inquantum intelligitur ieiunium naturale soluisse, at per illam comestionem, non intelligitur ieiunium naturale soluisse; vt probatum est.

3. Probatur. Coniux, cui post contractum matrimonium superuenit dubium, an matrimonium validum, facta sufficienti diligentia, si manet dubium potest petere debitum, quia ante dubium erat in possessione petendi, & propter dubiū non potest tale possessione priuari, vt vidimus supra. sed cui dubium superuenit, an comederit post duodecimam horam, vel an lauans os aliquid deglutierit, erat in possessione communicādi. ergo à tali possessione non debet propter dubium deturbari.

Secundam partem, quòd scilicet sic dubitans, communicare non possit, tenent Thomas Sanchez *lib.* 2. *matrimonij*, *disp.* 41. *num.* 40. Salas *tract.* 8. *de conscientia*, *nu.* 264. Bonacina *de restitut. disp.* 1. *q.* 2. *puncto* 2. §. 1. *num.* 8. Villalobos *tomo* 1. *tract.* 1. *difficul.* 21, *num.* 7. Palao *tract.* 1. *disp.* 3. *puncto* 8. *num.* 9.

Prob. primò. Pręceptum sumendi Eucharistiā ieiunè semper obligat. ergo si cum accedis ad sumendam Eucharistiam, dubitas, an sis ieiunus, dubitas, an pręcepto sumendi Eucharistiam ieiunè aduerseris. At operari cum conscientia dubia in

bia in materia peccati peccatū est, vt vidimus sup.

Confirmatur, quia si aliqua via posses in hoc casu excusari à peccato, maximè quia es in possessione communicandi, à qua non potest detrahi, nisi dum constet esse impedimentum, quod in dubio non constat, sed talis possessio est pro te, sed potiùs pro precepto accedendi ieiune. Ergo in dubio non potes accedere, donec certo scias te esse ieiunum. Minor prob. nam præceptum accedendi ad Eucharistiam ieiunè antecedit libertatem hominis, & possidet contra eam, ergo, vt possit rectè accedere, debet certus esse, quod est ieiunus.

Secundò prob. Qualitas non præsumitur, nisi probatur, vt docet Menochius *consil.* 35. *num.* 31. *& consil.* 1. *num.* 121. ergo homo non præsumitur ieiunus, nisi probet, sed dum est dubius, non probat. ergo non censetur ieiunus.

Probatur 3. Vnusquisque probare debet fundamentum suę intentionis, aliàs succumbet *l. ei, qui dicit* ff. de probationibus, *l. actor quod asseuerat.* C. de probationibus. & tradunt Decius *consi.* 564 *num.* 1. Socinus iunio *consil.* 11. *num.* 3. *lib.* 1. Mascardus *de probat. verbo qualis consil.* 1253. *num.* 3. *&* 4. sed fundamentum exigētis Eucharistiam est, quod sit ieiunus à culpa in anima, & in corpore à Cibo, & Potu. ergo dum non probat hoc fundamentum, non potest ad Eucharistiam accedere.

Ad Argumenta pro aliqua ex his partibus cōclusionis adducta, qui contrariam voluerit defendere, ex fundamentis partis, quam defendit, poterit de facili satisfacere.

Disputatio Quarta De Conscientia Scrupulosa.

DVBIVM PRIMVM.

Quid sit Conscientia Scrupulosa, & Scrupulus

Conscientia Scrupulosa à scrupulo denominatur. scrupulos autem in proprietate sermonis capillum paruum, asperum, qui in calceo latens plerumque nos lędit, pressusque dolores creat, significat: est enim diminutiuum à nomine, *scrupulus*, quod significat capillum exiguum pedes ambulantium offendentem. Ex prædicta autem propria significatione per translationem, & metaphora deductus est scrupulus ad alias significationes. Et omisso, quod quandoque mēsuram metiendi terras significat, teste Columella *lib.* 5. *cap.* 1. & quod frequenter sumitur pro exiguo pondere, apud medicos, & pharmacopolarios. Communiùs sumitur pro solicitudine, & difficultate: ait enim Cicero pro sexto Rosc. *homo mihi ex animo scrupulum euelle, qui medies, noctesque stimulat ac pungit.* sed adhuc in pręsenti significatione sumitur pro solecitudine, remorsu, seù formidine peccati, & sic dupliciter. Primò pro remorsu, & anxietate certi peccati, qua ratione dicitur 1. Regum 25. 31. Non erit tibi hòc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium. secūdò autem pro formidine, & hæsitatione, nè fortè aliquid fuerit, sit, vel futurum sit peccatum, & hac ratione frequentissimè Thèologi, & nos inpręsenti vtimus hac Voce. *Scrupulus.*

Definitur autem communiter scrupulus, quòd sit formido, & suspicio, quę ex leuibus principijs animum cruciat, an aliqua res sit peccatum, quæ peccatum non est. sic Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 2. Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12. *sect. vltima. n.* 1. Vasq. 1. 2. *disp.* 67. *cap.* 2. *num.* 8. Martinez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 7. *in principio*, *&* Corneio *tract.* 8. *disp vltima inprincipio.* In qua definitione, genus est, *formido, & suspicio, quæ ex leuibus principijs, vel fundamentis animum cruciat.* Per quod distinguitur à certa notitia cuiusuis mali, quæ licèt cruciet, sed non ex leui fundamento. Conuenit autem cum formidine, & suspicione aliorum damnorum ex leuibus fundamentis desumptis. Distinguitur verò per hanc differentiam, *an aliqua res sit peccatum?* quia scrupulus, de quo nunc loquimur, solùm versatur circa peccatum, & tandem additur, *quæ peccatum non est*, nam si reuera est peccatum, non iam scrupulus, sed vera erit existimatio, tunc ergo verè est scrupulus, cum reputat peccatū, quod peccatum non est.

Ex qua definitione tria colliguntur. Primum quod scrupulus aliqando includit determinationē iudicij ad vna partem, sed leuem cum vt quis determinat sine debito fundamento peccatum esse, nunc loqui, cum reuera peccatum non sit aliquādo verò est cum dubio negatiuo, idest, mouente in ancipiti absque determinatione ad aliquam partem vt si ex leuibus fundamentis formidet, an loqui nunc sit, vel non sit peccatum, & neutrum determinat. Sic Vasquez *prima* 2. *disp.* 67. *c.* 2. *num* 8. Filliucius *tract.* 21. *c.* 4. *q.* 14. Layman *lib* 1. *tract.* 1. *cap.* 6.

Secundò, quod scrupulus compatitur secum contrariam opinionem. vt cum quis habet hanc opinionem, quod qui dubitat, an voueril, voto non astringitur, potest manente illa opinione scrupulum concipere, an non adimplere votum dubium, sit peccatum, quia fortè contraria opinio est verior. Immò compatitur secum fidem, vt cum quis credit graui personę aliquid affirmanti, sed scrupulo remordetur, an fortè decipiatur; de qua reuideatur Nauarro, *cap.* 27. *n.* 279. *& lib.* 5. *consiliorum de pænitentijs, & remissionibus, consil.* 8. *n.* 8. *ad* 8. & Corneio *tract.* 8. *disp. vltima ante dubium.* Et Ratio est, quia si excluderet saltem Iudicium opinatiuum, non esset scrupulus. sed verum dubium.

Tertiò, quod scrupulus potest esse peccatum præteritum, vt an consenserit turpi cogitationi? & circa peccatum præsens, vt an fortè quod modò facit, peccatum sit. Et circa futurum, vt an licitum sit crastina die videre spectaculum, vel taurorum agitationem.

Conclusio conscientia scrupulosa est, quæ dirigitur scrupulo, hoc est cognitione formidolosa, & suspiciosa, quæ ex leuibus principijs animā cruciat, ne fortè aliquid sit peccatū quod peccatū nō est. In qua definitione, genus est conscientia, *quæ dirigitur*; Nam vt vidimus supra. Omnis cōscientia est iudicium, quo intellectus dictat bonitatē, vel malitiam actus inspectis omnibus circumstantijs. Tale verò Iudicium si includit cognitionem certam, est conscientia vera, certa, & recta: si cognitionem falsam, erronea: si probabilem, vel dubiam, probabilis, vel dubia. ergo si includit cognitionem scrupulosam, erit conscientia scrupulosa Vnde differentia definitionis est, *quæ dirigitur scrupulo.* Cæteræ verò particulæ, quæ exponunt

ponunt, quid sit scrupulus, paulo ante in eius definitione sunt expositæ. Vnde colligitur discrimē conscientiæ scrupulosæ ab alijs, & quidem à certa, & vera eò distinguitur, quod iudicium talis conscientiæ nō solùm verum, sed certum est, quod non conuenit alteri conscientiæ. Erronea verò est, quæ certo adhæret falsò; probabilis, quæ ex sufficienti fundamento, licèt non euidenti adhæret vni parti, & ideò relinquit formidinem alterius. Dubia, quę pro vtraque parte habet non debilia fundamenta, itaut illis pro vtraque parte tractus, & detentus intellectus in neutram per iudicium deflectat, sed manet in ancipiti, & tandem scrupulosa est, quę vel anceps manet, vt dubia; vel leuiter ad vnam partem declinat, vt opinatiua, sed ab vtraquę differt eo quod indebitis, & leuissimis vtitur fundamentis, vnde potius est formido, & suspicio, quàm opinio vel dubium.

DVBIVM II

An liceat operari cōtra conscientiam scrupulosam?

SI conscientia scrupulosa sumatur pro rationabili, & rectè fundato dubio, an res sit licita, vel peccatum, non licet operari contra talem cōscientiam, vt docent Medina 1. 2. *q.* 19 *art.* 6. *seù quæst. vltima* propositione 1. & Martinez *ibid. dub.* 7. *concl.* 1. de qua re nos ex professo egimus *disp. praced.* Nunc verò agimus de conscientia scrupulosa pro dubio seù anxietate ex leuibus, & indebitis fundamentis.

In hac re est opinio negans, licitum esse operari cum conscientia scrupulosa sed debet talis conscientia, sicut erronea, & dubia deponi, vt aliquis licitè operetur. Sic videntur sentire Ludouicus Lopez 1. *parte c.* 3. *§. ex quo sequitur*, & Rodriquez *in summa, tomo* 2. *cap. si numero* 3. pro qua sit.

Primum Argumentum. Ad honestam operationem requiritur assensus saltem probabilis honestatis operis; sed stante scrupulo: non est talis assensus, cùm mens per scrupulum potius propēdeat in hoc, quod est peccatum. Ergo stante scrupulo, seù eo non deposito, non erit licitum contra scrupulum operari.

Secundum argumentum. Operans contra cōscientiam erroneam peccat, vt vidimus supra, & operans contra conscientiam dubiam peccat, vt diximus supra, ergo operans contra conscientiam scrupulosā peccat. Prob. consequentia, primò, quia conscientia scrupulosa am satis est erronea, siquidem peccatum reputat quod vere non est peccatum. Secundò, quia consciētia scrupulosa etiam est dubia; dubitat enim, an sit peccatum, vel non circa infinitas res.

Tertium argumentum, desumitur ex *cap. per tuas, de simonia*, vbi, quidam ordinatus ab episcopo, qui dicebatur simoniacus, permittitur in suscepto ordine ministrare: non tamen ab eodem vlterius promoueri nisi deponat errorē qui error ex conscientia nimis scrupolosa ortū habuit, sic ibi dicitur sentit ergo Pontifex, quod illi non licebat facere contra scrupulum non depositum.

Quartum Argumentum *ex capite, inquisitioni, de sententia excommunicationis*. vbi coniux dubitans de matrimonij valore, si ex leui, & temeraria credulitate dubitat, dicitur debere hanc conscientiam leuem, & temerariam explodere, vt licitè posset non solùm reddere sed etiam exigere debitum. ergo sentit Pontifex, scrupulum ad rectè operandum esse deponendum.

Conclusio licitum, & valdè conueniens est operari contra conscientiam scrupulosam. Medina 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub. vltimo in* 2. *propositione* Nauarrus *in summa, praludio* 9. *n.* 9 *& cap.* 27. *n.* 83. *& cap. siquis autem, de Panitentia, dist.* 7. *nu.* 64. Vasquez 1. 2 *disp.* 67. *cap.* 2. Salas *tract.* 8. *num.* 291. Martinez 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *dub.* 7. *concl.* 2. *&* 3. Thomas Sanchez *in Decalogum, lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 80. Corneio *tract.* 8. *disp. vltima, dub. vnico* Ioannes Sanchez *disp.* 41. *n.* 7. Fillucius *tract.* 21. *num.* 179. Palao *tract.* 1. *disp.* 4. *punct.* 1. *n.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 114. Bonacina *de peccat. disp.* 2. *quæst.* 1. *puncto* 8 *numero* 5. Villalobus *tomo* 1. *tract.* 1. *difficul.* 27. *numero* 4. Sayrus *in claui lib.* 1. *cap.* 14.

Probatur 1. scrupulus non tollit iudicium certum, vel saltem probabile de honestate actus, Sed stante iudicio certo, vel probabili de honestate actus, licitū est contra scrupulūoperari. ergo Maior ostensa est supra. Minor verò probatur ex tota disp præced. & consequentia prob. quia tunc consciētia conformatur iudicio opinatiuo, seù probabilē; ergo est recta.

Secundò probatur, quia patiens scrupulum potest probabiliter cognoscere, talem formidinem esse scrupulum. ergo eadem certitudine cognoscet, non habere solidum fundamentum; ergo simul, cum scrupulo poterit habere certitudinem saltem fidei, & probabilem opinionem iuxta quas poterit rectè operari. Antecedens ostenditur, quia varia signa sunt ad scrupulos dignoscendos de quibus postea, & ex illis poterit dignoscere tamquam ex principijs intrinsecis, se habere scrupulum, & ex auctoritate grauiorum doctorum, & Confessorum, qui affirmant id scrupulum esse, tāquam ex principijs extrinsecis idem poterit dignoscere, & prima consequentia probatur: valet enim à definito ad definitionem sicut est homo; ergo animal rationale; ergo valet: est scrupulus, ergo debilia habet fundamenta, per quæ definitur, vt patet. Secunda verò consequentia patet, quia cum debilibus fundamentis ad vnam partem rectè cohæret certitudo saltem fidei, vel opinio ad alteram.

Tertio probatur, quòd non solum liceat, sed expediat operari interdum contra scrupulos, oportet scrupulosas dubitationes, & formidines expellere, seu sedare vti multismodis pociuas: sed nullum efficacius remedium inueniri potest, quàm si illis scrupulosus nō acquiescat, immò expellat, quia omnis dispositio, & habitus augetur per suos actus, & diminuitur, & corrumpitur per oppositos. Ergo expedit operari contra scrupulum, etiam scrupulo manente.

Quartò probatur, quòd aliquando sit necessarium, seù obligatorium. Aliquando ex anxietate scrupulorum sequitur graue damnum salutis, corporis, profectus Animæ, vel inutilitatis ad proprium, & obligatorium munus. ergo tunc si pertinacia scrupuli non possit omnino depelli, erit conueniens, stante adhuc scrupulo, per consciētiam certam de contrario, vel probabilem contra scrupulum operari, & sic affirmant esse efficiendum. Valentia *tomo* 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *puncto* 4. Montesinos 1. 2. *disp.* 29 *q.* 6. *n.* 255. Salas *tract.* 8. *num.* 298. Thomas Sanchez *lib.* 1. *decalogi*

logi, cap. 10. n. 83. Sayrus in claui, lib. 1. cap. 14. & Palao tract. 1. disp. 4. puncto 1. num. 2.

Ad sententiam relatam in principio Resp. quod vera est, loquendo de scrupulo pro vero, & rationabili dubio, & sic intelligit eius auctores Thomas Sanchez lib. 1. in decalogum, cap. 10. n. 90. Loquendo vero de scrupulo strictè sumpto, & prout distincto à vero dubio, non est ad mittenda, quia repugnat nostræ conclusioni.

Ad 1. Argumentum nego minorem, ostensum enim manet, verum scrupulum secum compati veram opinionem, iuxta quam scrupulosus potest operari: verum autem dubium non compatitur opinionem, & ideò illa sententia nomine scrupuli, dubium intelligit.

Ad 2. Respondetur nego consequentiam, quia licèt conscientia scupulosa aliquid habeat de erronea, & aliquid de dubia, sed conscientia erronea non ad mittit iudicium verum, vel probabile contrarij, iuxta qood rectè operetur homo, & similiter conscientia dubia excludit certitudinē, & opinionem, iuxta quas operemur sed conscientia scrupulosa, vt vidimus, admitit certitudinem, & opinionem contrariam, iuxta quas etiā non deposito scrupulo operemur, & sic non est eadē ratio.

Ad tertium Respondetur, ordinatum, de quo fit mentio in illo capite, per tuas, non solùm habuisse scrupulum, sed errorem seù certam adhæsionem ad hoc, quòd episcopus erat si moniacus, ortam ex scrupulo, & ideò iubetur talem existimationem deponere, quia cū n conscientia erronea non licet operari, & idem est si iudicium formauit dubium. Vel subtiliùs dicito, discrimen esse inter hoc quod est operari cum scrupulo, & operari cum conscientia scrupulosa licet enim semper operari cum scrupulo idest, manente scrupulo rationibus dictis, sed numquam licet operari cū conscientia scrupulosa, idest iudicio practico scrupuloso, vel dubio de iustitia actus, sed tunc conscientia manente scrupulo debet informari, hoc iudicio certo licet mihi operari, etiam contra scrupulum, & tunc hæc conscientia informatur iudicio certo, vel opinatiuo practico, & scrupulus manet, mere speculatiuus, & quia ille ordinatus prædicti capitis operabatur conscientia solùm informata scrupulo, & cum dubio, iubetur scrupulos deponere non à iudicio speculatiuo, quia id sæpè erit impossibile, sed ab informatione conscientiæ, & hæc doctrina notetur valde quę conformis est dictis supra.

Ad quartum argumentum Resp. ex glossa in eo capite, per leuem, & temeritam credulitatem debere intelligi, vel verum dubium, vel errorē, cum quibus non licet operari; non vero loquitur de vero scrupulo, licet fortè ex illo ortum habuerit error, vel dubium. Secundo Resp. quòd ibi iubetur deponere conscientiā scrupulosam, non scrupulum, iuxta dicta in secunda solutione præcedentis Argumenti.

DVBIVM III

De scrupulorum Causis, effectibus, signis & remedijs.

AD completam scrupulorum notitiam, quattuor ad huc exponenda videntur residua. Primò de eorum causis, à quibus procedunt, secundò de eorum effectibus, res enim valde innotescit ex causis, & effectibus cognitis. Tertio de eorum signis, interest enim valdè scrupulosum: vt ęgrotum cognoscere, vt sanetur, quod signis assignatis facile deprehenditur. Et quartò, remedia sunt ad hibenda, quibus scrupulosi sanentur, de quibus suo ordine dicemus.

Prima conclusio. scrupulorum causę sunt plures, quę ad hos septem reduci possunt. Corporis mala dispositio, diuina permisso Diaboli tentatio, error intellectus, nimius timor seruilis ex amore proprio, proteruia, & superbia, societas scrupulosorum, & consuetudo fouendi scrupulos.

Prima scrupulorum causa desumitur ex parte malę corporis dispositionis, & hoc tripliciter. Primò ex magna ægritudine, ex qua resultat infectio arterioris celullæ capitis, cum diminutione imaginationis debitę, vt ex Galleno, & Auicenna tradit Syluester verbo, scrupulus, num. 1. secundò ex ęgritudine malancholię ex qua procedit infectio medię celullæ capitis, & raciocinationis, vt ex eisdem tradit Syluester ibid. Tertiò ex debilitate potentiarum sensitiuarum interiorum, quæ ex nimijs vigilijs, abstinentijs, solitudine, & similibus, vt in eodem loco tradit Syluester post Archidiaconum prima parte, titulo 3, cap. 10. quos sequuntur Suarez 1. 2. tract 3. disp. 12. sect. vltima, num. 1.

Secunda causa est diuina permissio, Deus enim paterna prouidentia, vt hominem exerceat, & humiliet, sicut permittit egritudines corporis, & varias expositiones, & tribulationes sic interdum permittit aliquos scrupulis vexari, sic Suarez 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. vltima, num. 1.

Tertia causa est Diaboli tentatio; sicut enim in alijs materijs tentat, sic excitando scrupulos, non solum vt hominem vexet, sed vtā multis bonis diuertat, vel in desperationem inducat. Causam hanc assignant Archidiaconus, Syluester citati, & Suarez prima secunda. tractatu 3. disputatione 12. sectione vltima, numero 1.

Quarta causa est error intellectus. Et contingit dupliciter, Primò, quia in moralibus quærunt omnimodam certitudinem, qualem habent Mathematici. quod Aristoteles dicit esse indisciplinati Ingenij. In moralibus ergo sufficit, quòd sit certitudo moralis, & probabilis, & sic non debent querere talem certitudinem, quod excludat omnem dubitandi locum, sicut neque eam perfectionem, vt non habeant pro hoc statu semper imperfectionem admixtam. Sic Martinez 1, 2, q. 19. a. 6. dub. 7. post initium in quarta causa. Secundo errat Intellectus scrupulosi malè intelligendo quędam principia moralitatis, vt quod in dubijs tutior pars eligenda, vnde colligunt tutius esse iterum eadem confiteri, iterum & iterum recitare horas Canonicas; Item ex illo Ecclesiastici 3. 27. Qui amat periculum, peribit in illo; colligunt, semper eligendam esse viam arctiorem cum notabili grauamine, & plura sunt huiusmodi, quorum benignam interpretationem debent quærere; de quare Martinez loco citato in secunda causa.

Quinta causa est nimius timor seruilis ortus ex nimio proprio amore, tunc enim sibi inordinatè timet malum ęternæ damnationis, in omnibus imaginatur periculum, sicut valde timidi ex quocumque repentina successus trepidant, de quibus dicitur psal. 13. 5. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Sic Suarez loco citato.

Sexta causa est quędam proteruia, seù pertinacia ex superbia orta, quo scrupolosi intellectus nō vult

vult subijci iudicio viri docti, nec eius resolutione audita, (etiamsi contingat in Confessione,) vult subijci, & deponere scrupulum, sed in contrarium nititur rationibus, & pertinaci perseuerantia, ex quo reddit se incapacem remedij circa Deum, & homines, paruiperdens illud Pauli 2. *ad Corinthios* 10. 5. *in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Sic Martinez *citatus*, dum proponit tertiam causam.

Septima causa est foc etas scrupulorum, vel ipsa assuefactio ad scrupulos. Cum enim omnis habitus generetur, & augeatur actibus, & exercitio, dum homines siue ex aliorum scrupulosorũ communicatione, siue ex propria ignauia, scrupulos ingressum, & locum concedunt, & ipsi scrupulosi euadant. Assignant hanc causam Archidiaconus, & Syluester citati.

Secunda Conclusio, Scrupulorum effectus præcipui sunt tres. Perturbatio, seù fallacia, totam vitam transigere in solicitudine, & mærore, desperare rectè viuere, & tradi concupiscentijs in interitum, de quibus Sanctus Bernardus adductus à Syluestrò. Pusillanimitas parat perturbationẽ, perturbatio desperationem, desperatio verò interitum.

Primus effectus est, perturbatio, seù fallacia quædam, per quam accipiunt rationes apparentes, etiam valde debiles, tanquam demonstrationes, & certissimas regulas, quibus omnem moralitatem confundunt, sic Syluester ex Sancto Bernardo, *verbo scrupulus, num.* 2. Martinez 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 7. *post initium*.

Secundus est, totam vitam transigere in solicitudine, & mærore, ex quo non solùm manent occupati, sed inepti ad propria munera exercenda, & perfectionem acquirendam. Et ratio est, quod cum in rebus, & particularibus actionibus non possit omnimoda certitudo reperiri, totam vitam transigunt quærentes in eis certitudinem, quam reperire non possunt, cùm eam non habeant. Martinez loco proximè citato.

Tertius effectus est, desperare rectè viuere, & tradi concupiscentijs in interitum Animæ. Scrupulis enim vexati, & in tedium reducti, impossibile iudicant ferre talem vitam longo tempore, & seruare legem Christi; quia vt sibi apparet ablato vno peccato, centum pullulant; & vt ait Apostolus ad Galatas 4. 19. *Qui* desperantes, semet ipsos tradiderunt Impudicitię, in operationem immunditiæ omnis. *Sic ex S. Bernardo Syluester*, & Martinez locis.

Tertia Conclusio. Signa, quibus dignoscuntur, scrupuli sunt, quòd frequentissimè dubitant, quod suadent sibi plura esse peccata absque debito fundamento, quòd contra proprium, & sapientium dictamen adhuc hæsitant, an aliquid sit peccatum.

Primum signum est, quòd frequentissime siue de diuersis, siue de eadem re dubitant. Cùm enim habuerit scrupulorum aculeis, & ferè nil certum habeant, continuò vexant alios de suis nenijs interrogantes. Sic Vasquez *prima* 2. *disp.* 67. *cap.* 2. *num.* 8.

Secundum signum est, quòd non solùm dubitant, sed persuadent sibi, aliqua esse peccata non solùm in dubijs, & debilibus, sed etiam ineptis, & ridiculis fundamentis, quæ cùm ex rectè ordinata ratione procedere non possint, fit procedere ex passione scrupuli.

Tertium signum est, quòd contra proprium, & sapientium dictamen adhuc hęsitant, an aliquid sit peccatum. Quod enim contra proprium, & rationabile dictamen adhuc hæsitant ex debilissimis motiuis, iam indicat rationem esse infectam scrupulo, sed quod viri probi, & docti, siue proprius sit Confessor, siue non, resolutione audita non quiescant, maximè si sint idiotę, sed adhuc contendunt esse peccatum, nec quietari valeant, non aliunde, quàm ex scrupulo oriri potest.

Quarta Conclusio. Scrupulosi non sunt regendi, seù gubernandi à Confessore, vel quocunque eorum conscientiæ medente, regulis, quibus alij non scrupulosi, sed diuersis. Sic Caietanus in summa, *verbo scrupulosi* §. *Medicina autem*, Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12. *sectione vlt. num.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 92. *cap.* 2. *num.* 8.

Prima, & fundamentalis ratio Conclusionis huius est, quòd scrupulosi non ducuntur in suis iudicijs, veris, & solidis rationibus, sed apparentibus, & debilissimis, vt patet ex definitione scrupuli, & ideò iudicijs eorum non debet fides adhiberi; existimant enim se consensisse, non esse confessos de tali, vel tali peccato, & plura huiusmodi nec debet etiam aliquid relinqui decidendum eorum iudicio, quia sine fundamento omnia timent esse peccata. Hinc fit, quòd cum alijs asserere tibi is se consensisse in aliquod peccatum, seu vouisse, se censuram incurrisse, se non esse confessos tale, vel tale peccatum, & similia, sic esse credendum sit: at non sic quando est scrupulosus, quia scrupulus iudicium rationis ex friuolis fundamentis peruertit. Et ideò dicimus infra regula 3. quod quando scrupulosus credit non peccare, vel confessum fuisse tale peccatum, talis credulitas, vel timida resolutio pro certitudine est habenda, & ideò meritò confessor iuxta regulam octauam sequentem non debet permittere scrupulosum confiteri iterum, quando dubitat, an confessus fuerit; quia vt ait Caietanus, si non adesset scrupulus, ea credulitas in ipsis esset certitudo moralis.

Secunda ratio est, quòd in scrupulosis non est periculum, vel non credere eos peccare, vel non sinere eos innumera scrupulorum agmina confiteri, vel vera peccata, quæ dubitant an sint confessa, & similia, quia & si interdum possit contingere, quòd gubernans scrupulosum decipiatur, & ideò peccatum aliquod maneat in confessum, vel alius similis error: in hoc nullum est periculum, nec ex parte pœnitentis, qui tenetur parere, nec ex parte Confessoris, vel consulentis, qui tenetur attendere saluti talis ęgroti. Primo, quia vterque bona fide procedit, quòd certus apparet moraliter eligens, & quod conuenientius est ad scrupulosi salutem, sicut qui sequitur opinionem probabilem, non peccat, etiamsi contingat eam esse falsam, sufficienter enim ex vsatur. Deinde, quod valde obseruandum est circa confessionem scrupulosi, quòd etiamsi ex prædicto regimine verè dimittat pænitens confiteri aliqua peccata mortalia, de quibus dubitat, an sint, vel non sint confessa; tamen verum efficit Sacramentum, & recipit gratiam, & saluatur, si bona fide procedunt.

Nam si ex hoc, quod infirmus moribundus maximè in salute vexatur potest dimidiata confessione absoluere cũ periculo morien di nõ confessis reliquis, vt commune est, & si ex eo quòd ex confessione alicuius peccati sequatur infamia, vel periculum tertij, vel ipsius confessoris, potest reticeri tale peccatum pro tunc, & fit rectum Sacramentum quanto magis se potest ponere in periculo

riculo aliquod peccatum relinquendi Confessor & Pœnitens, vt consulat saluti corporali, & spirituali scrupulosi, qui si relinquatur suo arbitrio, procedet vsque ad dementiam, vel ægritudinem, vel vsque ad desperationem, & Confessorem non solùm in tedium, sed in impatientiam inducet, & coget adhoc, quòd pænitentem in nouo periculo derelinquat.

Quinta Conclusio; Regulę, quibus curandi sunt scrupulosi, valde diuersę sunt, quę tamen in præsenti possunt ad nouem reduci sequentes. Prima, regula. Scrupulosus in primis debet ad Deum bonorum omnium fontem recurrere pro remedio, eum assiduè orando; vt Beatę Virginis, & aliorũ Sanctorum intercessione, si expedit à scrupulorũ damno eum eripiat, confessiones, communiones, aliaque opera bona iniungendo. Sic Caietanus in summa, verbo *scrupulosi*, in principio, Syluester in eodem verbo, *num.* 3. *in prima, & tertia regula*, Reginaldus *ex D. August. lib.* 2. *num.* 109.

Secunda regula est, quod scrupulosus cognoscat se esse scrupulosum, immò & Confessor, seu quicunque consultus fuerit à scrupulo, debet in primis hanc habere notitiam, quia sicut Medicus curare non potest, nisi nouerit infirmitatem, neque ipse infirmum se vt infirmum tractare, dum se infirmum ignorat, sic contingit in scrupulorum infirmitate. Cognoscetur autem scrupulorum infirmitas ex signis *conclusione* 3. assignatis. Cognita verò scrupulorum labe, aliter curandus est, qui eis laborat, quam alij, vt ex conclus. 8. patet. Regulam hanc assignant Palao *tract.* 1. *disp.* 4. *puncto* 1. & *Lugo de conscientia, cap.* 4. *num.* 12.

3. Regula est, credulitatem scrupulosi, quia credit aliquid non esse peccatum, se non consensisse, se confessum esse, recitasse horas canonicas, consecrasse, pro certitudine esse habendam, nec debet aliquod reputare mortaliter, nisi quod certissime, & absque dubio credit esse mortale, itaut si opus esset iurare; posset. Sic Caietanus in summa, verbo, *scrupulosi*. Medina 1. 2. *q.* 19. *art* 6. *dub. vlt. in fine* Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12. *sect. vlt. num.* 7 Vasq. 1. 2. *disp.* 67. *cap.* 2. §. *Præceptum*, Palao *tract.* 1. *disp.* 4. *puncto* 2. *num.* 2. Tertiam rationem assignat Caietanus, quia quæ apud istos est credulitas, apud ipsosmet, si non essent impediti, haberetur pro certitudine.

Quarta Regula est, quod debet scrupulosus maximè cauere, ne scrupulus ita vincat illum, vt efformet iudicium practicum conscientiæ erroneum, vel dubium, nempe hoc, vel illud ratione scrupuli esse peccatum, vel verè esse dubium, an sit peccatum, tale enim iudicium valde periculosum est, quia si se submittitur ad hoc, quod contra tale iudicium nunquam operetur, erit hoc maximè onerosum, nam passim imponet homo sibi infinitas obligationes, & pręcepta sine fundamento: vnde sequitur magna inquietudo mentis, & conscientiæ, & cæcitas, erroresque quamplurimi: vnde impeditur valde à spiritualibus exercitijs, & proprijs muneribus. Si verò tædio affectus consentit operi contra talem Conscientiam erroneam, & dubiam, incidit in grauia peccata, vt vidimus disp. præterita. Remedium ergo erit contraire scrupulo, & contra illum efformare cõscientiam certam, vel probabilem de contrario saltem ex principijs extrinsecis, itaut scrupulus solùm maneat in ratione dubij speculatiui: iuxta quod Innocentius III. *in cap. per tuas, de simonia*, loquendo de conscientia scrupulo informata; in hanc incidet difficultatem, quam non euadet, nisi deponat errorem, vtique ex scrupulo in conscientiam deriuatum. Ita Syluester *verbo scrupulus, num.* 3. *regula* 5. Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12, *dub. vlt. num.* 2. 3. & 4.

Quinta regula est, quòd statim ac scrupulus insurgit, talem cogitationem non foueas, sed diuertas, vel alia cogitando, vel in aliquo opere etiã exteriori te exercendo. Cùm enim scrupulus in apprehensione consistat, quanto diutius pugnans contra illum, & in vtramque partem adhibitis rationibus controuertitur, tantò magis adhęret, & roboratur; vnde maior deinde vis necessaria erit ad ipsum repellendum. Ita Caietanus *in summa tam citatus* Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. Filliucius *tract.* 21. *à num.* 179. sexta Regula est pro valde timidis, & melancholicis, ne cogitent ea, & si pia, quæ possunt fomenta esse talium passionum, & sic nec mortem, nec iudicium, nec gehennam, sed Dei bonitatem, & misericordiam, Mysteria infantiæ, & resurrectionis Saluatoris, ac cęlestem gloriam. Septima regula est. Sicut Medici cum ægrotant, seipsos alijs curandos tradunt, sic scrupulosus se cognoscens indebitè dispositum, vt proprio gubernetur arbitrio, se viro docto, & prudenti confessori curandum tradat, conscientiam coram illo aperiat hac efficaci resolutione, vt eius qualicumque sententię, quantocunque proprię repugnet, dum apertè non sit contra doctrinam Catholicę Ecclesię, absque vlla replica, & tergiuersatione assentiatur, & exclusoseu cõtempto scrupulo, ea conscientiam ad operandum informet, dicens cum Regio Psalte Psalmo 72. 23. *vt iumentum factus sum apud te*, certus quod tali persistens obedientiæ, poterit cum illo addere, & *ego semper tecum*. Eo quòd licèt possibile sit, talem Magistrum errare, quod credendum non est; tamen ei bona fide obediens, numquam errabit, & securus euadet obediendo Ita Syluester citatus *num.* 3. *regula* 4. Medina 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 7. *ante finem* Suarez 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12. *sectione vltima num.* 6.

Octaua regula. Si competenti diligentia, prudentis iudicio, non est generaliter confessus, permittatur ei generalis accurata confessio semel, post quam quantocumque contendat iterum de eisdẽ confiteri, vel alia præteriti temporis, quę dubitat, an confessa sint, non permittatur; neque de eisdẽ jam consultis, iterum consulere, neque ob qualecunque dubium Confessorem frequenter adire. Nam alias fouentur scrupuli, ipse inquietus semper erit, confessorque tædio afficietur. Et minus inconueniens est, quod al quando ob hanc rationem aliquid inculpabiliter non confessum remaneat; quàm quodusque ad amentiam exagitetur. Si enim ob periculum salutis corporis vexatò infirmo licet aliquando confessionem dimidiare; quanto magis licet ob salutem Animę. Sic Caiet. *in summa, verbo, scrupuli* §. *Medicina autem*, Vasq. 1. 2. *disp.* 67. *cap.* 2. *in fine*. Suarez 1. 2, *tract.* 3. *disp.* 12. *sect. vltima, num.* 7. Martinez 1. 2, *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 7. *post initium*, in remedio quinto. Palao *tract.* 1. *disp.* 4. *puncto* 2 *num.* 4. & 5.

Nona regula est, quòd si capax sit scrupulosus doceatur de aliquibus principijs moralitatis, quibus dubia sedantur, vt quòd in dubio præualet conditio possidentis, quòd licet sequi opiniones etiam minus probabiles aliquando, & sic de alijs, quæ in hac materia manent explicata. Item eius

dubia

TRACTATVS BREVIS
DE ROMANO PONTIFICE,
Orbis, & Vrbis Episcopo.

DVBIVM PRIMVM.

An conueniens sit, vnum esse totius Ecclesiæ Caput.

IN hoc dubio duo fuerunt in Ecclesia errores. Primus fuit Nebatorum asserentium Christi primatum nulli homini fuisse relictũ, ac proinde nullum esse Ecclesiæ visibile caput, vt refert Epifanius *lib. 2. contra Hæreses Hæresi* 59. Hirenæus *lib. 3. cap. 2.* & Baronius *tom. 1. annalium pag.* 128. Eumdem errorem tribuit Tertulianus *in lib. de præscrip. Hæreticorum*, Valentino, & Martioni, & Montano, Eusebius *lib. 5. historia cap. 16.* Donatistis, & Rogatianis, Augustinus *Epist.* 48. *ad Vincentium, epistola* 50. *ad Bonifacium, & 361. ad Honoratum*: eiusdemque erroris fuisse Nestorianos, & Hichonomachos refert Cano *lib. 4. de locis cap. 1.* quem nouissimè de stirpe Luteri pullulantes Heidcluergenses, & Schimidelinus suscitarunt.

Cui affinis est secundus sectariorum Nouatorum asserentium auctoritatem quidem iudicem, ac magistram fidei, religionis, & morum in Ecclesia reperiri: illam tamen non in aliquo vno capite visibili, sed in quodam foro, ac iudicio priuato vniuscuiusque constitui: ita Luterus sequutus suum Patronum, ac Ducem Vllchleph, vt refert Noster Thomas Vualdensis *lib. 2. doctrinali fidei cap. 19.* Caluinus *lib. 4. institutionum cap. 7.* Bucerus relatus à Cano *lib. 9. de locis cap. 3.* eundemque errorem sequuntur duæ sectæ Anabatistarum relatæ à Valentia 2.2. *disp. 1. punct. 7. 9. 1. §. 1.* videlicet Scutempheldiani, & Muzeriani, & Iacobus Rex Angliæ *in præfatione 56. & 61.* Ex quibus alij huiusmodi forum, ac iudicium cõstituunt in priuata Dei reuelatione vnicuique facta, secundum quod vnicuique Deus inspirat de his, quæ ad fidem, religionem, ac mores pertinent: alij verò illud constituunt in iudicio priuato, & interno vniuscuiusque fidelis simul cum sacra scriptura, quatenus iudicium vniuscuiusque fidelium sufficiens est ex scriptura sacra verum à falso in materia fidei, religionis, ac morum discernere. Quorum fundamenta ad hæc tria reduci possunt. Primum dessumitur à simili; nam mundus non est minus vnus in ratione totius politici, quàm tota Ecclesia, & tamen non gubernatur ab vno supremo homine Monarcha: ergo neque Ecclesiæ Principatus debet esse vnius capitis. Secundum est, quia ad vnitatem fidei seruandam sufficit determinatio Concilij Generalis, aut alicuius Congregationis ex tota Ecclesia, quando opus fuerit tali determinatione: ergo non est necessitas recurrendi ad vnum Summum Pontificem Ecclesiæ caput. Tertium est quia, vbi sufficit interna fidei illuminatio non requiritur alia regula visibilis: sed ad assequendum veritates fidei, & dirimenda dubia ad materiam fidei pertinẽtia sufficit interna Illuminatio vnius cuiusque fidelis maximè supposita sacra scriptura, hoc enim significatur *Ioan. 5.* dũ ait Christus; *ego autem non ab homine testimonium accipio*: & infra. *scrutamini scripturas; illa sunt, quæ testimonium perhibent de me; & cap. 7. si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, & 1. Ioan. 2. non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est* &c. *est, & cap. 5. spiritus qui testificatur, quoniã Christus est veritas*: & infra; *qui credit in filiũ Dei, habet testimonium Dei in se*: ergo. Sed vera, ac Catholica sententia est, quæ asserit dari in Ecclesia vnum caput visibile, in quo sit auctoritas magistra, & iudex veritatum ad fidem, Religionem, ac mores pertinentium. Quam tuetur *D. Th. 2.2 q. 1. articulo. x.* & infra *quæst. 11. art. 2. ad tertium, & q. 10. de potentia art. 4. ad 13. & 4. contra Gentes cap. 76. & in 2. dist. vlt. in expositione litteræ*, Caiet. 2.2. *q.* 1. eodem articulo, & *opusculo de auctoritate Papæ cap. 1. & 6. & opusc. de Primatu Romanæ Ecclesiæ cap. 6. & 7. & 13.* Bellarminus *lib. 2. disput.* Romani Pontificis *cap. 10. & disput. de notis Ecclesiæ lib. 4. tom. 1. controuer. 3. lib. 1. à cap. 1. vsque ad 9.* Ferrara in alegato loco cõtra gentes, Cano *lib. 4. de locis per totum*; Varonius *tom. 1. annalium pag. 93. & 128* Valentia hic *disp. 1. punct. 7.* & in controuersijs, Analisi fidei Catholicæ *lib. 3. cap. 1. & 2. & lib. 4. à cap. 1.* atque communiter omnes scholastici Theologi in eiusdem D. Th. articuli comentario pro cuius declaratione.

Dico primo: Conueniens fuit aliquod vnum esse visibile totius Ecclesiæ caput. Hæc conclusio statuitur aduersus prædictos sectarios vtriusque erroris, tanquam certa secundùm fidem: & probatur primò ex testimonijs scripturæ, ex quibus constat Christum huiusmodi capitis dignitatem in Petro, atque eius successoribus cõstituisse: vt ex illo Matthæi. 16. *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: in quibus verbis fuisse hanc dignitatem, non soli Petro, sed etiam successoribus à Christo Domino concessã probat Augustinus in Psalmo contra Donatistas, qui habetur *tom. 7.* in cuius quodam versu, quem iussit Augustinus cõcini in Ecclesijs Africanis sic habet. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in illo ordine Patrum quis, cui successit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*; & Anacletus Papa *in epist. 2. ad Episcopos Italiæ* in eandem sententiam, sic ait; *In nouo testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipsi primò Pontificatus in Ecclesia Christi datus est*, Domi-

no dicente ad eum. Tu es Petrus &c. Et patet, quia in illis verbis datus est Pontificatus Petro, & successoribus; vnde & ipsum nomen dignitatem capitis significat iuxta duplicem significationem huius vocis Syriacæ, Cephas, qua vsus fuit Christus Dominus teste Optato Mileuitano *lib. 2. contra Parmenianum*, & Cardinali Baronio vbi supra, vt sic vna eademque voce duabus linguis Petri Principatus exprimeretur. Cui consonat sponsa *canticorum 5.* vbi de capite sponsi Christi, ait, *caput eius aurum optimum*; pro quo septuaginta vertunt caput eius Cephas, & Symmachus lapidem aureum, & Rabbinus Selomoch legit, spherulam auream esse ad denotandum dignitatem capitis Ecclesiæ, & Spherulam auream idest Thiaram Pontificiam in Petro, & Successoribus indefectibilem ad instar petræ durissimæ permanere. Hoc ipsum significauit Christus *Matth. 21.* dicens, *qui ceciderit super lapidem istum*, scilicet Cephas, *confringetur, super quem autem ceciderit conteret eum*: eandem veritatem potestatus est in Concilio Ephesino *cap. 5.* Philippus quidam Legatus sedis Apostolicæ dicens. *Non ignora est vestra beatitudo, totius fidei caeterorumque omnium Apostolorum caput Beatum Petrum Apostolum extitisse.* Quam dignitatem ad Petri successores deriuari patet, tum quia eius permanentia, & incorruptibilitas colligitur ex firmitate Petræ, & auri, quæ incorruptibilia sunt, & propterea illis significatur Caput Ecclesię incorruptum, permanere etiã corupto Petro. Tum etiam quia id necessarium esse ad conseruationem puritatis fidei in Ecclesia, testatur Cyprianus *lib. de vnit. Eccles.* dicens, absentiam, siue defectum vnius capitis in Ecclesia esse originem Hæresum: quia ad veritatis originem non redditur, neque caput quæritur, nec Magistri cælestis doctrina seruatur &c. & sic aliquando contingeret, vt portæ inferi contra Ecclesiam præualerent, quod tamen est contra Christi infallibilem promissionẽ, qui Matth. 17. dixit; *& portæ inferi non praeualebunt aduersus eam*. Secundo probatur rationibus Theologicis, & moralibus, quę ad classes tres reducuntur. Prima est, quia tota Ecclesia est vnum Christi regnum, ouile, corpus mysticum, sponsa, & nauis; sed vni Regno, ouili, corpori, sponsæ, & naui, vnus tantum Rex, vnus Pastor, vnum caput, vnus sponsus, & vnus naucler, congruit: ergo.

Secunda est, quia Christus non debuit instituere regimen suæ Ecclesiæ contra ius naturale, humanum, aut diuinum; sed vnitatem capitis apetit semper, & dictauit ius naturale, humanum, ac diuinum: ergo; maior patet, ex suaui Dei prouidentia, & gratiæ cum natura conformitate. minor verò probatur inductione. nàm iure naturali, quod natura omnia animalia docuit apes, & grues vnum sequuntur ducem, iure etiam naturali hominum proprio constat vniuerso ab vno Deo optima gubernari, & vnum caput toti corpori præesse. De iure autem humano patet, quia nobiliores Reipublicæ vnum semper Principem, aut Sacerdotem delegerunt, qui causas iudicaret, & à cuius iudicio nullus ad alium iudicem prouocaret: de Atheniensibus ita refert Iosephus *lib. 14. antiquitatem cap. 16.* & apud Galos ita fuisse in vsu refert Iulius Cęsar *lib. 6. de bello gallico*.

Denique de iure diuino id etiam patet: nam semper Deus suo populo vnicum Supremum Principem, Iudicem, aut Sacerdotem dedit, vt colligitur exodi 18. vbi pręter septuaginta viros electos de Concilio Ietro Moyses solus mãsit supremus iudex ad quem grauiores culpę referebantur, & Deuteronomij 17. præcipit Deus recurrendum ad vnum supremum iudicem in causis grauioribus, & vnum dumtaxat Regem de populo eligendum: quo testimonio vtitur Innocentius Tertius in cap. *per venerabilem, qui filij sint legitimi*: ergo.

Tertia ratio, veluti à priori est, quia Christus Dominus debuit suæ Ecclesiæ optimũ modum regiminis tradere, vtpotè quam tanquam sponsam diligebat. sed optimus regiminis modus est Principatus vnius: ergo: min. est Philosophi 8. *Ethicor. cap. 10. 3.* Politicorum *cap. 4. & lib. 12. Metaph. cap. vlt.* eamque docet etiam D. Th. in eiusdem locis, *& 1. p. q. 103. art. 3. 1. 2. q. 95. art. 4. & 105. art. 1. 2. & 2. 2. q. 50. art. 1. ad 2. 4.* contra gentes *cap. 16.* & opusculo secundo de regimine Principium *lib. 1. à cap. 1. vsque ad 3.* vbi multis exemplis, & rationibus illam probat, quarum summa hæc est: illud regimen est optimũ quod est efficacius ad finem politię consequendum, qui est vnitas, & pax subditorum: sed Principatus vnius, qui est regnatiua, est efficacior, quàm aliæ duæ species politiæ, scilicet Aristocratia, quæ est Principatus optimatum, & Democratia, quæ est Principatus mediocrum, si quidem vnum per se, magis est causa vnitatis, quàm vnum per accidens, sicut calidum magis per se est causa caloris, quàm calidum per accidens: ergo. Et hæc est ratio, qua 2. 2. vtitur D. Th. ad probandum, quod ad vnum Summũ Pontificem pertinet fidei Symbolum ordinare, vt in rebus fidei vna sententia, & concors animus seruetur.

Dico secundo, auctoritas, quę residet in huiusmodi vno capite, necessaria est ad definiendum quicquid ad fidem, religionem, ac mores Ecclesiæ vniuersalis spectat. Hæc conclusio statuitur aduersus eosdem sectarios: & probatur hoc discursu: nam si ob aliquam rationem neganda esset huiusmodi auctoritas in Ecclesia ad prædicta munera præstanda ea esset: aut quia non esset opus tali auctoritate ad Ecclesię gubernatio nem: aut quia sola gubernatio interna, vel saltem interna illuminatio, cum scripturis sacris sufficeret: sed nullum ex his absque læsione fidei potest asseuerari, ergo absque dubio ponenda est talis auctoritas in Ecclesiæ capite. Mai. patet à sufficienti diuisione omnium errorum, ac modorum tollendi hanc auctoritatem. Min. verò quoad primam partem patet, ex eo quod Ecclesia est regnum, ouile, corpus misticum, sponsa, ac mistica nauis, vt dictum est, nationi autem ac iuri naturali repugnat, regnũ esse absque potestate, iudice, & magistra legum, & ouile esse absque pastore, qui pascat oues, & corpus absque capite, sponsam absque sponso, & nauim absque nauclero, posse gubernari. Ergo. Deinde quoad secundam partem probatur quadrupliciter. Tum ex testimonijs Scripturę, in quibus monemur, vt in controuersia fidei regulam Ecclesiæ consulamus, & priuatum spiritum timeamus, vt *Malachiæ 2. Labia*

sacer-

sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Dei requires de ore eius. Deutor. 17. Si quid ambiguum occurrerit ascendes ad locum, & cap. 1. Ioannes 4. nolite omni spiritui credere, sed probate si ex Deo est & 2. Petri 1. *habemus firmiorem propheticum sermonem &c. hoc primum; intelligentes quod omnis profetia scriptura propria interpretatione non fit.* idest proprio ingenio, aut dictamine: & idem habetur in alijs testimonijs, quæ recenset Suarius *lib. 1. defensionis Catholicæ fidei cap. 11.* quod etiã nos mirificio exemplo docuerunt Paulus Apostolus, & Augustinus Ecclesię Doctor: ille quidem, quod licet Euangeliũ immediatè à Christo didicisset, vt ipse fatetur ad Galatas. 1 nihilominus ait cap. 2. se post annos quatuordecim ascendisse Ierosolymam ad Apostolos, & cum illis contulisse Euangelium, quod prædicauerat, ne forte in vacuum curreret, aut cucurisset, iste vero in lib. contra epstolas fundamenti ait. *Euangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ moueret.* Tum etiam quia hoc exigit imperfectio populi, vbi sunt maiores, & minores; hos enim oportet ab illis edoceri de superioribus mysterijs, sicut teste Dionisio *in lib. de Celesti Hyerarchia cap. 4. & 7.* Angeli inferiores illuminantur per superiores, & vniuersaliter diuinas illuminationes, ait Dyonisius hoc ordine fieri, idest per superiores ad inferiores: ergo in Ecclesiastica Hyerarchia, quam Deus ad exemplar ipsius cælestis constituit, idem ordo debet seruari, ac proinde inferiores non solo priuatu spiritu, aut interno ductu, sed superiorum ministerio de rebus fieri, edoceri debent. Tum etiam ex cõditione cuiusque visibilis Reipublicæ; in qualibet enim visibili Republica, vltra internum dictamen vnius cuiusque ciuis, experitur esse visibilem ad litium compositionem, & vindictam delictorum: sed Ecclesia est visibilis Republica, in qua plurimæ fidei controuersiæ exoriuntur: ergo indiget tali iudiciariu authoritate visibili ad controuersias fidei dirimendas, & pœnis fidei hostes compescendos, alioquin omniũ diuina prouidentia deficeret in re magis necessaria, pro Ecclesiæ regimine: quid enim magis necessarium, quàm visibili iudice, & vindicæ delictorũ? tũ denique ex modo diuerso fidei pro hoc statu; hæc enim est differentia inter statum Ecclesiæ primitiuę, & nostrum, quod in illo fides innitebatur immediatè soli diuinæ reuelationi, qua Deus, siue Christus imediatè Apostolos instruebat: nostra verò fides innititur duplici regulæ nimirum, & reuelationi diuinæ, vt rationi formali, at propositioni Ecclesiæ, vt regulę proponenti iuxta illud Pauli, *ad Rom. 10. quomodo credant ei quem non audierunt? quomodo audient absque prædicante &c. ergo fides ex auditu,* vbi denotat Paulus fidem nostram Ecclesię propositione regulariter indigere, hoc est non secundum se, sed pro vt recipitur in nobis dependere ab instructione Ecclesiæ, siue eius ministrorum: ergo.

Deniq; quoad tertiã partẽ probatur eisdẽ rationibus, & insuper suadetur, quia sacra scriptura est obscura, vt potè cum hæc obscuritas sit conditio fidei, ac proinde habet difficilem intelligentiam iuxta illud 2. Petri 1. *hoc primum intelligentes, quod omnis Profetia scripturæ propria interpretatione non fit.* quia scilicet in omnibus locis, neque humana mens propria virtute verũ sensum assequitur. Vnde neque sola ipsa sacra scriptura hucusque potuit petulantia hæreticorum ingenia compescere, ne fabulas vanas, variosque errores sectarentur. Id que amplius confirmatur, quoniam cum iudex sit lex viua, debet distingui à lege ipsa scripta, quæ est iudex mortuus, vnde Deuteroni 17. præcipitur Regi populi Israelitici, vt describat sibi Deuteronomiam legis: & ipsis popularibus præcipitur, vt in causis dubijs veniant ad iudicem pro tempore existentem ad quærendã iustitiam, & iudicij veritatem: sed sacra scriptura tantum est lex scripta: ergo indiget iudice viuo ad tria nimirum, vt illam applicet, & explicet, atque vt inobedientes puniat: quoniam cum lex sit mortua, non potest per se ipsam applicari, explicari, & contra inobedientes animaduertere, nisi mediante viui Iudicis ministerio, & adiutorio: ergo.

Ex his respondetur ad primum in contrarium neg. consequentiam, eo quod caput Ecclesię, licet vnum sit ob assistentiam Spiritus Sancti potest sufficere totius Ecclesiæ regimini, secus autem temporalis Monarcha sufficiet regimini totius mundi ob defectum talis assistentiæ. De qua solutione videatur Banesius 2. 2. *q. 4. de dominio lib. 3. dub. 4. ad primum.*

Ad 2. Resp. cũ Gaietano 2. 2. *q. 1. a. 10.*, nego antecedens, quia determinatio Concilij, aut totius Ecclesię nequit reduci ad effectum nisi dependenter à Congregatione, vocatione Summi Pontificis, & eius postea superueniente confirmatione. Ad tertium neganda est minor ob rationes assignatas, & alias, quas adducit Cano *lib. 3. de locis cap. 7.* soluens idem argumentum.

DVBIVM. II.

An istud supremum Ecclesiæ caput, Alexander VII. sit Romanus Pontifex, siue Romanæ Vrbis Episcopus, quantaque certitudine id tenendum sit?

IN hoc dubio, error est sectariorum, Episcopum Romanæ vrbis, neque Episcopum esse totius orbis, neque totius Ecclesię caput: imo in eius prærogatiuas infidi irruentes blasphemijs Romanum Episcopum esse Antichristum, & Romanam Ecclesiam Antichristianã fore appellandam, dicunt Lutherus *in lib. aduersus nouum Idolum, & antiquum Diabolũ,* Vuicleph relatus à N. Vualdense *tom. 2. de Sacramentalibus cap. 122.* Caluinus *lib. 4. instituti cap. 6. & super* Ioan. *cap. 21.* David Chitreus *sup. cap. 13. Apocalp.* & Theodorus Bliuiander *tabula* 10. quos nouissimè sequitur Iacobus Serenissimus Rex Angliæ *in præfatione monitoria pag. 61. & 62. & 104* qui adstruit se esse caput Anglicanæ Ecclesiæ, & quemlibet Regem in suo regno caput in temporalibus pariter, atque in spiritualibus esse. Fundamenta horum sectariorum, siue præsidia, quibus suam opinionem munire nituntur sunt tria. Primum est, quia Romanus Pontifex, non est legitimus Petri successor. neque enim D. Petrus Romæ mortuus fuit, sed longè ab Italia, tenet Caluinus *in comentario ad primam Petri epistol. in cap. 5. & in comentario ad secundam cap. 1.* sed non probat; ille autem esset Petri successor, qui ei successit in ea Ecclesia, & Dioecesi, quam ipse

ipse suo sanguine, & morte consecrauit: ergo.

Secundum est, eiusdem Caluini in hunc modum: vni corpori mystico, quale est Ecclesia, sicut & vni corpori naturali, sufficit vnum caput, sed Christus verum est caput Ecclesiæ: suæ regendæ: ac proinde superuacaneum est aliud caput constituere: atque in iniuriam dignitatis Christi, de quo Paulus *ait. 1. ad Corinth. 3. fundamentum nemo aliud potest ponere prater id, quod positum est, quod est Christus Iesus.*

Tertium est, quod desumunt Chithreus, Theodorus, & Iacobus Serenissimus Rex Angliæ ex illo testimonio Apocalypsis 13. vbi Ioannes Euangelista secundum communem Sanctorum Patrum interpretationem, describit personam, & nomen bestiæ, hoc est, Antichristi, sub his verbis: *qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* quæ contendunt apropriare Romano Pōtifici, qui proinde caput Ecclesiæ Christianæ esse non potest, cum sit contra Christum: ergo potius appellandus est Antichristus, eiusque Romana Ecclesia Antichristiana est dicenda. In hunc eundem errorem lapsi fuere Armenij, & Græci, & adhuc in illo, sicut & in suo schismate conquiescunt, vt refert de Armenijs, Gualterus *in Cronologia seculo 7. cap. 8. circa finem* dicens. Denique Romanum Pontificem contemnunt, quem cæteris superiorem esse negant: pro eo autem proprium habent Primatem, cui in rebus omnibus, tamquam Summo Pontifici obediunt. De Græcis verò refert idem seculo *9. cap. 4. num. 24.* dicens, quod Ecclesiæ Romanę Primatū abiecere illique Ecclesiam Cōstantinopolitanam anteponunt. Quos in hac parte sequuti fuerunt prędicti nouatores, nullum contemptum, aut maledicentiam erga Romanum Pontificem prætermittentes. Insuperque in oppositum errorem se coniecerunt omni prorsus Ecclesiæ capite excusso. Vt lector acurato iudicio æstimet, quibus nec nec palmā nequitię sit daturus: illis, qui falso capite hærere voluerunt, an istis, qui suæ prętentæ Ecclesię omne caput pręciderunt?

Cōtra hos errores statuitur sētētia catholica, quæ indubitate, tenet Romanū Pontificē esse verum Ecclesiæ caput, & legitimum Petri successorem, de qua videndi sunt Gaetanus in prælegatis duobus opusculis, nimirum de auctoritate Papę, & de Primatu Romanæ Ecclesiæ. Valentia in controuersijs Analisi fidei catholicę *lib 3. & 4. & 2.2. q. 1. a. 10. punct. 7. §. 37.* & duobus sequentibus, & Gualterius in sua Chronologia *seculo 1. verit. 11. §. 7.* & Bellarminus *lib. 1. Pontifice cap. 24. & lib. 2. cap 4.* & sequentibus; in assignanda autem certitudine, qua tenendum sit Romanum Pōtificem pro tempore existentem, esse Ecclesiæ caput, & Petri successorem dissentiunt Scholastici recentiores in duos modos dicendi. Alij autē de quorū numero sunt Bāñez *2.2. q. 1. a. 10 dub. 2. ad 2. §. nihilominus*, & Cano *lib 6. de locis cap. 8. ad 10.* & Malderus *disp. 5. de Sum. Pōtif. in solut. ad. 4.* dicunt esse quidem certum, non tamen immediate de fide diuina tenendū, sed ita vt oppositum sit temerarium, vult Banes, vel vt sit erroneum, quæ est certitudo cōclusionis Theologiæ, vt idem Bannes insinuat, & alijs placet: vel ita vt certum sit certitudine morali fidei humanæ, vt vult Cano: Alij verò de quorum numero sunt Bellarminus *controuersia 3. lib. 2. tom. 1. cap. 12.* & Valentia *punct. 7. §. 38.* Suarinus *hic disp. 5. sect. 8. num. 12.* Salmeron *in epist. Pauli lib. 1.* disp. de Ecclesia, Albertinus *tom. 1. corollar. 3. ex 3. principio philosophico q. 3.* volunt illud esse certum certitudine fidei: maximè (subdit Valentia) postquam Summus Pontifex electus exercet aliquem actum Pastoris, & capitis Ecclesiæ proprium, qualis est deffinitio alicuius veritatis ad fidem, vel ad religionem pertinentis, aut thesauri Ecclesiæ, per generalem indulgentiā dispensatio, in quo simul diffinit, ac reuelat implicitè se esse ritè electum, ac legitimum Petri successorem, pro cuius declaratione.

Dico primò, Romanus Pontifex est Episcopus Vrbis, & Orbis, ac legitimus Petri successor, & Ecclęsiæ caput. Hæc conclusio statuitur aduersus prædictos sectarios, tanquam certa, secundum fidem; & probatur primo, ex Ecclesiæ deffinitionibus; nam in *decretis dist. 21. cap. quamuis* Pelagius Papa sic habet. *Quamuis vniuersa per orbem Catholica Ecclesia vnus thalamus Christi sit, tamē Sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica nullis Synodicis constitutis, cæteris Ecclesijs prælata, sed euangelica voce Domini nostri primatum obtinuit, Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* & paulo infra concludit. Est ergo prima Apostoli Petri Sedes Romanæ Ecclesiæ. & *dist. 22. cap. omnes* determinat Nicolaus Papa Ecclesiam Romanam primatum obtinere supra omnes: inter quas dedit secundum locum dignitatis Ecclesiæ Alexandrinæ & 3. Anthiochenæ; licèt postea *6.* Synodus generalis dederit secundum locum Ecclesiæ Constantinopolitanæ: *illam verò* scilicet *Romanam*, ait Nicolaus, *solus ipse fundauit, & supra petram fidei maximè nascētis erexit, qui B. Petro æterna vitæ clauigero terreni simul, & cælestis imperij iura comisit. non ergo qualibet humana sententia, sed illud verbum, quo constructum est cælum, & terra, Romanam fundauit Ecclesiam: illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fuleitur &c.* Et idem habet Anacletus Papa ibidem capite *Sacrosancta*, & *2. q. 6.* per multos canones decernitur Romanam Ecclesiam esse caput ad quod tanquam ad supremum tribunal debet appellari, atque grauiores causæ ceterarum Ecclesiarum deferuntur. His accedunt testimonia, atque decreta Concilij primi Constantinopolitani, *can. 5.* & Chalcedonensis actione *16.* quibus expressè deffinitur Romam esse omnium Ecclesiarum matrem, quam veritatem Patres antiquiores Ecclesię etiam testantur, vt Clemens Romanus Diui Petri Discipulus, atque successor in epistola peima, & Ignatius Martyr, Ioannis Euangelistę Discipulus in epistola ad Romanos, eorum Ecclesiam cæterarū magistram, ac præsidem sub his verbis comendat: *Quæ præsidet in loco religionis Romanorum, Deo digna, decore digna, merito beatissima, digna laude, dignā qua quis potiatur, castissima, & præcellens dilectione Dei, ac patris nomen ferrens, spiritu plena &c.* Et Epiphanius *heresi 27.* Irænéus *lib. 3. cap.* Optatus Mileuitanus *lib. 2. contra* Parmenianum, & Augustinus *Epist. 165.* & alij quos referunt Bellar-

Bellarminius *lib.* 1. *de Pontifice cap.* 24. *& lib.* 2. *cap.* 4. ex quibus tale deducimus argumentum: ille est legitimus Petri successor, & caput Ecclesiæ, qui est Episcopus eius Ecclesiæ, quę inter omnes primatum obtinet: talem autem esse Episcopum Romanę Ecclesiæ constat ex dictis testimoniis. ergo.

Secundò probatur: nam de fide est Petrum accepisse sibi, & suis successoribus primatum Ecclesiæ à Christo Domino sibi dicente. *Tu es Petrus &c.* Matthæi 16. & Ioan. 21. *pasce oues meas* iuxta communẽ Sanctorum Patrum sententiam; quos refert Gualterius in dicta Chronologia *seculo* 1. *verit.* 11. *§.* 2. 3. *&* 4. & propterea Clemens vbi supra, sic inquit. *Sic inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit.* scilicet Petrus, & epist. 2. subdit. *Beatum Petrum Apostolum esse omniũ Apostolorum Patrem, qui claues regni cælestis accepit.* Quem propterea Dionysius Areopagyta *cap.* 3. diuinis nominibus appellat, *supremum, & Antiquissimum Theologorum fastigium*, idest supremum caput Apostolorum, vt ibi explicat D. Th. *lect.* 1. sed Episcopus Romanæ Vrbis esse Petri successorem in primatu à Christo Domino, promisso, & instituto: ostenditur multipliciter, primò auctoritate Greg. XI. qui in cap. *vbi periculum* de electi, & electi potestate; *in* 6. ait. Romanum Pontificem esse Vicarium Iesu Christi, sine Sacræ Petri, Rectorem vniuersalis Ecclesię, & gregis Dominici directorem, & Concilij Trid. quod *ses.* 4. decreuit, qui libri pro Canonicis sint habendi, aut approbandi: & vt nullus sacram scripturam contra sensum Ecclesię catholicæ contorqueat, cuius est de vero sensu, & interpretatione scripturarum Sanctarum iudicare: hæc autem Tridentina Synodus auctoritate Romani Pontificis fuit congregata, & postea confirmata: ergo.

Secundò, nam verum Ecclesiæ caput, & Petri successor est, cui incumbit fidei Symbolum ordinare, Synodum Generalem congregare, & eius decreta confirmare, vt habet D. Th. 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. & decernitur in decretis *dist.* 17. cap. *generalia* & cap. *Synodus*, & cap. *multis*, sed hoc munus esse Romanorum Pontificium constat experientia, & traditione, quæ nos docet omnia Concilia Generalia, post primum celebratum Hyerosolimis ab Apostolis, vsque ad Tridentinum inclusiuè, fuisse auctoritati Romani Episcopi consecrata, atque fulcita: ergo.

Tertio, nam necesse est aliquem existere iure diuino Sancti Petri in Pontificatu, Ecclesięque totius administratione successorem, & hunc constat non esse alium, nisi Romanum Episcopum, ergo. mai. patet, quia cum Pastor debeat esse propter Ecclesiam, non autem Ecclesia propter Pastorem: quod & lumine naturali notum est, & probat D. August. *lib. de pastoribus cap* 1. sicut & gubernatorem temporalem ciuitatis, vel Prouinciæ, debere esse propter bonum, & pacem ipsius Ciuitatis, vel Prouinciæ, & non è contra: ergo cum Ecclesia non minus ægeat Pastore nunc, quam temporibus Apostolorum: sed eo magis, quo nunc est diffusa, atque ex pluribus, & imperfectioribus fidelibus constans: necessariò consequitur Ecclesiæ Pontificatum, non fuisse in morte Petri extinctum, sed tandiù super litem fore quamdiù Ecclesia militans in terris à Domino peregrinabitur. min. autem probatur, quia Petri successor in Pontificatu est ille, qui ei in vltima sede successit per mortem ipsius: sed vltimam sedem D. Petri fuisse Romanam, quã vsque ad mortem tenuerit probat communis sanctorum Patrum, ac veterum Doctorum, historiographorumque Ecclesiasticorum consensus, cui nullus sanæ mentis potest refragari; nec ipse Caluinus ei rafragari audet, quin potius *lib.* 4. *institut. cap.* 6. *§.* 19. fatetur Petrum Romæ obijsse dicens; *propter hunc scriptorum consensum, non pugno, quin ille mortuus fuerit &c.* subdit tamen, *illum Ecclesia Romana Episcopum non fuisse*. In quo secum apetto Marte dimicat: idem enim scriptorum consensus, qui illum mouit, vt fateretur Sanctorum Petrum Romæ fuisse, & vitam amisisse, debuit eum mouere, vt cum eisdem scriptoribus concederet D. Petrum Romanę Ecclesiæ Episcopum extitisse: siquidem hoc secundum dictum scriptores non minus expressè quàm primum testificantur. Sed communis hæreticorum lapsus est, secum dimicare, proprię sententiæ contradicere, & peculiari inconstantię vitio laborare, vt experientia iam ab hinc multis annis docuit, vnde nec mirum, si eodem antiquato morbo inficiatur.

Dico secundò. Hunc Romanum Pontificem pro tempore existentem, v. g. Alexandrum Septimum esse legitimum Christi Vicarium, & Petri successorem, est certum secundum fidem, non tamen immediatè sed solum mediatè per modum conclusionis Theologicæ. Hæc conclusio statuitur aduersus eos Theologos recensitos, quia existimant dictam propositionem sola humana fide esse tenendam; & probatur primo; nã omnis veritas reuelata à prima veritate accipit certitudinem fidei eo ipso, quod innititur immediatè, siuè mediatè diuinæ reuelationi; sed eo ipso, quod ab Ecclesia communiter acceptatur electio huius Pontificis Romani, tanquam legitimè facta, eiusque persona, vt ritè electa veneratur, subest reuelationi primæ veritatis: quæ cum multis modis reuelet, videlicet, aut per sacram scripturam, aut per deffinitionem Summi Pontificis, vt capitis: vel totius Ecclesiæ in Concilio generali representatæ, aut per communem Ecclesiæ acceptationem hęc communis acceptatio, quam Ecclesia Electionem Alexandri septimi. v. g. vt legitima, & eius personam veneratur, tamquam ritè electã, est quoddam genus diuinæ reuelationis, quo prima veritas tanquam, & saltem implicitè reuelat Alexandrum VII. esse legitimũ Petri successorem; vt pote cum hęc concors Ecclesiæ acceptatio, & veneratio non possit nõ ex instinctu Spiritus Sancti prouenire, ex cuius assistentia Ecclesia redditur indefectibilis in communiter acceptando legitimas summorum Pontificium electiones. Secundò, nam deffinitiones fidei ab isto Pontifice dimanentes depẽdent per se ab hac veritate, seu propositione, nimirum quod iste sit ritè electus, & Petri verus successor: sed si hæc est fallibilis non possent illæ ab ista per se dependere, omnis enim veritas dependens proximè ab aliqua conditione fallibili est etiam fallibilis, sicut & conclusio dicitur sequi debiliorem partem ex his à quibus per se dependet. ergo. mai. patet, nam

nam dependet per se ex his duabus præmissis quicquid definit Summus Pontifex, vt Ecclesiæ caput, est certum de fide: sed iste qui definit est legitimum Ecclesiæ caput &c. Tertio probatur, nam propterea non est certum de fide in hac hostia contineri corpus Christi, quia applicatio illius vniuersalis de fide scilicet *in omni hostia ritè consecrata continetur Christus* ad hanc singularem, dependet à quadam propositione fallibili, quę tantum habetur humana fide, aut prudentia, nimirum ab ista *hæc hostia est ritè consecrata*, quæ tamen absolutè potest esse falsa, siquidem & Sacerdos potuit, aut nō proferre verba consecrationis, aut illa proferre sine intentione consecrandi: ergo similiter si veritas definita à Romano Pontifice dependeret ab aliqua propositione fallibili, qualis est ista, Alexander Septimus est Summus Pontifex, vel est ritè electus, per quam applicatur illi veritas altera vniuersalis de fide, scilicet *quicquid deffinit Summus Pontifex, vt caput Ecclesiæ, est de fide*, etiam esset fallibilis, & nō de fide: ergo. Vltimò probatur, quia propterea post deffin tionem est de fide talis propositio, quia deffiniendo aliquod verū, aut exercendo aliquem actum Pastoralem proprium vniuersalis pastoris, simul deffinit se esse Pontificem, sed etiam ante talem actum, siue deffinitionem est acceptatus ab Ecclesia, quę acceptatio est quedam virtualis, & implicita reuelatio illius propositionis, vt dictum est, eo quod tota Ecclesia, cum sit columna veritatis, & regatur à Spiritù Sancto, nequit errare: alioquin etiam rarò, & post multum temporis haberetur certa fides de legitima electione Pōtificis, imo plures decederent antequam Ecclesia certò credat illos esse Pontifices legitimos, sicut & multi decedunt, antequam aliquod dogma deffiniant, vel vniuersalis pastoris actum proprium exerceant, qualis est indulgentiarum dispensatio, aut Alicuius Sancti solemnis canonizatio, aut alicuius religionis approbatio, aut Concilij generalis conuocatio, seu confirmatio, quod tamen est inconueniens: ergo.

Dico tertiò. Alexandrum Septimum v. g. esse legitimum Petri successorem, non est immediatè de fide, sed tantum mediatè ad modum conclusionis Theologicæ: hęc conclusio statuitur aduersus eos auctores, qui existimant dictam propositionem esse immediatè de fide, atque subesse immediatæ reuelationi: & probatur primò: nam illa est conclusio Theologica, quæ deducitur ex duabus præmissis, quarum vna sit immediatè de fide, & altera sit nota, siue certa aliquo alio lumine; sed dicta propositio infertur ex huiusmodi duabus præmissis, nimirum, omnis ritè electus in Summum Pontificem est caput Ecclesiæ, atque successor Petri; & Alexander Septimus est ritè electus.

Ex quibus prima est certa secundum fidem, & immediatè reuelata in illa Christi promissione Matthęi 16 *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quę æquipollet huic vniuersali, omnis Petri successor per legitimam electionem est constitutus caput Ecclesię.

Secunda vero est certa, vel per prudentiam infusam, quę inclinat ad iudicandum verum esse quicquid Ecclesia communiter acceptat, quale est, quod electio huius v.g. Alexandri VII. fuerit legitima, vt potè communiter acceptata nullo reclamante; vel per lumen Theologicum quod mediante hac vniuersali de fide, scilicet Ecclesia non potest errare in eo, quod communiter acceptat, & mediante hac particulari per experientiam nota, scilicet, Ecclesia cōmuniter acceptauit electionē Alexandri VII. inclinat ad inferendum hanc propositionem: ergo Alexander Septimus est ritè electus, & illi assentiendum, ac proinde conclusio ex dictis pręmissis illata est Theologica, nimirum ista, Alexander VII. est verum caput Ecclesiæ. Et

Secundò Probatur, labefactando duo fundamenta, quibus innituntur aduersarij. Primum est, quia ad idem lumen pertinet proposito vniuersalis, atque eius singularis, sicut Petrus est animal, pertinet ad idem lumen primorum principiorum, ad quod pertinet eius vniuersalis, scilicet omnis homo est animal; sed ad lumen fidei pertinet hæc vniuersalis, omnis successor Petri est caput Ecclesię, cuius singularis est ista, Alexander est successor Petri, postquam eius electio est receptata: ergo immediatè pertinet ad idem lumen fidei. Secundum est, quia per fidem assentimus veritatibus deffinitis à Summo Pontifice, in quantum ab illo sunt deffinitæ: ergo. Si de eius potestate non haberemus certitudinem fidei, nec illam haberemus de veritatibus ab illo deffinitis, siquidem nequit esse maior certitudo de deffinito, quàm de deffiniente, cum illa innitatur huic. Vtrumque autem fundamentum defficiens esse patet, De primo quidem, quia singularis illius vniuersalis non est hęc, Alexander est caput Ecclesiæ, sed ista, Alexander ritè electus, vel Alexander successor Petri est Ecclesiæ, caput, quę resoluitur in has duas exponētes, scilicet, Alexander est ritè electus, & Alexander est caput Ecclesię, ita vt ratione prioris applicetur ei vniuersalis, & fiat illius singularis, eo quod subiectum dictæ vniuersalis non solùm sit homo distributus pro singularibus hominibus, sed homo ritè electus, vel successor Petri distributus pro hominibus ritè electis, vel pro successoribus Petri; prior autem proposito exponens, non est reuelata, neque certò constat ex reuelatione dictæ vniuersalis. De secundo autem, ostenditur, ex eo quod fides, & certitudo diuina, quæ habetur de veritatibus deffinitis à Sūmo Pontifice, *vt à capite Ecclesiæ* non innititur illi, vt rationi formali, & regulę principali, nisi dumtaxat, vt instrumento, per quod prima veritas, quæ est regula principalis, & ratio formalis obiecti fidei loquitur, & reuelat, vel vt conditioni, & regulæ quoad nos sine qua diuina reuelatio de huiusmodi veritatibus deffinitis nobis non communicaretur, nec applicaretur, sicut autem potest in naturalibus, & artificialibus effectus perfectione, & nobilitate excedere instrumentum, atque conditionem; ita & in nostro casu, potest certitudo veritatū deffinitarum excedere instrumentum, & conditionem quoad certitudinem, quę de ipsis habetur, qua ratione etiam in intellectualibus, in quo genere sunt assensus, de quibus sit sermo, assensus conclusionis scientificę præstantior est dispositione syllogistica in modo, & figura, à qua tamen per se, vt à conditione dependet. Igitur quamuis de veritate, & electione legitima capitis deffinientis tantum habeatur certitudo

titudo Theologica, optimè potest de rebus deffinitis haberi formalis certitudo diuinæ fidei, ac proinde ex hoc capite non conuincitur eandem, vel æqualem de veritate capitis in singulari, atque de veritate rei ab ipso deffinitę fore habendam certitudinem.

Ad primum in contrarium non aliter respõdetur, quàm ipse Caluinus conuinctus respondet *lib. 4. institutionum cap. 6.* §. 15. dicens se iam non velle negare propter communem scriptorum assensum. D. Petrum Romę obijsse.

Ad Secundum Respondetur, aut negando consequentiam, aut negando maiorem, si intelligatur supposita ordinaria lege; & prouidentia Dei in gubernando suam Ecclesiam. Nam sicut quamuis Deus per seipsum sufficeret gubernare vniuersum, tamen voluit vti creaturis, vt causis secundis, easque habere adiutrices ad effectus ipsarum producendos, voluitque inferiora corpora cælestibus subijci, ab illisque gubernari, ita voluit hominibus vti, vt causis Secundis, & instrumentis ratione præditis ad alios in fide instruendos, ac baptizandos, & similiter spiritualiter gubernandos; & quidem non tantum parocho vno, in vnaquaque parochia, vnoque Episcopo in vnaquaque Diæcesi: sed & vno Pastore vniuersali in Ecclesia vniuersa, quæ cum Monarchia visibilis sit, sine Monarcha visibili esse non debet. ac proinde talis Monarcha visibilis præter Christum, qui nunc est inuisibilis hominibus viatoribus, atque militanti Ecclesiæ, præficiendus est: vt Christus tanquam caput inuisibile, ipse verò tanquam cuput visibile, atque Christi supremi, & absoluti capitis Legatus visibilis, ac Vicarius generalis eandem Ecclesiam Spiritus Sancti ductu, regat, & gubernat, quod Paulus 1. *ad Chorint.* 12. haud obscurè insinuat, dumde Ecclesię vnitate, mutuaque illius membrorum colligatione, & de necessarijs vnius membri erga alterum subsidijs disputans sic ait: ***Non potest autem occulus dicere manui, opera tua indiges, aut iterum caput pedibus non estis mihi &c.*** vbi non de capite absoluto, & supremo, nimirum Christo loquitur, hoc enim proculdubio affirmare potest opera nostra non indigere iuxta confessionem Dauidis *Psal.* 15. ***Deus meus es tu, quoniam bonorum meorũ nõ eges:*** sed de capite visibili Christique Vicario, ac Legato generali, quod ab humanis necessitatibus nõ est immune.

Ad Tertium, vt repondeamus opere prætiũ est, Romanum Pontificem ab iniuris, & blasphemijs, quibus eum prædicti sectarij impetunt nominibus Antichristi vindicare, pro cuius declaratione Antichristi conditiones indiuiduantes operosius indaganda sunt, ex dictoque Ioãnis testimonio exordium sumentes ab eius nomine auspicamur.

Igitur supponimus primò, dictum testimonium Ioannis profetiam esse quandam de Antichristo, quem sub nomine, & figura bestiæ cuiusdam de mari ascendentis Deus Ioanni representauit, quę suppositio suadetur dupliciter. Tum quia signa huius bestiæ Antichristi conditiones videntur exprimere: de illa namque affirmat Ioannes habere capita septem, & cornua decem, & super capita habere nomina blasphemiæ; ipsamque bestiam Pardo, Vrso, & Leoni assimiliari, atque à Dracone accipere virtutem, & potestatem; quę planè congruunt Antichristo, qui ad instar Pardi, Vrsi, & Leonis de mari, hoc est, de mundi nequitia, & inquietudine feruẽte ascendet ad seuiendum, aduersus Dei Sãctos, & Ecclesiã, potestate à Demone accepta; Subditque Ioannes omnes terræ habitatores bestiam adorasse, quorũ nomine non sunt scripta in libro vitę Agni: & insuper quod eius tẽporibus, hęc complenda sunt, nimirum: ***Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit, qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi &c.*** Quæ proculdubio ad tempus Antichristi referuntur, qui armis, & seuiendo contra inobedientes sibi, faciet se à malis odorari, & ferè ab omnibus terræ incolis in prætio haberi. Tum etiam ex communi intelligentia Patrum, qui per hanc bestiam obumbrari, & denotari Antichristum contestantur, de quorum numero sunt Ireneus *lib. 5.* ***aduersus Haretes à cap.*** 28. Arethas ***tractat. in Apocalyps. cap.*** 3. & Ansbertus ***in coment. eiusdem cap*** 13. quibus omnes Neoterici scriptores suffragantur; excepto vno Alcazar, qui de Romano Imperio, siue de aliquo determinato Romano Imperatore. Hãc visionem fotè intelligendam, sibi voluntariè suadet.

Supponimus secundò apud Grecos, pariterque apud Hebræos, eosdem characteres alfabeti esse notas numerorum; ac proinde sensum huius testimonij Ioannis esse: ***Qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est***: ac diceret, qui de mysterio Antichristi habet, vel habere cupit intelligentiã, computet numerum contentum in characteribus nominis ipsius, qui proculdubio est numerus hominis, idest humano modo computabilis vel hominis, scilicet, Antichristi; qui non Angelus, siue Dæmon: sed verus erit homo. ***Et numerus eius sexcenti sexaginta sex,*** hoc est, nomen eius erit illud, quod conficitur ex characteribus Græcis, hunc numerum, ***sexcenti sexaginta sex.*** continentibus, ob quam rationem inteapretes sacri, & linguæ grecę periti, quam plurĩũ nomina ex cogitarunt *Ant chrìsti*, quorum charateres præfatum numerum adequãt. quorum mentem faciunt Alcazar in comentario dicti *cap.* 13. Et Viegas ibidem ***sect. 1. coment.*** 2. ex quibus potiora, & congruentiora statim recensebo.

Supponimus vltimo non vacare mysterio, quod nomen Antichristi, sub hoc enigmate pronunciaretur pluribus de causis. Tum quia cum eius aduentus futurus sit ignotus: de die enim illa nullum mortalium scire ipsa Patris sapientia in Euangelio testatur: vt quando aduenerit homo ille peccati, viri sapientia, & sanctitate prędicti, in eius nomine, prefatum numerum inuenientes, intelligant illum, esse eundem, de quo scriptum reliquit Ioannes tot retro seculis: & numerus eius sexcenti sexaginta sex. Tum etiam quoniam, vt prędixerat Ioannes in eodẽ capite, sequaces antichristi eius nomine, characteres in manu, vel fronte, in signum seruitutis, sunt insigniendi. ***Et faciet (ait ille) omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere nisi, qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.*** Quibus in verbis Antichristi sequaces pronunciat Ioannes fore insigniendos vno

cx

ex tribus signis in fronte, vel in manu videlicet, aut quodam ipsius insigni, quod illius character nuncupatur, de cuius figura, & qualitate variant interpretes huius loci, plerisque tamen placet futurum esse signum ad instar Crucis, Christi nominis litteris exaratum, aut nomine ipsius Antichristi; aut numero nominis, id est characteribus adæquantibus numerum, in ipsius nomine contentum. Vt igitur Antichristi serui & sectarij, qui ipsum tanquam ante signanum sequentes à cæteris Christi militibus secernantur, per huiusmodi signa oportet eius nomen dignosci; ad idque opus est Ioannis profetiam de præfato numero, trium senariorum mente retinere. Tum denique quia cũ per omnia Antichristus futurus sit Christo contrarius, & contrariorũ eadem sit ratio, & disciplina: sicut nomen Iesus à Sybillis fuit sub mysterio numeri trium octonariorum prænunciatũ, vt patet ex sequentibus carminibus, quę *lib.* 1. sybillanorum carminum continentur.

Sed qua sit numeri totius summa docebo.
Nãq; octo monadas, totidẽ decadas super ista.
Atque heta tondadas octo, infidis significabit,
Humanis nomen, tu vero mente teneto.

Ita & nomen Antichristi condeniens fuit, sub mysterio numeri trium senariorum designari, sub prędictis verbis, & *numerus eius sexcenti sexagintasex*. Quod autem nomen Gręcum *Iesus* eum numerum adæquet, patet ex sequenti computandi ratione: *Iota* valet 10. *I.* paruũ valet. 8. *Sigma*, bis centum, *Omicrom*, septuaginta, *Epsilom* quater centum, & *Sigma* alterum bis centum: quæ litteræ, ex quibus prædictum nomen in lingua Græca componitur, conficiunt 888. Neque mysterio vacat nomen *Iesus* tribus octonarijs, & nomen Antichristi tribus senarijs constare. Misterium autem eo tendere existimo, quod per octonariũ status beatificus futurę Resurectionis designatur: in cuius signum die septimo requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat: Psalmi quoque pro octaua scribuntur, quorum materia, & argumentum est Dominica Resurectio, quę fuit status futuræ glorię initium, & exemplar, vt tradit D. Th. in comentario *Psal. 6.* cuius titulus est *In finem in carminibus pro octaua*. Vbi aliã nobis reddit rationẽ, ob quã per octauã status Rerurectionis designatur, nimirum quia octaua ętate erit; nam prima ętas currit ab Adã vsque ad Noe, 2. à Noe vsque ad Abrahã, 3. ab Abrahã vsque ad Dauid, quarta à Dauid, vsque ad transmigrationẽ Babylonis, quinta à trãsmigratione Babylonis, vsque ad Christũ: à Christo autem, vsque ad finem mundi (ait ille) currunt simul sexta, & septima ętas, scilicet quiescentium, & laborantium, & post has erit octaua ętas resurgentium. Per senarium autẽ numerum pericula, & labores huius vitę congruentes designantur: in cuius signum propterea Deus sex diebus totum hunc visibilem mundum operatus est: & Iob. *cap. 6.* ob eandẽ rationem dixit, *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum*. Idest post tribulationes huius vitæ numero senario comprehensas, expectat te status Resurectionis, vel gloria futuræ vitæ tribulationum expres: quæ ideò Paulus ad Hębreos quarto appellat Sabbatismum dicens: itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. In huius quoque signum notat D. Th. 1. 2. *q.* 102. *art.* 4. ad 10. festum octauum à populo hębreorum solitum celebraui octauo die mensis septimi, idest septembris appellari centum, siue collectum: per quod cõgregatio fidelium in Regno cęlorũ designabatur: quod propterea festo tabernaculorũ per sex cõtinuos dies immediatè pręcedẽtes: celebrato succedebat quia repręsentabat peregrinationẽ fideliũ in hoc mũdo ambulãtiũ per fidem, atq; in virtutibus proficientiũ, cui peregrinationi numero senario congruenter repręsentatę, status patriæ in festo sanctissimo cætus, & collectæ representatus succedit. Igitur tribus octonarijs nomen Iesus conficitur, quia ipse sua passione, & morte ianuas regni cęlorum, & Beatissimi status nobis patefecit: Anthicristi verò nomen sub numero senario triplicato pronunciatur: quia tribulationes, & labores hominibus incutiet, quales nusquam fuerunt in Ecclesia: illosquę ab ingressu regni cælorum verbis, factis, minis, & tormentis auertere conabitur.

Ex nominibus autem quorum litteræ hunc numerum adęquant, congruentiora sunt sequentia. Primum locum obtinet illud, quod Iræneus, Ausbertus cęteris anteponunt *Teitan*, siue *Titan*, idest Gigas, quo nomine solemus nuncupare Solem, de quo proprerea dicitur *psal.* 18. exultauit, vt gigas ad currendam viam &c. Hoc autem maximè conuenit Antichristo, qui ob superbiam ad instar Solis in admiratione, & in prætio haberi cupiet, ad instar Gigantis cunctis hominibus timorem incutiet: cuius nominis, & sequentium characteres numerum prædictum trium senariorum conficere constat ex tabula communi Gręci dictionarij. Secundum locũ obtinet nomen *OniKytis* idest, Victor, quod ab eisdem Patribus inuentum est, eo quod etiam superbię Antichristi conueniat, qui in multis contra fidem Christi victor euadet. Post hęc tertium locum habet nomen, *Anthemos*, id est contrarius, à Thyconio, & Primasio inuentum, quod maximè Antichristo congruit, qui Christo omnibus modis contrarius existet. Obtinet quartum locum nomen, *Alazonn iabiu*, quod significat superbiam vitæ quæ in Antichristo vigebit. Deinde quintum locum obtinet nomen *Lateinos*, siue *Latimis*, quod Ireneus, & Arethas vbi supra inuenerunt.

Sed tamen perperã, & sine fundamento prędicti sectarij dicunt appropriari Romano Pontifici, vt capiti, & Pastori Ecclesię latinę, quasi hoc significet ipsum nomen latinus: perperam inquam, & sine fundamento dici ostendunt Bellarminius *lib. 3. de Romano Pontifice cap.* 10. Suarius *lib.* 1. *defensionis catholicæ* ferè per totum, & Maluenda *lib.* 8. *de Antichristo cap.* 17. vbi simul ostendunt impiam, & hęreticam, esse predictam opinionem, & appropriationem eo quod Romano Pontifici nomen *Lateinos* minimè conguit, cum nullus hucusque à Petro, vsque Ad Alexandrum Septimum, hoc nomine fuit insignitus, neque omnes fuere *Alacta*, vt latini quasi nomine Patronomico nuncupentur, neque solius latinę, verum & Gręcę Ecclesię sunt capita, & Pastores. Et si fundamentũ, ex quo prędicti sectarij in hunc errorem lapsi fuerunt vetissimum sit nimirum visionem

hanc

hanc Apocaliysis, & nomen bestię Antichristo congruere, de illoque Propheticè fore intelligenda m.

Sed quia conditiones indiuiduantes in vnoquoque indiuiduo sunt septem, teste Porphirio in cap. de specie, his carminibus contentæ:

Forma figura, locus tempus cũ nomine sãguis. Patria sunt septẽ quæ nõ habet vnus, & alter.

Nedum nomen, sed alias sex Antichristi conditiones sigillat m placet explanare, vt aduersus prædictos sectarios ostendamus, eas minimè Romano Pontifici conuenire. De forma igitur, & figura nihil expressum in sacra scriptura, aut Sanctis Patribus habemus: ex quo tamen istę conditiones sunt notæ in Romanis Pontificibus pro tempore existentibus constat ab eis alienam esse formam Antichristi. De loco vero eius, & Sede, vbi regnaturus est, atque suum solium positurus, est sententia certa Sãctorum Patrum Iranei *lib. 9. aduers. Hereses c.* 25. Lactantij *lib. 7. cap.* 15. Rabbani tract. de Antichristo. Et Seuerij sulpicij *dialogo 2. de Sancto Martino*. futuram esse Hyerosolimam; quod suadent tribus testimonijs sacrę scripturæ, vt ex illo *Danielis. 9.* quod ad litteram verificatur de Antiocho, & alegoricè de Antichristo. *Sedebit in Templo abominatio dessolationis & c.* quoniã sicut Antiochus ab Egypto venit Hyerosolimã, vt in templo Dei suam sedem collocaret, ita Antichristus ab Egypto incipiens Hyerosolimã veniens, antiquum templum eriget, vt in illo solium suum collocet; in huius confirmationẽ Christus Dominus *Matth.* 24. persecutionẽ vltimam Ecclesię ab Antichristo inferendam pręnuncians, sic ait: *Cum videritis abominationem dessolationis stantem in loco Sancto & c.* & Paulus 2. *ad Thessalon. & tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustrationẽ aduentus sui & c.* Quo denotat Apostolus Antichristum cũ suo pręcursore occidendum fore, non quidem gladio, aut armis, sed imperio Christi domini. Eiusque mortem patrandam fore in monte Olíueti aiunt prędicti Patres) qui mons proculdubio est propriè Hyerosolimam, ex quo deducitur falsam esse sententiam quorundam iuniorum interpretum, de quorum numero sunt Alcazar in Apocalyps. *cap.* 14. *notat.* 3. *& cap.* 19. *notat.* 8. Viegas, & Ribera ibidem §. 30, asserentium Antichristum, & eius precursorem non occidendos, sed à terra in infernum viuos absorbendos fore; eo quod Apocalyps. 19. de illis sic dicitur: & apprehensa est bestia, & cũ ea pseudo profera &c. viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, & sulphuræ.

Ad locum autem Pauli respondent verbum illud, *interficiet*, significare idem, ac *vincere* verbis, ac doctrina: vel significare idem, ac consumere, vel lumina ignis absorbentis &c. Sed hæc sententia conuincitur falsitatis propter tria. Tum quia contrariatur sententiæ Sanctorum Patrum, nimirum Hyeronimi, & Theodoreti, quibus suoscribunt Haimus, Beda, Anselmus, & D. Th. in prędicti loci Pauli comentario. Tum etiam quia alias verbum *interficiet*, seu *consumet* idem significabit, quod verbum, *destruit* quod licèt admittat Alcazar: falsum tamen esse patet: quia esset inanis verborum repetitio, dum Paulus ait, interficiet, & destruet: quæ tamen non est admittenda, ergo. Tum denique quia per bestiam, & Pseudo Profetam in *cap.* 19. Apocalips. certiùs est intelligi mũdum, & Romanum Imperium à Christi prædicatoribus conuertendum, quam Antichristum, & eius præcursorem. Et licèt de his intelligantur, tamen adhuc non colligitur ipsos non fore occidendos priùs, quàm viui in infernum descendant; optimè enim stat, quod à Christo priùs occidantur, & post mortem inflictam resurgant, vt in corpore, & anima æterno igne viui crucientur. Si itaque Antichristus propè Hyerosolimam à Christo est occidendus, ibi suum imperium habebit, atque Tirannidem exercebit; tantum abest, quod habiturus sit suam Sedem Romæ [vt sectarij arbitrantur] quod potius illam igne consumet inuidus Romani Pontificis primatus: cuius incendium, & ruina pronunciatur, Apocalyps. 18 sub nomine Babylonis, dum dicitur: vè vè ciuitas illa magna Babylon, quoniam vna hora venit iudicium tuum.

Deinde de tempore illius, quamuis non constet determinatè quo diè, vel quo anno venturus sit, ne dies, & hora iudicij hominibus innotescat quam Deus voluit illis esse ignotam, vt ipse Christus Dominus testatur Matth. 24. dicens: *de die autem illa, & hora nemo scit*. tamen certum est, secundum fidem, quod eius imperium paruo tempore duraturum sit, & quod eius aduentum aliqua signa sint pręcessura: propterea enim dicitur de illo Daniel 7. quod sanctos altissimi conteret, & *cap* 11. subditur, quod initio sui imperij auferet iuge sacrificium, idest, Sacramentum Eucharistię, vt latè probat Valentia in controuersia cõtra Hebrandum *lib.* 1. de Missæ sacrificio cap. 4 & statim subditur: *Quod in paucis diebus conteretur non in furore, neque in prælio*: & cap. 12. Danieli interroganti, quando hæc persecutio accipiet finem? Respondit Angelus; *per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* hoc est per vnum annum, per duos annos, & dimidium alterius, vt Hyeronimus ibi, & Augustinus *lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.* 8 *&* 23. interpretantur. Sed quoniam in tribus annis cum dimidio, dies mille ducenti nonaginta continentur, subditur ab Angelo *mille ducenti nonaginta: & beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Hoc est vsque ad diem Resurrectionis, qui futurus existimatur probabiliter intra quadraginta nouem post obitam Antichristi.

De nomenclatura autem ipsius extat insigne testimoniũ Ioãnis supra adductũ ex Apocalipy. *cap.* 14. Ex quo satis probabiliter deducitur quã non ęclatura sit appellãdus, cõposita, scilicet, ex characteribus numerum trium senariorum exæquantibus: & quæ cęteris sit anteponenda, constat ex dictis. Deinde de eius sanguine, & genealogia, licet non sit cõstans sententia ipsũ ex tribu Dan fore descensurum: eo quod ex nullo testimonio sacræ scripturæ in sensu litterali intellecto, hoc deducatur, vt scitè Bellarminius *lib.* 3. *de Romano Pontifice cap.* 12. & Alcazar *Apocalyp.* 7. *notat.* 4. aduertant, quoniã tria tantum sunt testimonia scripturæ quæ à Patribus in hunc sensum adducuntur, nimirum illud *Genesis. 49 fiat Dan, sicut coluber, & cerastes in semita*. Et Hyer. 8. *A Dan auditus est fremitus equorum eius & c. Et. Apo*calyp

D calyp

calyp. 7. vbi cum recenseantur omnes tribus Israel in numero electorum, omittitur tribus Dan in odium Antichristi: sed primum testimonium ad litteram teste Hyeronimo intelligitur de Sansone. Secundum verò intelligitur de Nabucodonosor, per Aquilonem, vbi erat tribus Dan Iudæam inuasuro: ex tertio denique nihil certi intelligitur, cum etiam omittantur tribus Ephraim, neque id factum fuerit in odium Antichristi. Sed tamen communis est sententia Sanctorum Patrum in sensu allegorico, hæc testimonia interpretantium de Antichristo, de quorum numero sunt Hyeronimus, Beda, Haimon in Apocalyp. *cap.* 7. August. Riccard. Rupert. & alij relati à Ribera *cap* 7. *in Apocalyp.* & à Pererio *disp.* 10. *&* *lib.* 14. in Danielem, à qua sententia non esse sine temeritatis nota recedendum, probat Maluenda *lib* 2. *de Antichristo cap.* 14. aduersus Oeastrum in Genes. *cap.* 49. Suarium *tom.* 2. *in* 3. *partem disp.* 54 *sect.* 2. & Bellarminum *lib.* 2. de Romano Pontifice *cap.* 14. asserentes ex nullo capite constare certò, quod Antichristus sit ex Tribus Dan descensurus: probat inquam tripliciter. Primo, quia Iudę in huius veritatis signū, quemcunque Tyrranum, seu crudelem hominem appellant Ben Dan, idest filium Dan, denotantes maximum omnium tyrranorum, futurum esse filium Dan.

Secundo, quia in primo testimonio in typum Antichristi attribuitur Dan calliditas, figura, & morsus serpentis: in secundo vero, quæ dicuntur de Nabucdonosor ad litteram, verificantur de Antichristo in sensu allegorico, qui fundatur in littera, eo quod Nabucho, figura, & præcursor fuit Antichristi. In tertio denique omittitur sola tribus Dan in odium Antichristi, nam iuxta d[ict]orum Patrum sententiam tribus Ephraim sub nomine sui progenitoris numerari censetur.

Ex his tale deducitur argumentum. Antichristus nasciturus est ex parentibus Iudęis, vt testantur Hyeronimus Danielis 11 & Ambros. *super.* 2. *ad Thessal:* 2. & non ex alia tribu, nisi Dan, vt patet ex dictis testimonijs: Igitur hęc erit eius origo, & genealogia, eamque non fore stirpem claram, sed vilissimam testantur *Dan.* *cap.* 7. *&* 11. dicens, quod erit cornu paruum, quod erit despectus, & non tribuetur ei honor Regius, quia erit homo vafer, & vilis, atque indignus honore Regio: & quod adorabit Deum Maozim in auro, & argento, quod interpretatur, Deum fortem, seu fortitudinum: quia vt explicat Maluenda *lib.* 7. *cap.* 12. adorabit quemdam Dæmonem in altari auri, & argenti quasi Deum suum, cum quo familiariter colloquetur & à quo in omnibus dirigetur. Vltima conditio est Patria, quam certo constat futuram esse Babilonyam, non Romam, quæ metaphoricè appellatur Babylon, sed illam, quæ propriè dicitur talis & in Caldea est constructa. Idque probat primò communis sententia Patrum, de quorum numero Hieronymus *Daniel.* 11. Gregor. lib. 31. moralium *cap.* 18. Arethas in Apocalyps. *cap.* 9 Beda, & Strabo *cap.* 17. & Rabbanus tract. de Antichristo; quam sententiam ab Antiquis Patribus communiter acceptam fuisse, testatur Hieronymus, vbi supra.

Secundo id probat Maluenda *lib.* 12. *cap.* 15. & sequenti: ex eo quod congruum valdę est Antichristo in Babylonia nasci, quam Membrot primus ædificauit Turrim Babel erigendo: ita vt sicut primus tyrranus, sic & maximus in illo præsignatus ex eodem loco egrediatur. Et quia Nabuchodonosor, & Antiochus Epiphanes, qui fuerunt Antichristi veteris sacramenti, & imagines nouissimi Antichristi, in Babylonia regnarunt: oportet autem figuram figurato congruere, igitur, & Antichristus noui testamenti in Babylonia est nasciturus, vnde minus cautè Aleazar *Apocalyp.* 7 *notat.* 4. loquitur: dum Antichristi patriam omnino dubiam, & incertam esse asseuerat: cum tamen communis Sanctorum Patrum sententia illam probet, à qua audacię indicium est recedere, quę conditiones omnino sunt alienę à Romano Pontifice, vt potè, quia formam, & figuram habet, quoad nos certam, cuius locus & sedes est Romana Ciuitas, non Hierosolymitana: neque eius Principatus, ità corruit intra tres Annos, & dimidium: quamuis enim aliqui Pontifices citiùs vitam finierint, tamen alij per plures annos in Pontificatu vixerunt, & omnium Principatus permanet in successoribus: nullusque hucusque Titan, aut aliquo ex prædictis nominibus fuit nuncupatus: neque aliquis post Petrum fuit de Sanguine Iudęorum, prohibente etiam hoc statuto Collegij Cardinalium, de quorum numero Summus Pontifex est assumendus: neque legimus de aliquo in Ecclesiasticis historijs adoratse Deum Maozim, aut in Babylonia fuisse natum: ac proinde Romanum Pontificem esse Christi Vicarium: sed non Antichristum certò ab omnibus fidelibus tenendum esse, vt ipsum catholica veritas ab iniurijs vindicet sectariorū.

DVBIVM III.

De indefectibili auctoritate Romani Pontificis ad veritates fidei, Religionis, ac morum populi Christiani diffiniendas?

IN hoc dubio quatuor versantur sententiæ, duę extremę, & aliæ duæ medię, quarum prima negat omninò Summum Pontificem Romanæ Ecclesię cathedra [indefectibili], & infallibili auctoritate gaudere, vt in diffiniendis rebus ad fidem, Religionem, ac mores totius Ecclesiæ pertinentibus, non possit à veritatis scopo deuiare. Hanc sequuntur ex catholicis Doctoribus Graulanus *disp.* 19 *c. ita Dominus. §. hoc autē, &* §. *quo ergo.* Noster Thomas Vualdens *lib.* 2. *doctrinalis fidei cap.* 19 Turrecremata *lib* 4. *summæ p.* 2. *c.* 26. & Adrianus 1. 4. *q. vltima de confirmat:* Alphonsus de Castro *lib.* 1. *aduersus hæreses cap.* 2. & 4. secutus Gersonem, Almainum, Ochanum, & alios doctores Parisienses: ex sectarijs autem Luterus in lib. qui lingua Theutonica inscribitur aduersus nouum Idolum, & antiquum Diabolum, vbi dicit. Pontificem Adrianum Sextum, errasse in canonizatione Sancti Bennonis Episcopi Nismēsis, ab Vuicerh relatus ab Vualdē *tom.* 2. *de Sacramentalibus cap.* 122. & ibidem Luterus *in lib. de Concilijs.* Caluinus *lib.* 4. *institut. cap* 7. §. 28. *& cap.* 9. §. 9. & Erasmus de heresi, semper semper suspectus, super Epistol. Beati Hieron. ad Damasum, & in lib. de ratione verę Theologię: quos sequitur Iacobus Serenissimus Rex Anglię *præfatione pag.* 57. *vsque ad* 62.

62. dicens nullum esse Monarcham Ecclesiæ, qui infallibilitate spiritus nunquam in suis sententijs possit errare: ac proinde soli sacræ scripturę esse credendum. Quæ sententia suadetur quadrupliciter, primò quia omnis propositio, quę innititur testimonio fallibili, etiam fallibilis est, vt potè dependens à causis fallibilibus: sed propositiones deffinitæ à Summo Pontifice, siue seorsim, siue cum Collegio Cardinalium associato dependent ex pluribus conditionibus, & testimonijs fallibilibus: ergo nequeunt esse indefectibilis veritatis: minor patet, nam dependent in primis ex eo, quod iste Summus Pontifex sit ritè electus, quę conditio, neque constat infallibiter ex eius testimonio; plurimi enim Anti Papę, vt Ioannes 23. Greg. 12. & Benedictus13. tempore schismatis asseuerarũt se esse ritè electos; neque ex diuina reuelatione immediatè facta Ecclesię, quæ nullatenus extat, vt vidimus dubio precedẽti, neque Ecclesię acceptatione, quę est insufficiẽs propter duo, tum quia talis acceptatio prouenit ab Ecclesia secluso capite, quo secluso Ecclesia non retinet infallibilem auctoritatem. Tum etiam quia si communis acceptatio Ecclesię esset causa, vel signum infallibilis veritatis, esset certum secundùm fidem in hac hostia, quæ populo proponitur adoranda, contineri Christum, & hanc indulgentiam esse validam, & rationabiliter concessam: siquidem etiam his propositionibus acceptatio communis Ecclesię applicatur, & applicata eadem causa eundem sortitur effectũ: quod tamen esse falsum patet, quia consecratio huius hostię dependet ab intentione ministri, de quo certò constare non potest illam habuisse; & quia hanc indulgentiam in singulari non constat certò dispensatam fuisse ex rationabili, & sufficienti causa: ergo. Deinde pendet hoc, ex eo quod Summus Pontifex sit baptizatus & Sacerdos, capax, & nõ irregularis, quę conditiones sunt defectibiles, & de nulla earum certò nobis, aut electoribus constat. Imò de facto contigisse aliquando fieri electionem personę inhabilis, & incapacis, vt de Ioanne octauò, narrant historiæ fœminam fuisse. Rursus dependet ex eo quod electio fiat a legitimis Cardinalibus, quæ conditio etiam non constat certo. Imò post Vrbanum sextum fuerunt electi prefati tres Pontificies in Schismate: quibus postea depositis in Concilio Constãtiensi electus fuit Martinus Quintus ab electoribus non legitimis, idest à procuratoribus, & legatis nationum, qui non erant Cardinales: ergo neque legitimi electores ex tunc in Ecclesia permanserunt.

Secundò nam etiam in Ecclesia veteris legis fuit Summus Sacerdos non minori dignitate capitis, & pastoris vniuersalis insignitus, quam Romanus Pontifex in sua Ecclesia: & tamen nõ habuit hanc infallibilitatem spiritus in deffiniẽdo: ergo neque illam debet habere Romanus Pontifex; minor patet, nam de facto errauerunt Summi Pontifices veteris legis in publicis decretis, vt ***Exodi legitur*** 32. de Aarone, qui populo adorandum vitulum proposuit, & eum cum populo adorauit: & Caiphas blasphemũ esse decreuit: ergo: Tertio, nam decreta, aut iudicia Summorum Pontificium ab illis, etiã vt à pastoribus vniuersalibus emanantia dependent à pluribus causis defectibilibus: ergo & ipsa sunt defectibilia. consequentia est nota, & antecedens probatur; numerando quatuor causas omninò defectibiles, à quibus huiusmodi decreta dependent: quarum prima est libera Pontificis voluntas, quę pro sua libertate cõtrarietatis, potest velle deffinire falsum. Secunda est lumen fidei ipsius Pontificis, quod potest deficere, siquidem, & ipse Pontifex potest labi in hæresim, siue errorem personalẽ, quem, & sua deffinitione potest exprimere.

Tertia est diuina motio quę illustrando intellectũ, & afficiendo voluntatem tollet in diffentiam ex parte obiecti intellectus, & determinet voluntatem quoad specificationem ad diffiniendum verum. Quarta est sufficiens, & solers diligentia adhibenda antecedenter ad diffinitionem in consulendis Patribus, Canonicis libris, & antiquis Concilijs; quam etiam potuit Summus Pontifex omittere.

Quarto, nam huiusmodi infallibilem auctoritatem, aut haberet Summus Pontifex ex iure diuino, aut ex humano: sed neutro modo illam habet: ergo neutiquam: minor quod non iure diuino, patet, quia quod dependet à conditione, & facto alicuius hominis, nequit esse de iure diuino, vt potè quod à solo Deo immediatè est dependens quod autem neque humano iure patet, quia quod est iuris humani mutari potest ab hominibus: sed Apostolica sedes Romana nequit ab hominibus mutari: cuius signum est, quod nunquam fuit mutata formaliter, nisi tantum loco, & materialiter, vt quando Auinionem à Clemente Quinto fuit translata. ibi namque erat Romana sedes, sicut & Pontifex, qui loco præsidebat erat Romanæ Vrbis Episcopus: ergo.

Secunda sententia asserit Summum Pontificem tanta infallibilitate spiritus præmuniri, vt neque, vt *Persona*, siue vt doctor particularis ponit oppositum fidei sentire, aut docere. Hanc sequuntur Albertus Pagius *lib. 4. Eccles. Hierarchię cap. 8.* Couarruuias *lib. 4 variarum cap. 13.* illescas *tom. 1. Pontificalis lib. 3. cap. 3. in vita Anastasij 2.* licet *lib. 2. cap. 4 in vita Liberij Papæ* admiserit Summum Pontificẽ, vt personam particularẽ posse labi in errorem contra fidem, quam sententiam, vt probabilem etiam defendit Bellarmin: *lib infr. cit. cap. 6.* quorum fundamentum est; quia hucusque nullus de facto errauit contra fidem, neque de aliquo certo constat in talem errorem fuisse lapsum, licèt enim fuerint suspecti de errore Liberij, quia impunitos reliquit Valentem, & Vsacium Arianę sectæ professores, eisque fauorem impendit, quo inualuerunt contra catholicos Homousianus, & Anastasius secundus, qui restituit Acacium Episcopum Constantinopolitanum Euthychianæ sectæ professorem ad Ecclesiæ dignitatem: sed ab huiusmodi calumnia eos defendunt Albertus Pagius, vbi supra, & Nicephorus *lib. 11. cap. 30.* & insuper videtur fauere indefectibilitati Summi Pontificis in rebus fidei, etiam vt persona priuata, est locus *luc. 22.* vbi dicitur Christum rogasse pro Petro, ne eius fides defficeret: quod etiam de Successorum fide est intelligendum; & alias cum non distinguatur ibi de fide Pontificis, vt est caput Ecclesiæ, vel vt est persona priuata; neque nos hanc distinctionem facere debemus.

Tertia sententia asserit; quod Summus Põ-

tifex potest dupliciter considerari, etiam in quantum est caput Ecclesiæ, nimirum, vt associatus Concilio Generali, vel Concilio Cardinalium, aut vt solus, & independens ab illo: & quod primo modo non potest errare circa fidem, Religionem, & totius populi Christiani mores: bene autem secundo modo.

Hanc sequuntur Alphonsus à Castro *lib. 1. contra Hæreses cap. 8.* Nilus *in lib. aduersus Primatum Papæ*, Adrianus Sextus *in quæst. de Confirmat.* qui dicunt non in solo Pontifice hanc auctoritatem definiendi infallibiliter res fidei residere, sed in tota Ecclesia, hoc est, in Concilio Cardinalium simul cum Pontifice, vt Castro: vel in Concilio generali cum Pontifice simul: vt reliqui volunt. Quorum fundamentum desumi potest ex decreto Conc. Trid. *sess. 4. cap. 2.* qua decernitur auctoritatem approbandi canonicam scripturam, atque de eius vero sensu iudicandi propriam esse solius Ecclesiæ sub his verbis: *Sancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo &c. Ad suos sensus sacram scripturam contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de verò sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam sacram scripturam interpretari audeat &c* ergo sicut huiusmodi auctoritas approbandi, & interpretandi sacram scripturam non in solo Pontifice, sed in Ecclesia residet, pariter auctoritas deffiniendi, non in solo Pontifice, sed in Ecclesia residebit.

Quarta, & vltima sententia asserit Summũ Pontificem, vt Christi Vicarium in huiusmodi decretis non posse errare, licèt errare possit, vt persona priuata, cõmuniter defenditur à Theologis, nimirum à S. Th. 2. 2. *q. 1. art. 10. & q. 11. art. 2. ad 2.* 4. contra gentes *cap. 76.* & opusculo contra errores Græcorum *cap. 65. & 69. & quod lib. 9. art. vlt.* à Caetano opusculo de Auctoritate Papæ *cap. 9.* & opusculo de Primatu Ecclesiæ Romanæ *cap. 13.* Cano *lib 6.* de locis *cap 7.* Petro de Soto in Apologia *cap. 83. p. p.* Bannesio *in p. p.* com huius articuli *dub. 2.* Turrecremata *lib. 2 summæ à cap. 107. vsque ad 112.* Bellarm. *tom. 1 controuer 3. lib. 4. cap. 1. & duobus sequentibus*, & quia hæc est vera sententia, pro eius declaratione.

Dico primò, Summus Pontifex, quando vtitur auctoritate vniuersalis capitis Ecclesiæ, nõ post errare in definiendis rebus ad fidem, religionem, aut mores pertinentibus. Hęc assertio statuitur tanquam certa secundum fidem aduersus sectarios, & auctores primæ opinionis; & probatur primò, ex promissionibus Christi, vt Matthęi. 16. *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, vel tu es Cephas* idest Petra firmissima ad Petri, & successor um eius indefectibilitatem: & Lucæ 2. 2. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, aliquando conuersus confirma fratres tuos*; in quibus verbis duo priuilegia promittuntur Petro, alterum personale, vt non defficeret eius personalis fides, quæ tamen in alijs discipulis erat ad tempus defectura: alterum officij, & commune Petro, & successoribus, vt scilicet nõ deficeret in docendo veram doctrinam, qua oues Ecclesiæ pascerentur, quas propterea ei comisit Christus Ioannis 21. dicens, *pasce oues meas*. Vnde *actorum*. 5 refertur eandem virtutem miraculorum posuisse Deum in Petro, & in eius vmbra, ita vt homines afferrent infirmos: *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum*; in signum huius, quod eandem Petri dignitatem capitis, & Doctoris decretorũ fidei Deus in eius successoribus, qui sunt veluti vmbra illius collocauerit. Eadem veritas colligitur ex deffinitione Concilij Constantiensis *sess. 8. & sess. 15.* vbi damnatur error Euicleph, & Grecorum Romanos Pontifices non esse Christi Vicarios, & Petri successores. & ex Bulla Martini Quinti contra Ioannem Hus, in qua ad finem eiusdẽ Concilij idem error damnatur: & ex Bulla Leonis Decimi contra Luterum, in qua sub anathematc damnatur articulus vigesimus octauus Luteri, in quo decernebat non esse peccatum, neque hæresim sentire oppositum illius, quod Papa cum maiori parte Ecclesiæ determinat de fide tenendum. Ex quibus locis duplex formatur argumentum, primum est: illud quod est reuelatum in sacra scriptura, aut Ecclesię deffinitione est de fide: sed nostra conclusio vtroque modo est reuelata: ergo.

Secundum est, quoties Deus dat alicui officium, & dignitatem, etiam dat media, & auxilia requisita ad eius executionem: sed de fide constat Christum contulisse Petro, & successoribus officium, & dignitatem iudicis, pastoris vniuersalis, & confirmatoris fratrum: ad quod dignè exequendum, requiritur auxiliũ ad non errandum in rebus necessarijs ad salutem: ergo, Deinde probatur quinque rationibus Theologicis, quarum Prima sic habet. Pontifex deffiniendo aliquid, vt pastor vniuersalis Ecclesię simul deffinit secundariò se esse legitimum Pastorem, & Petri successorem: sed hoc secundum fit certum de fide secundariò: ergo primum est de fide immediatè; minor patet ex dubio pręcedenti, & maior deducitur ex his duabus propositionibus, quarum prima est, quilibet constitutus à Christo ad pascendũ gregem Ecclesię est successor Petri, & Christi Vicarius, & hęc habetur ex illo Ioannis 21. *pasce oues meas*, & Lucę 2. 2. *confirma fratres tuos*. Secunda subsumenda sub prima est hæc: *sed ille, qui deffinit aliquid, vt tenendum de fide ab Vniuersali Ecclesia, est constitutus à Christo ad pascendum gregem. &c.* Cui proinde debet præstari obedientia, iuxta illud ad Hębræos 13. *Obedite præpositis vestris &c.*

Secunda est, quia in capite Ecclesiæ debet esse tanta auctoritas, quanta ad eius vnitatem conseruandam in fide, est necessaria: hoc enim exigit prouidentia Dei, quæ nunquam defecit in necessarijs, maximè erga suam Ecclesiam, quam vt vnicam sponsam dilexit tradendo semetipsum pro ea: sed ad hunc finem scilicèt, conseruandi vnitatem fidei requiritur, teste D Th. 2. 2 q. 1. a. 10. vnitas iudicis supremi, qui dubia, & controuersias deffiniat: infallibilique auctoritate muniatur: ergo.

Tertia deffumitur ex eadem suaui Dei prouidentia, ad quam pertinet vnamquamque creaturam gubernare iuxta modum naturæ ipsius: specialiter verò hominem qui est factus ad imaginem Dei: & specialius hominem fidelem, qui est factus membrum ipsius Christi: sed huic speciali prouidentiæ expedit regere

homines

homines fideles nedum per regulam inuisibile, sed etiam per aliam regulam visibilem, per regulam inuisibilem, per rationem formalem obiecti fidei, scilicet, quam dicemus 52.2. esse primam veritatem; per visibilem verò, scilicet per propositionem Ecclesiæ: sicut ergo Deus non confert gratiam inuisibilem homini nisi per sacramenta sensibilia, quia modus iste iustificationis congruit conditioni hominis, teste D. Th. *3. p. q. 61. art.* 1, quatenus componitur ex anima spirituali, & corpore sensibili, & de sensibilibus ascendit ad intelligibilia: ita congruum fuit, vt ad fidem inuisibilem non perueniret homo regulariter, & de lege ordinaria, nisi per regulam proponentem, & auctoritatem Ecclesiæ visibilis: ergo. Vnde Luterani, qui existimant se habere diuinam fidem, illamque iactant inniti diuinæ reuelationis internæ, absque hac visibili regula, falluntur omninò, & ipsis mentitur iniquitas.

Quarta dessumitur ex obedientia, quam tota Ecclesia, tenetur præstare summo Pontifici in acceptando eius deffinitiones: sed quoties deffinit aliquid vtendo auctoritate capitis, & vniuersalis Pastoris, tenetur Ecclesia ei obedire, & eius decretum acceptare: quia ad huiusmodi decreta acceptanda eo ipso vult totam Ecclesiã obligare sub præcepto: ergo. minor est nota, & maior patet, quia tota Ecclesia errare non potest, imò semper in corde Ecclesiæ debet seruari vera fides.

Vltima desumitur ex infallibilitate diuinæ scientiæ, respectu cuius redditur infallibile, quod aliàs secundum se est contingens: vt Antichristum fore, licèt secundum se sit contingens, tamen vt subest scientiæ Dei, non potest non esse: sed decreta dimanantia à Pontifice, vt à capite Ecclesiæ subsunt diuinæ scientiæ, & procedunt ab illa; eo quod procedunt à Christo, vt à capite, & à Spiritu Sancto, vt a teste Ecclesiæ, teste D. Th. *3. p. q.* 8. *art.* 1 quia sicut omnis motus animalis, & sensatio à capite, & à corde procedit: ita omnis sensus Ecclesiç, & deffinitio Pontificis, à Christo, vt à capite, & à Spiritu Sancto, vt à corde dimanat, & ipsis, vt dictantibus tribuitur: ergo sicut impossibile est à Christo, & spiritu Sancto falsum dictari: ita & à Pontifice vt Christi Vicario falsum decretum proferri, & sicut dictum Christi, & spiritus sancti est certum secundum fidem, vt potè à prima veritate contestatum: ita dictum Vicarij Christi in publicis decretis fidei, contestatur à prima veritate; ac proinde est de fide.

Dico secundo. Nihilominus Summus Põtifex post errare contra fidem, siue intus sentiendo, siuè etiam exterius deffiniendo aliquod vel docendo vt persona, seu Doctor particularis. Hæc conclusio statuitur aduersus auctores secundæ sententiæ, & probatur primo, nam Papa potest labi in hæresim, vt supponit Simachus Pontifex in illo canone, *si Papa dist.* 40. decernens, quod Papa à nemine est iudicandus, nisi deprahẽdatur à fide dubius, neq; obstat duplex interpretatio Valentiæ vbi supra, loquitur cõditionaliter, & cõditionalis nihil ponit in esse, vel quod loquitur de errore nõ pertinaci, sed inculpabili: error autẽ inculpabili, aut non pertinax, non repugnat Pontifici, quia neutra est sufficiens: nõ prima, quia cõditionalis in casibus possibilibus potest poni in esse; casus autem illius canonis est possibilis, nempe Papam iudicari à Concilio, quando fuerit deuius à fide Neque secunda, quia in illo canone expressè excipitur casus, in quo Papa potest iudicari, & deponi, scilicet propter deuiationem fidei: sed ille casus tantum verificatur, quando Papa labitur in errorem pertinacem, qui constituit hominem hæreticum: ergo.

Secundo probatur: Nam potest Papa labi in alia peccata scandalosa v. g., carnis, vsura &c, contra alia præcepta decalogi: sed non est magis confirmatus erga præceptum fidei, quàm erga alia, igitur etiam potest pertinaciter, & scandalosè peccare contra fidem. Tertio, quia si non posset errare, vt persona particularis sequitur, totam Ecclesiam teneri ad recipiendum quicquid sic deffiniret. consequens est falsum, ergo, sequella probatur, nam Ecclesia tenetur amplecti omnem doctrinam, ac instructionem infallibilem sui Pastoris, sicut quęlibet Diocæsis tenetur obedire suo Episcopo, & amplecti illius præcepta, iuxta illud ad Hæbræos, 13. *obedite præpositis vestris.* minor autem ostenditur, quia multoties Ecclesia non obtemperauit decretis Summorum Pontificium, quæ ab ipsis, vt à personis particularibus emanauerunt: quod patet exemplis, nam decretum Anastasij secundi de sacramentorum communicatione cum Hæreticis, quem de facto comunicasse cum illis, scilicet, cum Acatio, & Fotino refert Gratianus in dicta *dist.* 19. *canone Anastasius*: non fuit ab Ecclesia acceptatum: similiter alij Pontifices dispensantes in voto solemni castitatis, vt, cum Rege Aragoniæ, & cum Costantia filia Rogerij Regis, vxore Henrici Sexti, dispensauit Celestinus Tertius teste Caet. 2. 2. *q* 88 *art.* 11 decreuerunt huiusmodi votum esse dispensabile a Summo Pontifice: quæ tamen doctrina nõ fuit recepta cõmuniter ab Ecclesia: cum maior numerus Theologorum cum S. Th. in loco allegato, oppositam censeat probabiliorem. similiter Sixtus Quintus Anno Domini 1588. Kalendis martij publico decretro deffiniuit illam, Bibliam à se ordinatam, eiusque iussu correctã, & typis mandatam, forè de neceps habendam pro canonica, & vulgata editione, quam Concilium Tridentinum *sess.* 4. propè quadraginta duobus Annis antea aprobauerat: & tamen Ecclesia hoc decretum non recepit: quoniam, vt persona priuata processit, neque adhibuit sufficientem diligentiam, vt tanquam Ecclesiæ caput decretum illud euulgaret: quod proinde postea Clemens octauus suo motu proprio est moderatus: ergo.

Tertiò probatur conclusio; ex pluribus sententijs multorum Pontificium, quas hęreticas, aut erroneas fuisse, comemorat 2. 2. *q.* 1. *a.* 10. Banesius *dub.* 2. *conclus.* 2. *pag* 132.

Quartò suadetur argumento, quod expendunt Caetanus in opusculo de auctoritate Papæ, à cap. 20. vsque ad 26. & opusculo 1. de indulgentijs q. 2. quæstio 2. & Cano lib. 6. de locis cap. 8. nimirum quia Ecclesia potest deponere Papam à Pontificatu propter crimen hęresis. cum igitur hæc potestas depositiua non sit vana, aut superflua in Ecclesia, supponit Papam posse fieri hæreticum.

Ex his respondetur ad argumenta in oppositum adducta. Ad primũque pro prima sententia, admissa maiori, quoad omnes partes neganda

ganda est minor pro 3. *p.* ad cuius primam impugnationem de hostia consecrata': neganda est sequella; quia huic propositioni, nimirum, hæc hostia est consecrata, non applicatur communis acceptatio Ecclesiæ, sed tantum ex priuato iudicio prudentum iudicatur vera, cui iudicio potest subesse falsum speculatiuè, sed non practicè, quia semper verum est dicere, conforme esse prudentiæ, ac rectæ rationi talem hostiam esse consecratam, licèt à parte rei oppositum contingat: in primo consistit veritas practica, in secundo autem consistit falsitas speculatiua. Huic autem propositioni. Alexander VII. ritè electus est in Summum Pontificem, attestatur communis Ecclesiæ approbatio, quæ cum sit indefectibilis, reddit quoque dictam propositionem, certam, & infallibilem, licèt antecedenter ad illam esset fallibilis, & soli fidei humanę innitens: sicut de Sancto, de quo nudiustertius non erat certum esse in Cælo, si super veniat hodiè decretum Canonizationis, aut communis approbatio Ecclesiæ, iam redditur certū, & infallibile, prout tali decreto, aut approbationi subest.

Ad secundam respondet Valentia, vbi supra, nunquam posse contingere, vt in Papam eligatur incapax, sicut neque Hæreticus: eo quod supposita lege ordinaria, diuina prouidentia id possit, ac teneatur impedire. Sed quia hęc solutio denegat fidem debitam historijs Ecclesiasticis, quas Innocentius primus in *cap. de quibus dist.* 20. magni facit adeò, vt post Græca dicta, & scripta septuaginta interpretum recurrendum præcipiat ad illas, quā do in sacra scriptura auctoritas expressa non inueniatur. Respondetur secundo cū Banesio in allegato *dub.* 2. *ad* 1. *&* 2. quod si admittatur, aliquem incapacem fuisse electum, aut capacem non fuisse rectè electum; illum quidem nunquam tota Ecclesia acceptauit in corde suo, neque eius decretis obtemperauit. Hanc verò communis acceptatio Ecclesiæ adueniens faciet ritè electum, supplēdo defectum, vel vitium electionis, aut eum faciet deponi spiritu sancto mouente, & afflante, & alium ritè eligat. Ad casum autem Martini Quinti Vuicleph falsò existimauit à tempore Vrbani Sexti nullum fuisse Pontificem ritè electum. Sed vera solutio est, quod Martinus Quintus in Concilio Constantiensi repræsentante totam Ecclesiam fuit ritè electus, alijs, tribus depositis, aut etiam cedentibus iuri suo (excepto Benedicto Decimo tertio) ob Ecclesię pacem: fuisse autem hanc Martini legitimam electionem constat ex tribus. Tum quia tota Ecclesia illam acceptauit. Tum etiā quia electoribus nominatis contulit eligendi potestatem, quæ adhuc Cardinalibus vita functis remanet in Episcopis Ecclesiæ, & Romano Clero. Tum deniq; propter communem errorem facti propter quam ex lege *Barbarius digestis de officio Pretoris* quicunquę in Prælatum, seu Magistratum electus obtinet veram iurisdictionem saltem quo ad hoc, vt eius aliàs vtilia gesta valida sint. De casu autem Ioannis Octaui, siue Angelici communior est consensus historiographorum negans illum fuisse fæminā; de quo videatur illescas *tom.* 1. *lib.* 4. *sue historia Pontificalis cap.* 35.

Ad secundum neganda est minor, pro cuius declaratione sciendum est, quod summus sacerdos veteris testamenti habuit quidem auctoritatem deffiniendi res fidei, religionis, ac morum infallibilem ex parte obiecti, siue rei deffinitæ, sicut & Summus Pontifex noui testamēti, non tamen æqui indefectibilem ex parte subiecti: eo quod sicut sacerdotium ipsum antiquę legis erat mobile & defectibile, ita & eorū auctoritas erat defectibilis; & de facto defecit deficientibus ipsis sacerdotibus. Quod autem durante eorum sacerdotio, atque veteri illo Tabernaculo habuerint huiusmodi auctoritatē infallibilem, patet ex illo Matthæi 23. *super Chatedrā moysi sedeunt scribæ, & Pharisei: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* In quibus verbis Christus Dominus assignat pro regula infallibili credendorum, & agēdorum doctrinam, ac decreta sacerdotum, qui sedebant super cathedram Moysis. Propterea etiam Deuteronomij 12. iubetur occidi, qui noluerit obedire sacerdotis imperio, & subditur: *& facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorū.* Vbi voluit Deus obediendum esse sacerdoti præcipienti, & docenti secundum legem ipsius Dei. Consonat etiam Oseas *cap.* 4. vbi tanquā extremum facinus cōmemorat, contradicere sacerdoti, dum ait. *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.* &c. Vnde ad probationem minoris de Aarone, dicendum est, quod non amisit fidem internam, sed tantum extrinseco cultu ex metu adorauit Idolum contra præceptum de externa confessione, ac protestatione fidei, sicut contigit diuo Petro, & Marcelino, qui licèt externos actus infidelitatis, & Apostasiæ exercuerunt voluntariè, non tamen à fide recesserunt, vt optimè explicat Caetanus infra *q.* 94 *art.* 1. *§. in respons. ad* 1. de Caipha verò dicendum est, quod dum blasphemām sententiam in Christum protulit, statim excidit Pontificatu, imò delatus est veteris legis Pontificatus: in cuius signum, & ipsum scidisse vestimenta sua, testatur Leo Papa *sermone 6. de Passione Domini.*

Ad Tertium, negandum est antecedens, si accipiatur in sensu composito; nam licèt illæ cōditiones absolutè, & antecedenter ad Ecclesiæ communem acceptationem, aut exercitium alicuius actus proprij capitis Ecclesiæ, sint defectibiles: tamen facta suppositione acceptationis Ecclesiæ, & in sensu composito, quod Pontifex decernat aliquid, vt caput Ecclesiæ, ita redduntur omnes illę conditiones indefectibiles, prima quidem, quia voluntas Pontificis ex speciali assistentia spiritus sancti, & auxilio diuino determinatur quoad specificationem, vt non possit velle deffinire falsum. Secunda verò, quia etiam eius fides, vt est caput Ecclesiæ redditur indefectibilis: & similiter tertia, quia pariter eius intellectus ex speciali illustratione diuina determinatur ad verum, ita, vt ei pro tunc non possit repræsentare falsum sub ratione veri. Quartam autem conditionē ait Valentia, vbi supra §. 41. requiri, vt Pontifex rite, ac prudenter deffiniat, sed non, vt verum deffiniat, quippe qui absque tali pręuia diligentia verum quoque deffiniret, & §. 42. subdit, teneri quidem Pontificem ex pręcepto consulere regulas fidei; vt sacram scripturam,

turā antiquas traditiones, atque sāctorū Patrū dogmata, tamen hanc diligentiā prę uiam non esse necessariam necessitate medij, vt potè quia sine illa adhuc ind. fectibilia forēt Pōtificis decreta: sed oppositę sententiæ tenenti vtroq; modo esse hanc præuiam consultationem necessariam ad veritatis indefectibilem deffinitionem saluandam, subscribo, propter tria; tum quia præceptum est non temere audendi ad causas grauiores, scilicet fidei, ac Religionis Christianę deffiniendas: si autem eas sine pręuia consultatione deffiniendi infallibiliter haberet Pontifex auctoritatem, non temere auderet sine illa: ergo. Tū etiam quia Deus secundum ordinariam legem dat finem, & media necessaria ad finem, dat etiam formam dependentem à proprijs dispositionibus: sed istæ pręuiæ consultationes sunt media, ac dispositiones ad veritatem deffiniendam secundum ordinariam legem, qua Deus voluit suam Ecclesiam gubernari: ergo contulit Pontificibus potestatem deffiniendi dependenter ab illis. Tum deniq; quoniam Summi Pontifices, & si sint successores Petri in auctoritate pastorali docendi, aut deffiniendi: non tamen in modo habendi illam: quia non sunt Apostoli, vel ministri accipientes reuelationes immediatè à Deo, sed mediante b is studio, labore, ac Doctorum, & regularum fidei consultatione: igitur sine illis non aderit infallibilis reuelatio veri.

Ad quartum triplex est modus dicendi. Primus est, Sectariorum asserentium coniunctionem Summi Pontificatus cum Vrbis Romanæ Episcopo omninò fuisse factam iure positiuo humano, hoc est, statutam à Constantino, seu à Phoca Imperatore, aut etiam ab ipso Petro, id sibi liberum permittente iure diuino, vt volunt Soto *in 4 dist. 24 q. 5. art. 5.* & Aliacensis in *quæstione de Ecclesia*.

Secundus est, quem sequitur Driedo *lib. 4. de variis Dogmatibus & lib. Apocrifor. cap. 3. p. 2* & Caetanus *opusculo de Primatu Romanæ Ecclesiæ cap. 13.* Cano *lib. 6. de locus vbi sup.* & Valentia in *hort. punct. 7. §. 18. & Analisi* fidei *lib. 2. cap. 12.* & Milderus *disp. 3. dub. 3.* & 4. asserentes huiusmodi coniunctionem absolutè esse de iure diuino, & immediatè factam à Christo.

Tertius media via procedens, asserit esse quidem de iure diuino, dependenter tamen ex quadam hypotesi, & conditione humana, nimirum quod Diuus Petrus voluerit Romæ vsque ad mortem sedere, & ibi vitam finire: quem sequuntur Suarius *disp. o. de Pontifice sec. 3.* Bellarm. *controuersia 3. lib. e cap. 12.* & Banesius 2. 2. *quest. 1.* pag. 130. *dub. 2. & pag. 308 & pag. 322.* qui dicendi modus continet tres partes, & quoad vtramque à nob s statuitur pro conclusione: quoad primam quidē, nimirum, quod hæc auctoritas deffiniendi res fidei, Religionis, ac morum resideat in Romano Pontifice probatur, tùm ex dictis, tum etiā quia experientia, & traditione constat semper controuersias fidei ad Romanum Pontificem fuisse delatas, eiusque sententiam, vt regulam visibilem expectatam fuisse, nam à primo Concilio, quod Hierosolymis fuit celebratum: omnia alia generalia Concilia iussu Romani Pontificis congregata, & eius approbatione confirmata fuere: & controuersię de celebratione Paschæ, teste Eusebio *lib. 5. historię cap. 22. & 24.* & Baronio, vbi supra ad Romanum Pontificem delatæ fuerunt. Cuius sententię Ecclesia stetit, & obligauit antiquos fideles, scilicèt illos, qui quālibet quarta decima luna martij, licèt non contingeret in die Dominico, Pascha celebrabant: & sic de alijs Concilijs, atque cō trouersijs fidei, vsque ad Tridentinum semper illis præfuit Romanus Pontifex per se, vel per suos legatos: ergo. Deinde quoad secundam partem, nimirum, quod in Romano Pontifice, hæc suprema auctoritas resideat ex iure diuino: probatur primò, quia immediatè fuit Epscōpo Romano communicata à Christo Domino: qui iussit Petrum transferre Sedem Apostolicam ad Romanam Ecclesiam, quando nimirum Petro fugienti Christus visibiliter apparens, visibiliter imperauit, vt Romam redderet, & ibi sedem suam collocaret, & morte firmaret; quod tenet antiqua traditio Ecclesię a tempore Apostolorum, vt referunt Egesippus l b. 3. de excidio Hierosolymitano *cap. 2.* & Ambrosius *lib. 5. epistolarum epistola 33. ergo*.

Secundo, nam iure diuino, & ex Christi institutione Petri dignitas Romanus Episcopus est collocata; quod signi ficat Leo Papa in serm. 1. Petri, & Pauli dicens: *Hac autem ciuitas ignorans sua prouectionis auctorem &c. Vnde quāto erat per Diabolum tenacius illigata, tanto per Christū est mirabilius absoluta*. Ex D. Th. *3. p. q. 35. art. 6. ad. 7.* in eandem sententiam, sic ait. *Et ideo, vt summa potestas magis ostenderetur in ipsa Roma, quæ caput mundi erat, etiam Ecclesia caput statuit in signum perfectæ victoriæ, vt ex inde fides deriuaretur ad vniuersum mundum, secundum illud Esaiæ, 26. ciuitatem sublimem humiliauit, & conculcauit eam pes pauperis, id est, Christi, gressus egenorum, id est Apostolorum Petri, & Pauli*. Idipsum probat auctoritas Pelagij Papę in *cap. quamuis. dist. 21.* dicentis, quod Romana Ecclesia non constitutionibus synodicis sed Euāgelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit: & auctoritas Anacleti Papę *epist. 3. relata dist 22. cap. sacrosancta*. & deffinitio Concilij Niceni canone 8. & 19. Denique quoad tertiam partem nimirum, quod hoc ius diuinum ex hypotesi, & conditione humana, probatur, quia licet auctoritas, & dignitas Romani Pontificis prout est caput Ecclesiæ, & Petri successor sit de iure diuino, vt potè à Christo immediatè instituta, coniunctio tamen, & applicatio illius ad Romanum Episcopum dependet ex facto, & morte Petri; quam non fuisse iuris diuini patet, quia nullibi legitur in Sacra Scriptura Christum præcipisse Petro, vt relinqueret Ecclesiam Antiochenam, quam septem Annis rexerat, & acciperet Romanam, ibique vitam finiret: dictum enim Christi ad Petrum fugientem præter quam quod non est canonicum, sed tantum humana fide acceptum, in eo sensu debet intelligi: quasi Christus ei voluerit significare, vt ad conuersionem gentium, & aliorum fidelium exemplum martirium Romæ sub Nerone pateretur; & licèt vellet ei significare vt Romæ sedem figeret, tamen hanc voluntatem non expressit Christus per modum decreti, aut statuti, sed per internam quandam inspirationem, vt Petrus humano modo ad id faciendum inclinaretur: ius autem diuinum est, quod diuinitus

uinitus, hoc est, à Deo statuitur, & promulgatur, teste D. Th. 2. 2. *q.* 57. *art.* 1. *&* 2. *ad tertium*: *ergo*.

Deinde quia determinatio iuris naturalis, & diuini potest quandoque esse à iure positiuo, teste D. Th. *p.* 2. *q.* 95. *art.* 2. sicut quod malefactores puniantur tali pœna, & quando non fiat verum matrimonium, nisi coram parrocho, & testibus, sunt determinationes iuris humani circa contractum, qui est de iure naturę, & circa Sacramentum, quod est de iure diuino: ergo pariter circa successionem Petri in Pontificatu, quæ est de iure diuino potuit superuenire quædam determinatio iuris positiui humani, nimirum, quod talis dignitas applicetur Romano Episcopo dependenter à voluntate, & facto Petri. Ex quibus patet ad factum argumentum. Ad fundamentum autem pro secunda sententia, pro secunda parte respondetur Liberium, & Anastasium à Gratiano alijsque pluribus, & grauioribus auctoribus de suspecta hæresi probabilius condemnari.

Pro secunda vero parte respondetur prænotando aliqua fuisse Petro collata, vt personæ particulari, alia, vt fideli, & alia, vt supremo Pontifici, & pastori: sicut, & alia fuerunt iussa illi, vt personę priuatæ, alia vt christiano, & alia vt Summo Pontifici: illa ergo quæ fuerunt Petro collata, & iussa, vt fideli, cæterisque fidelibus collata, & iussa fuerunt: similiter illa quæ ei collata fuerunt, & iussa vt Summo Pontifici, eius quoque successoribus collata, & iussa fuerunt; illa verò quæ ipsi, vt tali personę, hoc est vt Apostolorum Principi donata fuerunt, non transierunt ad cæteros Pontifices, & tale fuit priuilegium nō amittendi personalem fidem, & quantum ad hoc non succedunt ei Romani Pontifices, sicut neque quod munus completum Apostolatus, quod vt sic includit duo, nimirum, officium ministri Dei accipientis immediatè reuelationes à Deo, & officium iudicis, & pastoris vniuersalis Ecclesiæ, & insuper confirmationem in fide, & gratia post aduentum Spiritus Sancti: quibus in Petro fuit specialiter anexum priuilegium nunquam amittendi fidem. Romani ergo Pontifices succedunt Petro quoad secundum, non autem quoad alia tria: sicut neque Petrus successit Christo quoad omnia, ad quæ potestas Christi extendebatur, quia habuit Christus potestatem excellentiæ ad instituenda Sacramenta, quæ ad Petrum non fuit deriuata.

Ad fundamentum denique pro tertia sententia respondetur iuxta triplicem modum dicendi apud Theologos, quorum, alij asserunt auctoritatem approbandi libros Canonicos in sola Ecclesia primitiua Apostolorum, ac ministrorum accipientium immediate reuelationes à Deo. Ita Durand. in 3. *dist.* 24 *q.* 1. *art.* 1. Gerson. *lib.* 2. de vita Spirituali *lect.* 2. cum alijs, quos citat Cano *lib.* 2. *de locis pag.* 7. Alij verò de quorum numero sunt Driedo *lib.* 2. *de Ecclesiastibus dogmatibus cap.* 1. Vualdensis *lib.* 2. *Doctrinalis fidei cap.* 19. *&* 20. asserunt hanc auctoritatē residere in tota Ecclesia prout presentes, & preteritos fideles complectitur, ita vt ad approbationem Scripturæ canonicæ consulendum, & inuestigandum sit quid senserint omnes fideles tam docti, quam indocti. Sed verius alij de quorum numero sunt Cano vbi supra, & Banesius *p. p. a.* 1. *dub.* 4. volunt, quod hæc auctoritas resideat in Ecclesia proquolibet illius statu quatenus est colectio Doctorum, & Prælatorum, qui ad generale Concilium essent vocandi, & ex officio consulendi. Vnde reiectis duobus prioribus. Primo quidem, quia sequitur ex illo presentem Ecclesiam non esse visibilem regulam rerum proponendarum fidei, quod tamen est inconueniens. Et secundo, quia ex illo sequitur presentem Ecclesiam, & illam, quæ fuit tempore Cōcilij Tridentini non potuisse approbare Scripturas canonicas, quas approbauit, absque cæterorum fidelium, hoc est, paruulorum, & rusticorum congregatione, & consultatione prçuia, quod tamē apertè est falsum, respondetur iuxta tertium ad argumentum factū, huiusmodi auctoritatem esse simul in Ecclesia, & Pontifice, quia non est in Ecclesia secluso capite, sed prout includit suum caput, eique subordinatur, & eius directionem sequitur, atque ab illo confirmationem expectat cum quo tamen stat, quod auctoritas deffiniendi alia negotia ad fidem, Religionem, vel mores expectātia in solo Pontifice, tanquam in capite resideat. Hinc patet quid dicendum sit ad illas duas dubitatiunculas ex huiusque dictis subortas.

Petes 1. An Papa eo ipso quod sit hæreticus etiam occultus, sit ipso facto à Pontificatu depositus? Respondent Castro *lib.* 2. *de hæreticorum punitione cap.* 24. & Tarremata *lib.* 2. *summæ cap.* 102. *ad* 7. *& lib.* 4. *p.* 2. *cap.* 18. *&* 19. affirmatiuè. Alij vero de quorum numero sunt Bellarmi: controuersia *lib.* 3. *cap.* 2. & Valentia hic *punct.* 7. *q.* 4. §. 14. *& §.* 51. respondent sub hac distinctione: scilicet, quod si Papa est hæreticus publicus, & Scandalosus statim amisit Cathedram Petri, eique deneganda est reuerentia, & obedientia debita Summo Pontifici: secus autem si fuerit occultas. Sed verius respondent Caetanus *opusc. de auctorit: Pap. cap.* 17. & sequentibus, in Apologiaque eiusdem opusculi *cap.* 24 & Banesius hic *dub.* 2. *concl.* 2. & Malderus *disp.* 7. *concl.* 2. *&* 4. Azor: *tom.* 2. *lib.* 5. *q.* 3. *cap.* 20. & Suarius 2 2. *disp.* 10. *sect.* 6. quod Papa hæreticus quantumuis publicus non est ipso facto depositus, sed per sententiam Concilij deponendus, si fuerit incorrigibilis, neque vsque ad dictam sentētiam depositiuam, deneganda est ei obedientia. Cuius ratio est, quia retinet signum, & characterem fidei receptum in baptismate, per quod manet membrum Ecclesiæ, ac proinde capax retinendi dignitatem capitis Ecclesiæ, licèt veram fidem non retineat in cordè. Tum etiam, quia neque ipso facto deponit illum ius humanum, quod neque iudicat de occultis: neque est superius ad Summum Pontificem, sed potius inferius, neque ius diuinū: quia hoc sicut nunquam coniunxit potestatem Pontificiam cum hoc indiuiduo (excepta persona Petri immediatè à Christo Domino instituta) nisi mediante humano iudicio: ita neque illam separat, nisi mediante humano iudicio Ecclesiæ iuxta allegata, & aprobata iudicantis.

Petes 2. An Summus Pontifex, siue solus, siue cum Concilio in suis deffinitionibus faciat nouas reuelationes, aut nouos articulos fidei in Ecclesia credendos? Cui respondet Valentia *punct.* 7. §. 41. facere quidem nouas

reuelationes

reuelationes non circa capitalia dogmata fidei, sed circa particularia: quo pacto. Gregorius IX. verbi gratia, Canonizans Beatos Dominicum, & Franciscum fecit de fide, has duas nouas propositiones, scilicet, Beatus Dominicus est in Cælo, & Beatus Franciscus est in Cælo: imo & hanc Alexander VII. est successor Petri facit de nouo credibilem communis acceptatio Ecclesiæ, vt potè quæ respectu Ecclesiæ primitiuæ non erant credibiles secundum fidem. Sed verior sententia est Pontificem, aut Concilium: neque circa vniuersalia, neque circa particularia dogmata posse nouas concedere reuelationes fidei, alioquin fides successu temporis acciperet incrementum quoad substantiam credendorum, & non solum quoad maiorem explicationem. Cuius oppositum ostendimus cum S. Th. *tom.1.q.1.* si igitur prædictę propositiones, & alię similites, quæ videntur de nouo reuelari, considerentur quoad essentialem significationem, & formale significatum non reuelantur de nouo: sed continentur saltem implicitè in sacra scriptura, aut antiquis reuelationibus: nimirum in hac; veros sanctos esse in Cælo, cōtinetur hæc, Dominicus siue Franciscus, & quicunque alius ritè canonizatus ab Ecclesia, est in Cælo; in hac, successor Petri est caput Ecclesię, & Christi Vicarius, continetur hæc implicitè, vt singularis in sua vniuersali. Iste ritè electus est caput Ecclesię, & Christi Vicarius, & eodem modo continetur ista, Alexander Septimus est Christi Vicarius: si esset immediatè de fide: quia tamen est vt diximus, conclusio Theologica, ideò cōtinetur in prima implicitè, non sicut singularis in sua vniuersali, sed sicut conclusio in præmissis, & causis virtualiter continetur. Quantum verò ad materialem, siue accidentalem applicationem prædictæ propositiones sunt nouę, & nouiter reuelatæ: hoc autem non cōstituit in eis nouitatem simpliciter, nisi tantum secundùm quid: sicut in his: Christus nascetur, & Christus fuit natus, non est simpliciter, & formaliter distincta reuelatio, alias fides nostra, & antiquorum Patrum veteris legis non esset eadem, contra illud Pauli ad Ephesios. 4. *vnus Dominus, vna fides.* & iterum; *donec occuramus omnes in vnitatem fidei &c.* Sed tantum est materialis diuersitas temporis cōnotatis per copulam, manente eadem significatione formali eiusdem credibilis, hoc est, eiusdem Christi natiuitatis.

DVBIVM IIII.

An Pontifex possit destruere Religionem particularem ritè à Sede Apostolica approbatam.

QVamuis neminem viderim hucusque hanc materiam tractasse, quia valde tricis plena ac per difficilis apparet, de diuino adiutorio confisi illam radisitus tradere conati sumus. Vnde prima facie videtur respondendum negatiuè. Prob. ita se hab. t Pontifex circa Religionum approbationem, sicut se habet circa Sanctorum canonizationem, sed Pontifex non potest destruere, cultum sancti ritè canonizati ergo Pontifex non potest destruere, seu extinguere Religionem ritè approbatam.

Maior prob. Nam sicut Ecclesia non potest errare in Canonizatione alicuius Sancti, ita errare non potest in alicuius Religionis approbatione, Et quod errare non possit in alicuius Sancti canonizatione, est sententia communis inter Theologos contra Vuichleph, qui vt refert Noster Thomas Vualdensis *Tom. 3. de sacr. cap.* 122. Dicebat Pontificem posse errare in Sanctorum canonizatione, non minus, quàm alium quempiam hominem. Vnde in Concilio Constantiensi *sess.* 8. damnata est propositio 44. Vuicleph dicentis *Sanctum Augustinum, Benedictum, & Bernardum fuisse damnatos eo quod admiserint possessiones.* Nostram autem sententiam docet Syluester *verbo Canonizatio*, citatque pro ea *Ioannem de Neapoli Quodlib.* 11. sequitur eam Valentia 2. 2. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 14. *contra Magistrum Cano*. Couaruuius *lib.* 1. *Curiarum cap.* 1. *num.* 13. Sanctus Antoninus 3. *p. tit.* 11. *cap.* 8. §. 2. Turrecremata *in tract. de Ecclesia q.* 1. Cano *lib.* 5. *de locis cap.* 5. Penna *in 2. parte Directorij q.* 17. Bannez 2. 2. *q.*1. *art.* 1 *Dub.* 7. Torres 2. 2. *disp.* 16. *dub.* 5. & alij ex D. Th. *Quod lib. 9. art. 16.* Ratio est. quia Sanctorum Canonizatio pertinet ad legē, seu mores Vniuersalis Ecclesiæ, esset enim intolerabilis error, vt iudicio Ecclesiæ aliquis non Sanctus coleretur vt Sanctus, & imitandus proponeretur, qui esset damnatus. In his autem, quæ pertinent ad communes Ecclesiæ leges & maximè quæ deseruiunt protestationi fidei, si Ecclesia erraret, periret totum Regimen Ecclesiasticum, quod negare hęresis aperta est. Canonizatio verò Sanctorum maximè accedit ad vniuersalem legē, cum toti Ecclesiæ proponatur aliquis, vt Sanctus, & ad protestandam fidem, quia cultus sanctorum, est testificatio gloriæ eorum.

Quod autem Pontifex errare non possit in alicuius Religionis approbatione, & qui oppositum diceret ad minus esset temerarius, & scandalosus, & errori proximus haberetur: Constat ex D. Th. *Opusc. 19. c.* 4. vbi sic ait. In iure videlicet 25. quæst. 1. dicitur: *Nulli fas sit sine statu sui periculo, vel diuinas Constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare: cum ergo per Apostolicam sedem Religiones aliqua instituta sint, ad prædicta manifestè se damnabilem reddit, quicunque talem religionem damnare conatur.* Hæc D. Th. quid autem intelligat per ly *Damnabilem* S. Doctor non explicat, sed videtur loqui de doctrina damnabili, atque adeo adminus errori proxima, sequuntur D. T. recentiores vbi supra, & Azor *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. vbi temeritatis, & erroris oppositum notat contra Canum *lib.* 5. *de locis cap.* 5. qui nimis audacter locutus asserit aliquos ordines ab Ecclesia non solum inutiliter, sed etiam noxiè approbatos; sed hoc meritò censuræ subijcitur.

Ratio est, Quia Ecclesia aliquam approbādo Religionem, illam omnibus fidelibus, tanquam normam, & regulam proponit, & viam perfectionis: ita vt liberum sit vnicuique eam sequi, non solum tanquam aliquid pertinens ad communia præcepta, sed pertinens ad Cōcilia, & perfectionem, ergo Pontifex in huiusmodi approbatione si erraret, erraret aliquid tanquam noxium, & inutile proponendo

do pro vera, & legitima perfectionis Religiosæ Regula, Ecclesia quoque in magni re momenti falleretur quia aliquid omnibus fidelibus, vt Regula Sanctitatis proponeretur, quod reuera Sanctitas non esset Quincunque enim fidelis Religionem approbatam ingredi potest, tāquam quandam perfectionis viam. Inconueniens autem est, quod aliquid vt Sanctitatis Regula, & exemplar proponatur toti Ecclesiæ, & cuicunque illam ingredi voluerit, in qua verè perfectio non inueniatur. Sicut etiam est inconueniens aliquem vt sanctum proponi, qui sanctus realiter non sit, eo quod proponitur vt exemplar à tota Ecclesia imitandum; sic Religio vt Regula ab omnibus sequenda proponitur, quā qui ingreditur, per illam, perfectionis scholā Deo profitetur. Magnū ergo absurdum esset, aliquid vt Scholam perfectionis proponi, quod reuera noxium esset, quodque ad perfectionem non tenderet, & hoc intelligendum est de ipsa Religione, non solum quo ad tria vota substantialia, sed quò ad ipsius Regulæ, & Constitutionum bonitatem, & moralitatem, quæ statuta approbantur, vt ad perfectionem conducentia, & vt media ad talem finem aptissima, nam totum hoc est de talis Religionis substantia. Minor verò principalis argumenti, scil. Quod *Summus Pontifex non possit alicuius sancti ritè canonizati cultum destruere* patet ex dictis, quia tres effectus Canonizatio operatur. Primus est, determinare, & decernere, quod aliqua persona sit beata, & Dei gloria perfruatur. Secundus, declarare, & illum Ecclesiæ tanquam sanctum per modū Exempli imitandi proponere. Tertius; proponere illum Ecclesiæ vt colendum publico cultu. Et dico *publico*. Non solum quia fiat coram multis, sed quia ipsius Ecclesiæ publica, & non priuata auctoritate fiat; Ita colligitur ex Glossa Innocentij & *cap.* 1. *de reliquijs & veneratione Sanctorū* vt docet Syluester, *verbo Canonizatio*, & alij Summistæ, & Card. Tuschus Verbo *Canonizatio concl.* 41. vbi ex Abbate in *cap.* 1. *de Reliquijs citato*: inquit, Quod propriè *Canonizare* est, aliquem per Summum Pontificem Cathalogo sanctorum adscribere vt pro Sancto colatur. Et ex forma, qua solent Pontifices Canonizationem facere, quæ videri potest apud Bzouium *in lib. Romani Pontificis cap.* 32. Et etiam sumitur ex *varijs Extrauag. Summorum Pontificum* vt ex Bulla Canonizationis Sancti Francisci de Paula apud *Surium die* 2. *Aprilis*, & habetur *tom.* 1. *Bullarij Bullarij Bulla* 38. *Leonis* X. Vbi per modum Definitionis determitur, & deffinitur Sanctum Franciscum de Paula inter Sanctos iam acceptum, & Sanctorum Catalogo adscribendum fore, & tanquam sanctum colendum. Idque similiter in alijs Canonizationum Bullis videre est, vbi illi tres effectum expressè definiuntur, scilicet illam personam esse iam in gloria, & pro sancta habendam, vt eius exempla imitentur, & denique tanquam sanctam colendam. ergo si de essentia alicuius sancti Canonizati est, vt colatur vt sāctus à tota Ecclesia, implicat in adiectro, quod sit ritè Canonizatus, & quod possit pontifex eius cultum destruere, aliàs esset, & non esset Canonizatus.

Dices 1. non currere paritatem; Nam Summus Pontifex non se habet circa approbationem Religionum, sicut circa sanctorum Canonizationem, sed sicut se habet circa ferendas leges, in quo neque Summus Pontifex iuxtà Communem Doctorum sententiam errare potest, & tamen videmus leges ab vno Pontificē latas ab alio reuocari ex causa, non quia malæ erant ex parte moralitatis suę, sed quia propter circumstantias, & alias causas minus necessarię, aut secundum prudemtiam minus idoneæ; ita Regulæ aliquę Religionum, seu potius Religiones ipsæ extingui possunt, non quia malę, sed quia earum professores non benè vtuntur illis, & ita minus idoneæ, & vtiles sunt Ecclesiæ ratione abusus Religiosorum.

Sed hęc euasio multa non vera congerit, & tamen disparitatem non assignat inter cultū sanctorum, & Religionum approbationem, & cur Pontifex non possit destruere cultum sāctorum ritè Canonizatorum, possit verò Religionem ritè approbatam destruere. Vnde contra talem euasionem sic insurgitur primò. Etiamsi aliqui fideles sed impij blasphemarent verbi gratia B. Carolum execrabilibus afficecerent contumelijs, Pontifex non potest cultū s. Caroli ritè canonizati destruere, quia Canonizatio Sancti Caroli includ t cultum, idem enim est essentialiter esse sanctum, ac essentialiter, & publicè coli; Pontifex .n. non potest facere sanctum non sanctum cū per assistentiam Spiritus Sancti infallibilem fuerit D. Carolus declaratur sanctus, quod idem est ac dignus publico cultu; non habet autem Summus Pontifex potestatem ad destruendum formaliter ea, quæ per assistentiam Spiritus Sancti formaliter sunt sancita, cum Summi Pontificis potestas non sit ad destructionem, sed ad ędeficationem Ecclesiæ; sed etiā eo ipso quod aliqua Religio fuerit à Summo Pontifice approbata, approbatur per assistentiam Spiritus Sancti; quod talis Religio, quo ad tria vota, Regulam, & Constitutiones; digna sit vt colatur; idest vt quilibet fidelis possit eam liberè ingredi, & tria vota per talem Regulam, & cōstitutionem liberè profiteri tanquam viam, & scholam perfectionis; ergo implicat quod talis cultus, seu ingressus talis Religionis rite approbatæ, destruatur, cum essentialiter, idē sit Aliquam Religionem esse ritè approbatam, ac essentialiter eamquemque fidelium liberè tanquam viam perfectionis canonizatam, posse profiteri ergo destruere Religionem ritè approbatam, seu prętiperet vt nemo fidelium eā amplius ingrediatur, est destruere essentialiter id, quod essentialiter approbatum est: scilicet eam esse dignam, vt quisque fidelium, tāquam scholam perfectionis liberè ingrediatur, ac profiteatur, videantur quę diximus in probatione Maioris.

Impugnatur 2. principaliter prædicta euasio. Nam vt bene aduertit Suarez *tom. de fide disp.* 5. *sect.* 8. *num.* 7. Bannez *in prioribus commen. art.* 10. *dub.* 7. Non est inconueniēs quod Pōtifex errare possit in aliquibus circumstantijs legum, quas statuit; puta, multiplicando præcepta, aut nimium rigorem, vel pœnas infligendo, non tamen posse errare in ipsa substantia, & legis moraliter, contra morum honestatem sentiendo, aut proponendo inhonesta pro honestis. Itaque in legibus, quas

Ecclesia

Ecclesia proponit possumus, vel earum moralitatem quasi ex parte obiecti, vel earum applicationem ad personas hic, & nunc, vel circumstantias, puta rigorem, &c. quæ duo videntur ad prudentialem executionem, & directionem legis magis pertinere. Et ita docet D. Th. *Quod l. 9. art. vltimo*, & deniq; colligitur *ex cap si quando de Rescriptis*. Vbi dicit Pontifex *Aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas; aut per litteras tuas, quare adimplere non possit, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus si non feceris, quod praua fuerit nobis insinuatione suggestũ*. In quo textu fundatur, quod subditis de legibus à Pontifice latis, liceat eidem supplicare, vt illas non recipiant, ac proinde supponitur in his imprudentialiter errare, propter malam applicationem, aut ex ignorantia, aut ex malitia ortam, ergo constat Ecclesiam in pœnis ferendis, aut applicandis legibus, aut in iudicijs forensibus, & in his, quæ pendent ex informatione, aut veritate facti posse falli; & ideò sæpe leges Pontificis derogantur, vel ab eodẽ, vel ab alio, etiam reuocantur. Videantur Suarez, & Bannez *loco citato*.

At approbatio Religionis particularis non dependet ex circumstantia facti, sed proponitur simpliciter vt schola perfectionis, spectans essentialiter, tota ad regulas moris; vnde benè dicunt Doctores, quod ad substantiam approbationis spectant, & tria vota, & Constitutiones, & Regula; vt conducentia ad perfectionem, ac proinde non solum tria vota sunt approbata, sed etiam ipse cultus Religionis, seù capacitas aptitudinalis, & actualis qua approbatur talis Religio speculatiuè, & practicè; idest vt ingrediatur, & vt profiteatur, seu pro vt aliqui eam ingressi, ac professi sunt, & vt alij liberè ingredi possunt & profiteri; si quidẽ fuit approbata v. g. Religio vt profitebatur de facto à S. Francisco de Paula, & suis Fratribus; & vt applicabilis, seu capax in futurũ ab alijs Fratribus; ergo fuit approbata ipsa applicatio, seu applicabilitas ad singulares personas; quandoquidem fuit applicata talis religio non speculatiuè sed practicè cum talibus regulis loci, & temporis, & Constitutionibus practicis: ac proinde licèt leges Pontificis derogari possint, quia earum applicatio pendet ex facto, ac possint Pontifices falli in ijs, quæ ex facto pendent; Approbatio verò Religionum & Canonizatio sanctorum cum essentialiter spectent ad mores, eorum cultus non potest reuocari, ac destrui; quia sicut Pontifex non potest errare in approbando cultũ Sanctorum; ita non potest errare in approbando cultum Religionum, seu in approbando capacitatem talis religionis, vt quisque fidelium possit eã liberè ingredi, & profiteri ria tria vota, cum hac regula, & hisce Constitutionibus. Totum ergo hoc spectat ad mores, & nihil est facti in hoc, circa quod Pontifex possit decipi, ac proinde reuocari, cum totum istud sit substantialiter canonizatum, & approbatum, & totum spectat ad substantiam Approbationis, & Constitutionis.

Confirmatur, quia licèt Sanctorum Canonizatio pendeat ex probationibus miraculorum, & ex multis alijs, quæ in facto consistunt, que latè recenset Mascardus *de probat. concl. 26.* Lezana *de Consult. var. consult. 1.* nihilominus certum est vt supra diximus contra Vuilephũ, Lutherũ & alios Hæreticos, Ecclesiam errare non posse in Canonizatione sanctorum, seu in cultu publico Sanctorum. Et ratio est quia, quamuis huiusmodi Canonizatio aliquo modo pendeat ex probationibus, est tamen quædam quasi professio, & protestatio fidei; qua Sanctorum gloriam credimus, ac subinde ad vniuersalem totius Christianæ religionis statũ pertinet; & consequenter dicendum est diuinum illum spiritum, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ promisit *Ioannis 4. & 16.* idem Ecclesię non defuturum in re grauissima, & quia in ipsius Ecclesiæ, diuinique honoris vilipendium redundaret, si viderent Dęmones pro Sanctis venerari eos, quos ipsi torquent in Inferno, vnde postea possint alij Pontifices hanc venerationem, & cultum reuocare. Ita Card. Bellarm. *tom. 1. controuers. 7. lib. 1. cap. 9. Baronius tom 1. anno Christi 55. cap. 5. Valent 1. 2. q. 5. art. 10. Azor institutione moralium part. 2. §. 4.* & alij. Ita licet in approbandis, & confirmandis Religionibus aliquid pendeat ex probationibus, seu ex facto vt videtur fateri Gregorius X. *cap. 1.* in principio *de Relig. Dom. lib. 6.* tamen certum est, quod Ecclesia in confirmanda Religione in ijs, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, & instituti, aut legum & Constitutionum, seu talis Religionis culturam, seu capacitatem passiuam in admittendis ad sui obseruantiam Religiosis, non potest errare tradendo scilicet Constitutiones, seu talem scholam, seu capacitatem passiuam, seu admissionẽ Religiosorum scripturæ, legibus diuinis, aut bono spirituali animarum cõtrarias; cum enim ex dictis certum sit Ecclesiã seu summum Pontificem errare non posse in decretis fidei, vel morum ad totius Ecclesiæ statum spectantium, & in approbatione alicuius Religionis; cũ decernat vitam illam, seu professionem illam bonam esse, & conuenientem ad spiritualem salutem, & Charitatis perfectionem, iam sequitur valde perniciosum fore Christi fidelibus hunc Ecclesiæ errorem, vt scilicet Religio, quam tanquam vtilem pro ingressu cuiuscunque fidelis, bono spirituali approbauit, sequendam proposuit, modò destruat, & priuet tali cultu, capacitate, ingressu, approbatione. sicut valde perniciosum esset aliquem Sanctum ritè Canonizatum priuari suo cultu passiuo, & capacitate venerationis in actu primo ex parte sua, quia ea, quæ semel per Spiritus Sancti assistentiam declarata sunt pia, & Sancta, nunquam directè, vel indirectè possunt destrui, quando directe, vel indirecte per talem declarationem, seu per talem destructionem bono spirituali contraria, vel noxia declarantur.

Cõfirmatur 2. quia talis Religio vel destruitur quia in se ipsa hodie in actu primo, & secundo idest vt est capax recipiendi Nouitios quod est actus primus ipsius Religionis, vel vt profitetur, & in ipsa professio emittitur, quod est actus secundus ipsius religionis ritè approbatę, ipsa ex parte sua est bono spirituali contraria, vel noxia in vtroque actu, & ideò destruitur: vt est noxia ex parte subiecti. Si noxia ex parte profitentium ipsam, & ex parte

te subiecti. Si noxia ex parte sua hoc esset maximè absurdum, scilicet, Religionem rite approbatam à summo Pontifice esse bono spirituali contrarium, & noxiam; ergo si ipsa ex parte sua est in vtroque actu tam pro ingressu, quā pro professione iusta, & Sancta, talis Religio rite approbata ex parte obiecti non potest destrui quo ad vtrumque actum, ac proinde vt sancta, & pia debet subsistere capax admittend s Nouitios, & professos, cum talis capacitas in vtroque actu sit ritè approbata, ac per consequens sancta, & salubris, vt quisque fidelium libere eam possit ingredi, & profiteri. Si vero noxia, & bono spirituali contraria ex parte subiecti, seu ex Religiosorum parte, quamuis tales Religiosi possint, & debeāt mulctari, pænas pati, & ad bonam frugem reduci, non possunt tamen omnes totaliter destrui, quia indirectè destrueretur capacitas pro ingressu, & professione talis Religionis; Ex quo videtur colligi, quod eo ipso, quod aliqua Religio sit approbata practicè, & speculatiuè, idest, & quo ad sua vota, & quo ad regulas, & Constitutiones, seu quo ad cultum, & ingressum, & professionem, cum cultus hic, ingressus, & professio pendeant essentialiter ex eisdem Religiosis talem Religionē profitentibus, implicet, quod omnes collectiuè sint mali, scandalosi, non obseruantes, & pessimi Religiosi, ac proinde digni vt omnes totaliter extinguātur, atque destruātur, nā indirectè destrueretur ipsa Religio rite approbata ex parte obiecti: quia non sunt approbata vota, seù Religio in libro scripta; sed viua, practica, quò ad homines, & actus humanos: sicut proportione seruata, ex eo quod Ecclesia Catholica sit ex parte obiecti Sancta, & pia, implicat, quod omnes fideles ipsam profitentes sint mali, peccatores, & reprobi; cum destrueretur indirectè Sāctitas Ecclesiæ, si omnes homines in ea viuentes essent scelerati & pessimi peccatores. Nam circa decreta, quæ spectant ad mores conueniunt Ecclesia vniuersalis, & particularis; siquidem in vtroque casu scilicet Pontifex tam approbando decreta, quæ spectant ad mores pro Ecclesia vniuersali, quam approbando decreta, quæ spectant ad mores pro Ecclesia particulari, non potest errare; nam in omnibus fegerit Summus Pontifex tanquam supremus Pastor, & Legislator. In vtroq; etiam casu decreta illa ad subditorum salutē, quibus præscribuntur necessaria sunt. Adde quod approbatio Religionis in tantùm ad particularem, sed ad vniuersalem Ecclesiam suo modo spectat. Bellarm. *lib.* 4 *cap.* 5. *art.* 10. *dub.* 6. *con* 4.

Confirmatur 3. Nam sicut Ecclesia, licèt interdum accipiatur pro sola Congregatione iustorum: Vnde S. Aug. *tom.* 7. *lib. de Vnit. Eccl. cap.* 18 dixit *Ecclesiam esse in bonis, nō vero in eis, qui ædificant super arenam,* idest, qui audiunt verbum Christi, & non faciunt, & ita intelligitur illud Cant. 2. *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* idest Ecclesia mea, seu congregatio iustorum inter iniustos. Videatur Turrecremata *in summa de Ecclesia lib.* 1. *cap.* 2. propria tamen apud Teologos acceptio Ecclesiæ pro Congregatione hominum sumitur aliqua ratione fidem profitentium, siue sint iusti, siue sint iniusti. Granados *tract.* 6. *disp.* 1. *sect.* 3. Ita quælibet religio rite approbata docet statum hominum per vota essentialia talem Regulam, & constitutiones profitentium siue sint iusti, siue peccatores qui ad illam obseruantiam, siue sint obseruantes, siue non. Et prob. 1. ex parabolis Euangelijs, in quibus Regnum Cælorum, idest religio militaris comparatur decem virginibus, ex quibus quinque fatuæ erant; & nuptijs, in quibus erat homo sine veste Nuptiali, idest sine Charitate, & perfectione; & Apocalisp. 3. Episcopo Ecclesiæ Sardensis dicitur. *Nomen habes, quod viuas, sed mortuus es*. Secundum id ipsum docent Sancti Patres, sed in speciali S. Hieronymus *in Dialogo contra Luciferianos cap.* 8. vbi ait. in Religione *esse vasa aurea, & argentea cum ligneis & fictilibus, seu iustos cū peccatoribus.* Et S. Aug. *de Vnit. Eccl. cap. vlt.* ait *Aliquos etiāsi sint rami, infructuosi, eo quod mala cupiditate agantur non dum tamen præcisos esse à radice, scilicet à religione*.

Confirmatur 4. Ordines Mendicantes hodie die prima Ianuarij 1653. quo ad vitam, & Institutum, quod modò obseruant, aut sunt ritè approbati à Sede Apostolica, aut non sunt approbati; si sūt modò ritè approbati quò ad hanc circumstantiam temporis, & præsentes Obseruantias: ergo sunt approbati speculatiuè, & practicè, & quo ad omnes circūstantias, ac proinde nō possūt destrui propter circūstātiarū variationē, cum hę præsentes circumstantiæ vitæ, & obseruantiæ, quo ad substātiā sunt moraliter, & successiue ijdem primi Ordines à Summis Pontificibus approbati, continuo censeri debent approbati; si non sunt approbati hi Religiosi Mendicātes quo ad vitā, & præsentē obseruantiā; substātiale sequitur primo, quod hæ præsentes Religiones non debent acceptari, & tolerari ab Ecclesia, cum sint potius in ruinam, quam in Ecclesiæ ędificationem: ergo Principes Sæculares, & tota Ecclesia potest recusare, & a proprio Dominio omnes Religiosos Mendicantes expellere; si quidem Religio mendicantium hæc hodierna, & pro vt practicatur non est approbata vt benè obseruauit Valentia 2. 2. *q.* 1. *a.* 4. §. 4. vbi sic ait, cum mendicantes ordines, quo ad præsentem vitā, & circumstantias non probauit, potius in dānum, quam in Ecclesię, vtilitatem cadunt. Item nulla, & inualida est professio hodie emissa; si quidem emittitur in manibus superioris, cuius Iurisdictio hic, & nunc quoad præsentes circumstantias non est approbata; Itē de facto nullus Frater Ordinis Mendicantium hodie lucratur Indulgentias, quas Summi Pōtifices concesserunt in Bullis approbationis, ingredientibus, & profitentibus talem Religionem approbatam. Siquidem Religiones præsentes mendicantes non sunt approbatæ; item decipitur ab Ecclesia cætus fideliū; credens, & ingrediens Religionem, quæ verè Religio non est, sed ficta. Quæ omnia absurda ex illo principio, scil icet quod Religiones mendicantium quo ad vitam præsentem seù præsentem obseruantiam non sit confirmatę, deducuntur. Quod si distinxeris, omnes ordines mendicantium hodie esse approbatos quo ad substantialia scilicet ad tria vota, quæ emittantur, non vero quoad ceteras circumstantias: iam incidis in nostrum intentum, quod scil. quoad

substan-

ſubſtantialia vitæ Religioſæ ; practicè ſint hic, & nunc approbati ; ac proinde quo ad eadem ſubſtantialia practicè ſcilicet pro vt obſeruantur hic, & nunc non poſſunt deſtrui.

Vnde benè dixit Niderus Dominicanus *in tract. de Reform. Religior. cap. 8. Omnes Religioſos in non Reformatis exiſtentes Monaſterijs, iudicare trangreſſores ſuperbia non caret, aut eſt ei proximum*. Optimè etiam, & iuxta mentem ſerapihicæ Virginis Thereſiæ Doctiſſimus Dominicus Grauina contra Nebulones Hæreticos, & quoſdam ex Catholicis autummantes in Religionibus laxis nihil boni fere reperiri ſic inſurgit. *Nulla eſt quamuis laſſata, & fatigata Congregatio, quæ vt Beatæ Matri Thereſiæ in eius vita reuelatum eſt, magno non ſit Eccleſiæ adiumento; Bos laſſus fortius figit pedem; ſcripſit Hieronymus Epiſt. ad Auguſtinũ, etiã ex illa parte, quã pro exẽplo perditionis ponunt Hæretici (dicit Auguſtinus lib. de Vnit Eccleſiæ) ideſt in Iſrael fuerunt Sancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias vt de alijs taceam. Vnde, & ſe ſolum Dei ſeruum exiſtimantem cum diceret, relictus ſum Ego ſolus : blanda obiurgatione à Domino reprehenſum legimus dicente Domino*. Reliqui mihi ſeptẽm millia virorum; qui non curuauerunt genua ante Baal; & inferius ſic *Non eſſe vineam iſtam Religioſorũ ſicut vinea illa viri ſtulti à Salamone deſcripta quam tota repleuerunt ſpinæ, & vrticæ, eũ tot flores delegerimus, cum tot fructus collegerimus*. Præclare S. Auguſt. *in pſal. 47. illã vocem impiorum dicentium, quod in Eccleſiã vix inuenitur vnus, vel duo, ſed pauciſſimi boni*, ſic confutat. *Non audiamus tales voces; non putemus paucos eſſe iſtos, multi ſunt, ſed inter plure latent*, & vt alibi idem Auguſt. dixit. *ſunt ibi, & grana tenta ex cute; adhibe oris iudicium*. Facit etiam cocinne ad hoc intentum, quod etiam extatica Virgo B. Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana in quodam raptu, ſeu extaſi pro vt refertur *in ipſius vita par. 1. c 31. intellexit ſcilicet. Che molto aggradiuano à gl occhi diuini quei Religiosi, che dimorano in Religione poco oſſeruante, e procurano da parte loro di corriſpondere al vero, e perfetto viuere religioſo*. Poſſunt ergo eſſe (ſunt verba P. Lezanæ de Conſult. var. conſult. 44. num. 72. ſicut de facto ſunt in laxoribus Cęnobijs plures ſancti, & ſi vt tales nõ habeantur, vel quia alij non vt ſic boni inter eos degint, & bonum ipſorum nomen obſcurent, vel quia ſanctitas vera cum in interiorũ virtutum exercitio principaliter conſiſtat, exterius non apparet, vel quia ipſi ſe humiliter occultant. Videatur D. Bonau. *q. 16. & 19. ſuper Regulam. D. Franciſci*. Corduba *ibi q. 3. Introduct*. Aliquos ſcio in Religionibus laxatis poſſe, ſed ex malitia nolle Religionis obſeruare mandata, Sed eſt no propter indiſciplinatè degentes tota Religio extirpãda; quod perditus Iudas medius crepuit auarus, eſt nè contra Apoſtolicum Collegium totum obijciendum crimen; Propter quinque Virgines fatuas paſſuræ ſunt nè repulſam aliæ quinque prudentes? Quæraums S. Auguſtini cuius verba ſunt *Inuenis Sanctimoniales indiſciplinatas nunquid Sanctimonium reprehendendum eſt; Nunquid propter Virgines malas damnaturi ſumus, & Sanctas?* Qtod ex Monaſterijs ad hæreſes, à Chriſto ad Demonem, Lutherus; Buccerus, Pellicanus, Munſterus, Muſculus Nicomius, Occolampadius Martyr, Ochiamus, & eiuſdem ſurfuris, non farinæ deprauati defecerint alij. Opus eſt quod in Sacros Monaſticos Ordines debacchetur; Quis eſt, quod ex priuata quorumdam perditorũ vita, Religionum totam labefactari putabit? *Tu. qui vituperas (inquit Auguſtinus) in pſalm. 99. vide, & ibi bonos. In illa vita communi Fratrum, quæ eſt in Monaſterio Magn. Virg. Sancti, quotidie in hymnis, & Orationibus, & in laudibus Dei, Non auarè aliquid petunt, neque ſibi vſurpant aliquid, quod alter non habeat?*

Nec mirum videri debet, Religioſos deficere in vita Religioſa, vt ait D. Bonau. *in opuſc. Queſt. circa regulam 9. 19.* Nam omne, quod non habet eſſe ſuum à ſe, deficiendo decidit in non eſſe, niſi ſuſtentetur ab eo, quod dat omne eſſe, ſic & omnis ordo, & omnis homo. Vnde non ſolum Ordines Religioſorum, ſed etiam Epiſcoporum, & Clericorum, & Laicorum, & Vniuerſalis ſtatus multùm deficit quantum ad communen ſtatum ab eo, quod in principio fuit, cũ omnes fideles erant perfecti & ſancti, quales nos raro videmus. *Multitudinis credentiũ erat cor vnũ, & anima vna*.

Cauſæ autem quare communitas in Religione deficit, ſunt magis communes inter alias. Prima eſt, multitudo intrantium, nam multi non poſſunt facilè flecti ſicut pauci. Sicut nauis magna difficilius gubernatur quam parua, & vbi multa capita, ibi, multa cerebra; quæ omnia non poſſunt ad vnum ſenſum reflecti. Secunda, cum ſubtrahuntur, qui primo tenuerunt Ordinem in ſuo vigore, vel cum debilitantur, in corpore, non poſſunt Iunioribus; ardua Rigoris dare exempla, ſicut prius, & Noui, qui propria opera non vident, imitantur eos tantum in his, quę nunc vident, in eis, fiunt remiſſi, & ſub ſpecie diſcretionis, ne ſe ipſos ſicut antiqui deſtruant, parcent corpori. Et quia antiquas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoſcunt, vbique neglecti ſunt, quod nec exterius exercẽtur, nec interius virtutes apprehendunt, etiã quia antiqui non valent eos exemplo pręire, timent etiam in verbo eos corrigere, quia ſolent dicere Iuniores, verba quidem bona ſũt, quæ dicunt nobis, ſed opera non oſtendunt; & ſic magis ſcandalizantur. Tertia cauſa eſt quod qui non didicit, neſcit docere, vndè, cum Regimẽ Ordinis deuoluatur ad iſtos iuuenes, tales nutriunt, quales ipſi ſunt, ita quod iam Prior Fratrum in fabulam vertitur, non tradit exemplum. Imo ſe tantùm reputant illis meliores Prioribus, quo minus cognoſcunt, quæ ſunt perfectorum virtutes; Et dum exempla quædam exteriori diſciplinæ obſeruant in Choro, vel proceſsionali ingreſſu, audent aſſerere quod nunquam ſtatus Ordinis fuerit ita bonus. Quarta cauſa eſt quod paulatim ſubintrant non bonę conſuetudines, quę ſtatim ab alijs trahuntur in exemplum. Et ſi aliqui Zelum Dei habentes illam redarguunt, audacter defendunt alij, quare ſibi non liceat, quod alij permittitur, & pro lege tenebitur, cum ex vſu iam conueniens videatur

tur ita quod vix dè cetero potuit extirpari. Rectores quoque, & si talia non diligunt, tamen ne maius malum sequatur, dissimulant, vt pacificè cum fratribus viuant; cumq; vna consuetudo talis facta tolerabilis, consequẽter introducitur alia, quasi cohærens priori, vt illa admittatur, ista verius toleretur. Quinta, occupationum frequenter emergentium, quæ corda distrahit, affectum deuotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, & ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper noua impedimenta Religiosis innectit, donec tandem consuescãt sola exteriora cogitare, & obscurato conscientiæ oculo etiam cum desunt, occupationũ causas impudenter quęrere. Sicut Sanson cęcatus in carcere molam traxit. Sunt, & aliter speciales causę quorumdam vt nimia inopia, ex qua coguntur fieri Proprietarij, dum sibimet quisque debet prouidere, quia non prouidetur eis in communi. Item, nimię opes, ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi; item frequentia inter seculares, ex qua oritur multarum tentationũ carnalium materia. Item si vnus Prælatus qnandoq; vult Reformationi intendere, ab alijs quoquomodo impeditur, vel ad minus non iuuatur ab his, quorum indigeret auxilio, vt Prior non adiuuatur ab Abbate, vel Abbas ab Episcopo, & de similibus similiter judicetur, vnde Rebelles subditi appellant ad illos, quos sciunt sibi in sua rebellione prodesse.

Ex his, atque alijs causis status Religionis in communi deficit, sed quia diligẽtibus Deum omnia cooperantur in bonum; quod non est in communi potest fieri, & defacto fit in particulari. Quilibet proficere volens cõuertit ad lucrum suum aliorum detrimentum. Et omnes vias alicuius defectus ad profectũ suum cum Dei gratia retorquet. Et sicut electorum gloria ex hoc maior erit, quod Reproborum societati admixti, eorum non imitantur exemplum, qui sunt ipsis tentationibus, & exercendę virtutis materia ita, & boni Religiosi nũquã tãti fuissent meriti apud Deum, si non à tepidorum fratrum defectu ad multiplicem virtutis lauream expeni fuissent. Vnde Apostolus inter cętera virtutum suarũ merita, quibus se ministrum Christi excellenter gloriatur, enuntiat pericula in falsis fratribus, eo quòd ei, & alijs bonis multiplex sit occasio virtutis. Primo, quia eorum mala exempla sunt bonis tentationis materia, & sic victorię causa. Secundò, Zelo iustitię circa eorum vitia accenduntur. Tertiò, eorum miserijs compatiuntur, sicut mater filio ad perditionem properanti. Quartò, magis laborãt bonis exemplis eos corrigere, & monitis, & Orationibus, & beneficijs. Quintò, distortos mores patienter tolerant, & iniurias, quas eis pro iustitia inferunt. Sextò ex eorum Cõturbernio despectiones sustinent ab extraneis, quasi ipsi sint tales. Septimò timidiores per hoc humiliores fiunt, & ne cadant, sollicitiores sunt. Octauò Deo magis referunt gratias, quod omnes, ne tales essent, benigne defendit. Nono ex malis iuxta se positis, virtutes iustorum clarius elucent, & pulcherius fulgẽt Ita, & alia bona sunt, quę Deus elicit ex cõsortio malorum cum bonis. Sicut enim accidentale gaudiũ bonorum cumulat visa pœna damnatorum; ita etiam in Ecclesia quodammodo decorat rectitudinem iustorum, deformitas iniquorum, disponente hoc summa sapientia quæ nil inordinatum in omni Regno dimittit, &c. Hæc D. Bonauentura *Supra Regulam D. Francisci q.* 19. Et sic liquidò apparet, quod, Deus permittit aliquos fratres discolos, & peccatores non in destructionem Ordinis, sed in exercitium, & profectum bonorum fratrum. Ex supra dicta doctrina cum P. Lezana *loco citato num* 77. aliquæ propositiones colliguntur, seu statuuntur, quæ maximè ad nostrum Institutum conducunt. Prima est Religiosi viuentes in Religionibus mitigatis, seu dispensatis à Summo Pontifice tuti sunt in Conscientia, & sunt in statu salutis obseruantes Regulam Ordinis secundom talẽ mitigationem, vel dispensatioaem. Ratio est quia eò ipso, quod Papa, vel Apostolica Sedes dictam Regulam mitigant, vel dispensant, cõsequenter illum viuendi sub ipsa modum approbarũt. Cuius signum est, quod Pontifex in ea mitigatione seu dispensatione adiungere solent ad *animarum salutem*, seu *profectum animarum* proun Innocentius IV. & Eugenius IV. in simili dispensatione Regulę Beati Alberti pro Carmelitis dixerunt. Et quia obseruantibus Regulas sic dispensatas, & mitigatas concedere solent Indulgentias, pro vt illas concessit idem Eugenius. Vnde tam certum est Religiosos sic viuentes esse in statu salutis, quam certum est Papam in Religionum approbatione errare non posse. Quod etiam roboratur ex eo quod, vt apud omnes certum est, lex legitimè dispensata nõ obligat. Idque sæpius Pontifices Regulas dispensantes explicare solent, sic colligitur, ex Corduba *supra relato cap.* 10. *q.* 5. *§.* 2. *notandum*.

Secunda, Religiosi etiam viuentes in Religionibus, vbi per legitimam consuetudinem Regula relaxata est seu mitigata, dummodo illam sic relaxatam, aut mitigatam obseruent, sunt securi in conscientia, & statu salutis. Ratio est quia præcepta Regulæ (exceptis his, quæ pertinent ad vota essentialia) sunt quasi leges adiunctæ Religioni. Quare tantum obligant cum habent vim legis: hanc autem vim prorsus amittunt stante consuetudine contraria ad abrogandas alias leges Ecclesiasticas sufficientes, cum non maiorem vim, quã leges habeant Ecclesiasticę; ergo illas non obseruans, neq; peccabit, neq; propterea in statu damnationis censetur. Confirmatur quia si superior in aliqua ex illis legibus dispenset, illam non obseruans sic dispensatam, à culpa excusatur, ergo similiter quando in desuetudinem abijt talis lex. Eamdem enim vim contra legem habet legitima consuetudo, ac dispensatio. Secundò quia tales Religiosi iam priorem illam, & primam Regulam in re non profitentur, sed aliam diuersam, ac laxiorem; & nihil refert quod in eum statum deuenerit Regula illa siue per dispensationem, siue per legitimã desuetudinem. Ita Sanchez *lib.* 6. *in Decalog. cap.* 2. *num.* 26. Pelizzarius *in Manuali Regular tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 54. *& sequent. Corduba Azorius*, *quos* sequitur, & citat Pater Lezana *tom.* 1. *summa cap.* 7. *num* 17.

Tertia

Tertia, Religiosi viuentes in Religionibus in quibus Regula, vel ipsa Religio relaxata est per legitimam consuetudinem, quo ad modos, vel circunstantias votorum essentialium Religionis, si illam hoc modo relaxatam obseruēt sunt etiam in statu salutis, & tuti in conscientia. Ratio est eadem quia scilicet consuetudo habet vim tollendi tales modos, & circunstantias abrogandi, quia non ad votorum substātiam, sed ad maiorem ipsorum perfectionem spectant. Sanchez *num* 26. *&* 29. Pelizzarius supra num. 54. Qui ponunt exemplū in preceptis non equitandi, & non portandi calceamēta in Ordine Minorum, quia illa non ad votorum substantiam, sed ad eorum perfectionem pertinent. Quarta Religiosi viuentes in religionibus, vel conuentibus, vbi regulam, & Constitutiones rarò, vel nunquam seruantur sed passim franguntur, si tali modo viuendi non se accommodent, & doleant de illo, & curent qua possunt, illum euitare, non viuunt damnabiliter, sed in statu salutis Ita Ioannes Excuria in epistola ad Carolum Ducem Burgundiæ referens ibi D. Antoninum. Ratio est quia scilicet sic viuentes non possunt dici suæ Regulæ contemptores, aut periculo illam cōtemnendi expositi, nec sunt Religioni perniciosi. Ex quibus propositionibus benè expēdendis, rectè colligitur, nullam Religionē posse destrui, vel ex eo quia Religiosi illam sic relaxatam obseruent, cùm nulla sit Religio ita relaxata, quę suos Religiosos obseruantes nō habeat, & in qua plures Religiosi eam fideliter obseruent, ac proinde cum Religio ritè approbata nec noxia, nec saluti Religiosorum contraria possit euadere ex parte obiecti, seu ex parte ipsius Religionis speculatiuè considerata, nec practitè ex peritur noxia ex parte subiecti, neque ex parte omnium Religiosorum, sequitur euidenter quod hæc Religio quo ad omnes Religiosos non potest funditus destrui, æxtingui, cum tam speculatiuè, quam practicè schola sit perfectionis, & ianua per talem Regulam, & Constitutiones ad virtutum profectum conducens.

Dices 2. Religio num nimietas grauem in Dei Ecclesia confusionem inducit, vt dicitur expresè *in Capite Finali de Religiosis domibus*, & idem habetur *in cap.* 1. *in eodem titulo in* 6. ergo plures Religiones inutiliter, & noxiè approbantur: alias earum multiplicatio grauem non pareret confusionem.

Sed contra est. Nam in illis Textibus Regulæ à Sede Apostolica non damnantur, sed earum nimietas, & multiplicatio sine causa, præsertim quia in illo *cap. Finali* solum præcipitur vt nulla alia religio sine Sedis Apostolicæ Approbatione admittatur, vt colligitur ex *Rubric. Capitis* quod non est damnare illas, quę à Sede Apostolica approbatę sunt. In secundo vero Textu illi Ordines Mendicantes expresè prohibentur, qui non sunt à Sede Apostolica confirmati qui verò ritè a Sede Apostolica sunt confirmati, tantum abest vt damnabiles sint; sed potius, sunt admittendi, & amplexandi, tanquam Consiliorum Euangelicorum scholæ, & exercitia. Vnde contra nimietatem, seu Institute vite rationis varietatem, & religiosi indumenti colorum diuersitatem, recenter natæ imaginationi, ac diuersis nominibus temerè confictæ, vt contra Ecclæsię vnitatem Heretici arrident inani sarcasmo, in luce caligati Reginæ in vestitu deaurato circundatæ varietate. Talis est Vuichlyephus ille, qui *lib. de Christ. & Antichrist. cap.* 2. Inuidens Ecclesiæ elegantiam, eam sic intendit exuere variegata clamyde. *Ecclesia Christi ergo indiuidua, & vna numero. Sed omnis diuersitas numeralis recedit ab vnitate tali, ergo Fratres, qui ritibus, & alijs obseruantijs multipliciter diuisi sunt: talis diuisio instinctu Diaboli in Militantem Ecclesiam intrauit, & sic confundit vnitatem Ecclesiæ nostri Iesu Christi* Respondetur ex D. Th. 2. 2. q. 113. a. 2. ad 1. *Diuersitas statuum, & Officiorum nō impedit Ecclesiæ vnitatem, qui perficitur per vnitatem fidei, & charitatis, & mutuæ subministrationis secundum illud Apost. ad Ephes. cap. 4. vers. 16. Ex quo totum corpus est cōpactum scil. per fidem: & connexum scil. per charitatem: per omnem iuncturam subministrationis, dum scilicet vnus alijs seruit.* Corpus namque vnum est, & membra corporis cum sint multa, vnū corpus sunt: omnia membra eiusdem naturę sunt singularis; distinguuntur tamen officijs suis, & actibus sui suppositi: eiusdem naturæ est oculus cum pede; videndi tamen vel actus, vel officium specificè ab ambulandi differt officio; & tactus à gusto, & discursus à visu: sunt ergo singula illa paria in natura, quibus secundum speciem distincta contingunt officia, vt notat Hieron. 1. *Corinth. cap.* 12 audiatur Bernardus Epist. ad Cluniacensem Abbatem *sicut multæ mansiones in vna domo, ita hic multi Ordines sunt in vna Ecclesia; & quomodo hic diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: ita ibi distinctiones gloriarum, sed vna domus. Porrò vnitas tam hic, quam ibi consistit in vna Charitate: diuersitas quidem in ordinum, vel operationum multifaria diuisione: ibi vero in quadam meritorum notissima, sed ordinata distinctione intelligitur.* Ac proinde identitas Ecclesię Christi magis confert ad distinctionem Ordinum, & varietatem in eadem Religionum: Ex quarum varietate Christi Corporis mystici speciositas coalescit in militanti, sicut in Ecclesia triumphanti residet: tot Celestium Spirituum Ordinibus, & Hierarchiarum muneribus variata, ergo Religionum non approbatarum multitudo, quam vis nimietatem, seu confusionum gignat in Ecclesia; Religiones verò ritè approbatæ non confusionem, sed pulchritudinem, & Ecclesię formositatum condecorant.

Dices 3. multorum Ordinum Regulę sunt approbatę, quę postea ab ipsa Sede Apostolica sunt reiectæ, vt Ordo Fraticellorum à Cęlestino V. approbatus per Priuilegium, reuocatus est à Bonifacio VII. in *Extrauag. Sancta Romana de Religiosis Domibus* Humiliatorum extinctus est à Pio V. in peculiari quadam Bulla. Ordo Templariorum à Clemente V. & alij similiter Ordines sunt condamnati; ergo Summus Pontifex potest de iure Religiones ritè approbatas destruere; non quia malæ, sed quia eorum professores non bene vtuntur illa.

Resp. transeat consequens. Nam de hoc disputatur scil. An quia in aliqua Religione ritè approbata aliqui Religiosi non benè viuunt,

Ponti-

Pontifex eam possit destruere. Sed quia Antecedens probat de facto plures Religiones approbatas fuisse destructas à Pontifice; examinandum hic esset, an tales Religiones iam destructæ fuerint ritè approbatæ,& si ritè fuerint approbatæ,An Pontifex validè eas destruxerit. Cęteram cum in primis profitear me Catholicum & postea Teologum, constanter assero, Pontificem posse destruere Religiones approbatas, sicut de facto plures destruxit, aliorum autem sit leuibus supra insinuatis difficultatibus satisfacere,vt veritas hæc de Summi Pontificis potestate pro destruendis Religionibus ritè approbatis;magis elucescat.*Sunt adhuc in pretio venatici Canes, qui licet prædam non capiant, vocibus tamen præsignant.*

DVBIVM V.

An redditus, Iura Monasteria, ob Religiosos ab Hæreticis extinctos, vel expulsos, vt in Anglia,& Germania, spectent ad Summum Pontificem.

PRima sententia Probat Quod Colleggia,& Conuentus sic desolati, aut vi occupati censeantur extincti, vt ad Summum Pontificem eorum bona deuoluantur, vt applicet ea ijs, quibus magis placuerit, in primis ex eo videtur deduci, quia Ecclesiæ, siue sæculares, siue Regulares,fundata iura, ac titulos habent, quæ dicuntur Prælaturę, Præpositurę Prioratus, administrationes, beneficia tùm Regularia, tùm sæcularia. Quorum titulorum, iurium ac beneficiorum collatio, institutio, ac possessio per Ecclesiasticos Pręlatos fieri solet personis Idoneis, & qualificatis. His singulis mortuis, aut cadentibus,iura, ac tituli vacant & manent in Dominio Ecclesiæ particularis, cuius tituli sunt, ita vt aliò transferri non possunt spectato iure communi, sed intra tempus à sacris Canonibus præscriptum, alteri conferuntur; vel collatio, & prouisio ad superiorem deuoluitur. Si verò tota Congregatio, Collegium, vel Conuentus penitus cessauerit, siue solutus sit, tunc consequenter Prælaturæ, Administrationes, officia, & vno verbo, iura, ac tituli extincti sunt, idest penitus cessant, atquè adeò non entis nullæ sunt qualitates, sed monasteria, & bona eorum vocantia Romanus Pontifex, assignare, & donare, liberè potest, quibus ipse voluit. Nam iura omnia Pontificia, Cæsarea, omnesque Sapientes ita sentiunt, quod Congregationes istæ extinctæ sint, vndè non iterum reuiuiscunt, & de iure nemini prorsus sunt debita eorum bona.

2. Probatur quod bona ista tanquam verè vacantia, & nemini debita censeri debeant, colligitur in primis ex quadam doctrina Bartholi, communiter recepta ab allis Doctoribus *in lege vlt. num. 22. ff. de Collegijs illicitis, & lege vlt. §. sicut, ff. quod cuiusque vniuersitatis &c.* vbi sic inquit; si Collegia sunt, quæ habere possunt bona in communi, & nihil in particulari, vti sunt Collegia Religiosorum, in istis dissoluto Collegio, remanent bona apud superiorem, vel cui ipse cōcesserint. Et ita fuit obseruatum quando fuit destructum Collegium Templariorum per Sūmum Pontificem, sunt etiam bona vacantia, & ita debentur fisco, *lege 1. §. de iure Fisci*. Eādem doctrinam approbat inter alios Abbas Panormit. *in cap. recolentes de statu monachorum*, & Petrus Ancharranus in cap. 1. *de Religiosis Dominus quæst.* 4. Et alijs specificè loquentes de Religiosorum Collegijs, seù monasterijs, quod eis dissolutis bona, quæ in cōmuni, non in particulari possidebantur, maneant apud superiorem, vel cui ipse commiserit. Constat autem morte, vel promotione omniū eorum, qui sunt de aliquo Collegio, vel Conuentu tatem communitatem, seù Collegium omninò esse dissolutum, & extinctum, quia omnia eius membra, ex quibus componebatur iam non sunt: ergo omnia bona, & iura eorū deuoluuntur ad superiorem, scilicet, Romanum Pontificem vt de ijs pro libito disponat.

Nec dici potest, quod in ius horum bonorū pro Collegio extincto, succedunt aliæ eiusdē ordinis, seù qualitatis personæ v. g. si sint Religiosi, illi, qui eiusdem professionis, & ordinis sunt, si Clerici, qui in eodem loco, vel Prouincia Clerici sunt.

Nam contra hoc fortius instauratur argumentum. Quia licèt verum sit, quod vbi bona sunt communicabilia intra eundem ordinē, seù Religionem, etiam si extinguatur vnus Cōuentus, possunt à superiore talis Conuentus, vel talis Religionis ad alium transferri, sicut poterant etiam si Conuentus non esset extinctus, quia bona illa communicabilia erant; tamen vbi bona sunt diuisa, & independentia de vno Conuentu in alium (vt in præsenti supponimus) non habet ius in talia bona quilibet alius Conuentus, vel Collegium talis ordinis, aut Clerici illius loci, nā verè nō sunt, nec aliquā do fuerunt membra talis Collegij, nec habuerunt successionem in illo: ergo neque ius, aut titulum habent ad talia bona, imò licèt non per mortem naturalem, aut promotionē esset extinctum tale Collegium, sed per vim essent mortui, aut spoliati, qui in illo viuebant, adhuc alijs Clericis, aut Religiosis eiusdem ordinis non poterat competere actio, seù interdictum illud possessionis recuperandæ, & restitutionis bonorum, quia interdictum, seu remedium posessorium, vt beneficium restitutionis non datur, nisi spoliatio iniusta, aut hæredi, aut successori talis spoliati, *lege 1. ff. deijcitur, & §. interdictum, ff. de vi armata, §. non autem, vers. de hæredibus, instituta de perpetuis, & temporibus actiobibus*. At qui reliqui Religiosi, vel Clerici quantumcunque ad eundem ordinem, aut Prouinciam, vel ciuitatem pertineant, nunquam fuerunt spoliati, vel eiecti, quia non erant de facto membra illius Collegij, nec sunt hæredes, aut successores ipsorum sed ad aliud Collegium pertineant: Ergo talia bona nec debentur ipsis, nec de iure possunt ab eis vindicari, atque adeò omninò debent censeri extincta talia Collegia,& eorum bonorum dispositionem ad superiorē deuolui, idest, ad Pontificem.

Addo tertiò, non posse vnum Collegium, vel monasterium Religiosorum in aliud succedendi hereditaria successione potestatem habere. Hoc enim duobus modis posset fieri; primò vt census, siue bona recuperati, & vindicati monasterij in vetera monasteria transferantur; hoc autem nullo modo fieri potest, nā

Monasteria

Monasteria ipsa separata sunt, & sicut Canonicorum Collegia mutuo hæreditates non capiunt, ita nec Monasteria; nec maius vinculum est, in vnius ordinis regula, aut cæremonijs, quàm in Canonicorum, seù Clericorum eodē Sacerdotio. Secundò posset fieri per hoc, quod vnius Monasterij Prælatus, aut Superior ius habeat in aliud, cui tamen obsistit decretum Inno 3. *in cap. finali de Religiosis Domibus*; *Nec vnus Abbas* (inquit) *pluribus monasterijs Præsidere præsumat.* non ergo Prælatus vnus monasterij ius aliquod, aut dominium habet in aliud: ergo nec in eius bona; ergo si illis tale monasterium spolietur, vel vi, vel iure repetere ea nullo modo potest, cum non sit possessor, nec possessoris hæres, non successor ab intestato. Quo ergo iure talia bona restituenda illis sunt, quæ ad talem Conuentum nunquam pertinuerunt? Quod si vnus ex talis ordinis Prælatis ea pet. re potest, cur magis iste, quàm ille? Cum æquè omnes aut ius possint prætendere, aut iure ipso cadant, erit ergo bellum iustum ex omni parte, aut sortiendum est de illis bonis, si pro indiuiso possidebatur, aut diuidenda in partes, vt quis quid tollat.

In contrarium nihilominus tanquam firmissimum resolutionis nostræ fundamētū est, quod ex synodo Calcedonensi cap. 24. *referuntur in cap. quæ semel. 19. quæst 3. quæ semel dedicata sunt monasteria cum Consilio Episcoporum, perpetuò debent manere monasteria.* Quo textu tanquam irrefragabili sanctione vsus est Inn. Papa 3. in Breui quodam suo directo ad Guilelmum Archiepiscopum Rhemensem anno Christi 1198. Vbi sic inquit. *Nos vt in Abbatia Castri Mosobin Episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem Castro Cathedralem Ecclesiam, cui præficiatur Episcopus, fabricare, liberam tibi concedimus facultatem, ita tamen quod ab eodem monasterio monachi nullatenus excludantur ne forte venire contra Sanctiones Canonicas videremus, quibus prouida fuit deliberatione statutum, vt quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, semper maneant monasteria, cum & hodie generaliter statuatur, vt ordo monasticus, qui in aliquo monasterio secundùm Deum, & Beati Benedicti regulam dignoscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur.* Vbi Sanctus Pontifex nō concedit indultum, seu priuilegium aliquod contra ius commune, sed concedit priuilegium Canonis in ipso iure deductum, quod cum aliàs non esset, neque constet in communi fuisse reuocatum videtur sine dubio tribuere ius, & actionem ad repetenda dicta bona, seu Conuentus, aut Collegia eiusdem qualitatis, aut professionis personis, quibus antea competebant, vt vbicunque dignoscitur conuentus aliquis fuisse institutus, & per fatales, vel fortuitos casus spoliatus, vel deiectus, remoto obice perpetuis ibidē temporibus inuiolabiter obseruetur. Indultum enim à iure beneficiū nō est alicui auferendū; *de Regulis* iuris *in 6.* Nec debet quisquam iure suo sine propria culpa fraudari, cap. *Iordane de consanguinitate & affinitate,* cum Glos. & Doctoribus.

Sistamus pedem paulisper (grauissimi Auditores) antequam excrescentes istas spinas, & horrentem syluam veritatis falce succidamus, & vnde tanta potuerit emergere calligo, & tenebrarum densitas, quæ meridianam obtegere lucem & offuscare conatur, tàm inculta, aculeata, & spinosa seges siluescere, diligentius attendamus. Nempè non semel vox illa à serpentum cauea ab hæreticorum cauerna prorumpens, quasi inter sibilos gregū audita est; *monachos inutilia esse terræ pōdera, ventres pigros, stupidas pecudes, oportere proinde amoueri eos de medio, nec suorum monasteriorum restaurationi deputari, vtpotè cum ex illorum doctrina, & morum obseruantia, nec aucta fides parentum restitui, nec Religionis status ad quietum & tranquillum ordinem, ac fundatam stabilitatem possit reuocari.* Voces sunt Hęreticorum, cum ergo pleno iustitię cursu in veterem possessionē immitterentur, & edicto Cęsaris, & approbatione Pontificis, & sicut olim filij Israel edicto Cyri Regis Persarum, muniti ascenderent in Hyerusalem Ciuitatem sanctam post liminio re paraturi factum est, non inimici tantum, & Hæretici, sed & populus terrę, vt dicitur i. *Esdræ* 4. impediret manus populi Iudei, & turbaret eos in ædificando, & conduceret aduersus eos consiliatores, vt destruerent Consilium eorum, illud fermè reclamantes vrbem illam esse rebellem, Regibus nocentem, & pro uincijs, & concitari ex ea bella à diebus antiquis, & vsque ad Regem hanc noxam peruenturam. Quid plura? spargitur in vulgu, inter plura, aut oris dicteria, aut mentis exspuamenta, & illud pessimum elogium à nullo genere hominum maius Ecclesię damnum illatum esse, quam ab Antiquis Ordinibus, inde vires sumpsit confidentia, depulsus timor, audacia creuit, atque in lites controuersiamque itum est. Videres iura, Decretaque verti, verba priuilegia Canonis, & fundationis amplecti. & contra earundem voluntatem cum præiudicio immunitatis Ecclesiasticæ cōmentarios scribi, sacris canonibus per expressam contradictionem, seù contrarietatē vim inferri. Denique vno verbo, zælum zelo destrui, grandi cum errore, maiori fudāmentorum iniuria, Pontificum, Imperatorum, ordinum, Ecclesiæ totius.

Prob. 2. Quod ergo Collegia Communitates, monasteria, Conuentus si spoliata, aut desolata sint, debeant eiusdem professionis, & qualitatis personis restitui, non verò ad arbitrium, voluntatemque Principium reduci, vt disponant pro voluntate sua, ex varijs Canonici iuris textibus non erit difficile comprobare. Et in primis ad hanc rem illustris textus est in cap. *inter quatuor de Religiosis Domibus,* cuius titulus, seu rubrica præfixa, sic est, *locus Religiosis debet reformari de Religiosis dumtaxat, non de sæcularibus, nisi in defectū Religiosorum;* in contextu sic inquit Pontifex, *Quandiu monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad seculares Clericos transferenda, sed si Regulares defuerint, propter eorum defectum in eis sæculares Clericos potuerint ordinari.* In quem locum Glossa. & Abbas Panormit. dicunt, quod quærebatur à Domino Papa, Vtrum Ecclesiæ Regulares possent fieri seculares, & nota, inquit Glossa cum communi, quod Ecclesia debet

semper reformari per homines eiusdem professionis, & nomen reformationis significat institutionem, prouisionem, seu ordinationem, pro vt idem in eodem sensu vsurpat Abbas in cap. conquerente de officio iudicis ordinarij sub num. 2. *& in cap. Ecclesia de election. num. 6.* & communiter ita intelligunt Canonistæ, & *Gloss. in cap statuimus verbo quaritur* 19. *quest.* 3. pulchrè ad rem nostram idem Abbas *sup. text. cit. ex cap. inter quatuor*, explicat quid faciendum sit antequam sæculares introducantur in Ecclesias Regulares, *oportet* (inquit) *prius seruari certos gradus, cum ista littera indistinctè dicat* quandiu per Regulares, &c. *vt reformetur prius locus de Regularibus eiusdem monasterij; secundò indefectum eorum, de Regularibus aliorum Religiosorum eiusdem ordinis; Tertiò deueniendum est ad Regulares alterius ordinis. Postremò in defectum omnium Regularium poterunt institui Clerici sæculares*. Hæc Panormit: & eadem Glossa: Innocent. & alij. *Est enim vt*, (inquit idem Panormit.) *ambulandum in Ecclesia Dei de virtute in virtutem, vt sic potius sit ascensus, quam descensus*, quj adhuc clarius se ipsum explicat verbo *Regulares*, cum ait *per idem verbum* Regulares, *dicendum est textum habere locum in omnibus Regularibus eiusdem ordinis, idest, quamdiù possunt inueniri Regulares eiusdem ordinis, non esse ponendos alios alterius ordinis*. Idem verbum *Regulares* eodē modo explicat Glossa: in cap. *statuimus* 19. *q.* 3. in verbo, *quaritur*.

Vndè videtur hanc rem habere quandam similitudinem cum patrimonijs, & hæreditatibus iure ciuili positis, & ordinatis, in quibus primo loco succedunt parenti defuncto filij, aut descendentes, his deficientibus, ascendentes, vel Collaterales propinquiores alij, & alij, ita vt à proximioribus in gradu semper remotiores excludantur. Ac proinde totum Panormitani sensum malè Quidam inuertunt, dum dicunt loqui in casu nostro cum monasterium, existentibus in eo, imò etiam manentibus quibusdam professis, reformandum est, cum totum contrarium afferat Panormitanus explicans manifestè in illo textu, quid faciendum sit in defectu Regularium eiusdem monasterij non manentibus, aut existētibus in eo quibusdam professis. Quam Abbatis doctrinam confirmat Azor 2. *p. moralium lib. 3. cap. 26. q. 5.* Vbi videri potest, & alij Recentiores.

Sed altius rem istam ordientes, videamus quid de ista hac questione, & controuersia etiā in suo tempore indiuidualiter agitata, senserit Sanctus ille, ac Venerabilis Petrus Cluniacensis Abbas *lib.* 2. *epist.* 11. ad Mattheum S. R. E. Cardinalem, Episcopum Albanensem. *Quaritur* (inquit) *totus monachus ordo, & communem iniuriam pari quarela deplorat, expulsos à sedibus suis monachos, Virdunenses, Clericos pro eis intrusos, sua deseruisse, aliena occupasse, sola vi, nullo iudicio in messem proximorum falcem misisse, & proprijs cultoribus esurientibus, eorum auidissimè fruges deuorasse. Et quod maius ostentum? Quod detestabilius monstrum? Quod protentosius prodigium? Quodque nec de furibus fit, ordo iste antequā audiatur, cōdēnatur, ātequā sub iudice, de culpa* [illegible]*gatur, proscribitur, ante reatum cognitum, vt reus adducitur. Sed vt aduersarij aiunt, fuerint propter mala sua monachi expulsi expellendi, arrogauerit sibi fama consentiens iudiciale decretum; quid etiam personis peccantibus ordo Sanctus peccauit? Quid alijs delinquentibus iustitia promeruit: cur cū reis innocentia condemnata est? Cur malis monachis secundum quosdam expulsis, monastica institutio expulsa est? Vt quid saltem malis istis, boni monachi non succedebant? An quia nusquam tales inueniri poterant? ò quam innumerabilis monachorum turba, per supernā gratiam nostris maximè diebus, multiplicata vniuersa pæna gallica Rura operuit, Vrbes, Castella, Oppida impleuit. Quam varius vestibus, institutis, Domini Sabbaoth, exercitus sub vna fide, & charitate in eiusdē monastici nominis sacramenta iurauit? aut ergo omnes isti pro expulsis introducendi expulsoribus defuerunt, aut tanta multitudine eis in nauseam versa, inopes eos, vt dicitur, copia fecit*. Huc vsque Venerabilis ille, ac Sanctus Abbas Petrus Cluniacensis. Vbi manifestè vir Dei totum ordinem de cōmuni iniuria meritò conquæri dicit, si vel vnum ex monasterijs aliorum ab ordine trahatur, *Argumento capit. Contingit, extra, de sententia excommunicationis, & Doctor et ibidem*, & Gloss. Si ergo est communis iniuria totius ordinis, igitur totus ordo habet ius ad tale monasterium quod ipsi per iniuriam, & contra iustitiam auferri conqueritur Sanctus Petrus Cluniacensis. Et quodnam illud, nisi vt monasterium assumptis ex eodem ordine monachis reformetur, ne innocentes cum nocentibus condemnentur, ne quisquam sine culpa suo iure priuetur?

At reclamant Aduersarij Romanum Pontificem huiusmodi legibus, & iuri communi nō esse allegatum. *Rectè* ergo prouocant ad plenitudinem potestatis absolutæ, quam nunquā negabimus, nec Catholicus aliquis dubitare potest, quin Papa pro sua suprema potestatē non solum desolata, aut vacantia monasteria, sed etiam plena, & reformata, possit aut supprimere, aut ad alios transferre, quia dispensator Dei est, & Economus supremus omnium, quæ possidet Christus in Ecclesia sua. Sed in presenti ad tribunal illud absolutæ potestatis causa hæc non transfertur, sed de iure agimus & de lege positiua, non de absoluto illo, aut dominio, aut potestate quam Dominus capiti Ecclesiæ suæ tradidit, non in destructionem, sed in ædificationem; Suarez *to.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 7. *&* 8. Noster Lezzana *tom* 1. *cap.* 4. *num.* 33.

Nec falli debemus in eo, quod Authores oppositi conantur duplicem plenitudinem potestatis in Papa distinguere; alteram, quæ independens est, fons, & origo aliarum inde deriuatarum potestatum, diciturque ordinaria ordinata, & Canonibus conformis. Quia ratione passim in iure dicitur, Pontifice habere plenam potestatem in beneficijs, quę tamen ex officio, & secundum Canonum prescripta cōferre debet. Alteram quę dicitur plenitudo potestatis, idest, absoluta seu libera à lege positiua, cum Princeps legi non sit subiectus, sed supra legem; sed hoc qua ratione constare possit, non apparet. Nam plenitudo potestatis [illegible] bernandi po-

pulum

pulum Christianum, cui nihil addi potest, vt habetur in cap. *benè quidem 96. dist.* & plenitudine ista non vtitur Papa nisi quando transcendit iura, vt tradit Hostiensis *in cap. proposuit*, vt ait Petrus Andrea S. Bononiensis in repetitione extrauagantis *Iulij 2. Simonica Papæ electione num. 79.* Vnde sequitur non posse dici plenitudinem potestatis, quæ est ordinaria, siue ordinata secundum iura positiua, & communis, & conformis Sacris Canonibus. Proinde neque verum est plenitudinem potestatis in summo Pontifice illam dici, vi cuius beneficia secundum Canonum præscripta cõferre debet, quomodo enim ea potest esse plenitudo potestatis, quæ est in operando à iure positiuo dependens, ac legibus humanis alligata esse debet? itaque si Papa disponat aliquid ex ea plenitudine potestatis, quam habet in beneficia totius orbis, neccessariò transcendit aliqua iura positiua, vel per concursum, vel per preuentionem. Princeps enim legibus in iure expressis non alligatur, sed liber & absolutus manet, si verò è cõtra cõferat beneficia iuxta præscripta Sacrorum Canonũ per omnia, nullamque legem transcendat, tũc operabitur, non ex plenitudine potestatis, sed ex potestate ordinaria legibus positiuis ordinata, siue sacris Canonibus conformi, nõ supra ipsos.

Confirmatio 1. Et quidem verum est, quod hæc potestas absoluta seu libera à lege, qua Princeps non est subiectus legi sed supra legẽ fons est, & origo aliarum inde derriuatarum potestatum, ea tamen non tenetur Canonibus esse conformis, & aligata. Illa verò potestas amplissima in beneficijs quam sibi semperreseruat in Canonibus Ecclesiasticis Apostolica Sedes, quamque à se abdicare non potest, supra leges positiuas est, vt modo dixi adeòque non operatur, vt alligatus legi positiuæ *Ver. gr. lex est in cap. 1. de electione*, vt nullus in Ecclesia Collegiata Prælatus eligatur, nisi per Canonicam Electionem factam per ipsum Collegium. *Et cap. ne pro defectu* ibidem lex est vt si illi, ad quos spectat electio, negligant eligere Prælatum Cathedralis, vel Regularis Ecclesiæ infra tres mẽses, ad proximum superiorem potestas eligendi deuoluatur. Iam ergo si Pontifex Maximus per plenissimam potestatem, quam habet in beneficia totius orbis præueniat electores Collegij, vel superiorem ad quem deuolutio fata fuerat, eligendo vnum ex ipso Collegio; Quæritur, An operetur Pontifex ex potestate ordinaria ordinata, & Canonibus conformi, an ex potestate absoluta, & ex eius plenitudine, quæ libera est à lege positiua. Et Respondemus cum Abbate Panormit. sup. cit. in thesi, singularis decisionis eum non ex priori, sed ex hac absoluta potestate operari. Et ratio est, quia secundum leges positiuas penes Collegium, aut immediatum superiorem debet esse electio: ergo si lex ista à Principe non seruetur, opus est, vt id fiat per potestatem, quæ est supra legem positiuam, cui Princeps alligatus non est: ergo per potestatem absolutam, & liberam à lege. Et hæc est potestatis plenitudo, ex qua modo non supponimus procedere Pontificem, cum procedat iuxta sacros Canones, & diplomata Pontificum, hæc enim potestas vlterius non est ad destructionem, sed ad ædificationem &.

Conf. 2. quia sicut dicunt Theologi aliqua posse fieri à Deo de potestate ordinaria quæ scilicet, ordine, ac naturali cursu rerum inuariato, potest Deus facere; alia verò de potestate absoluta, quæ potest supra rerum ordinem Vniuersum; ita potestas ordinaria Principis, potest dici ea, qua Princeps vtitur secundum leges humanas, quibus quo ad directiuam adstrictus est, quando scilicet, dispensat ex causa iusta in iure humano; potestas verò absoluta, quando non adstrictus his legibus, validè dispensat in iure humano absque causa, licèt si faciat, validum fit, & videtur posse de potestate absoluta, quando potest validè, non tamen iuste, vt in eadem dispensatione in iure humano absque causa contingit, ex neutra autem potestate dicitur posse facere, quod nec iustè, nec validè facere potest: Barb. *de iure Ecclesi. lib. 1. cap. 2. num. 130.* Communis igitur illa Regula, quod *omnia iura sunt in scrinio pectoris Papæ recondita*, non est ita simpliciter intelligenda, vt omnia iura, *&c.* concedere possit, & mutare, & contra iuris regulas, & statuta procedere; quia sicut ipse desiderat facta sua à suis successoribus seruari; consequẽs est, vt sui Prædecessoris constitutionibus venerationem præstet, & custodiam, *cap. ex Canone iustitiæ* 24. q. 1. Roman. *Singul.* 327. *istæ sunt rationes nu. 3. vers. cum igitur*: Cardinal Tusch. *Littera P. concl.* 44. *nu.* 19. *Si ea enim*, inquit Greg. Papa *in cap. si ea* 25. q. 2. *destruere* quæ *Antecessores nostri statuerunt non construtor, sed euersor esse iustè probarer, &c.* Stephanus Pontifex *cap. loci* 34. q. ait, *loci nostri consideratio nos admonet, rationis authoritate, quæ à Prædecessoribus, vtiliter decisa fuerint roborare, Ecclesiastici enim vigoris ordo confunditur, si aut temere illicita præsumantur, aut non concessa impunè tententur.*

At iterum tergiuersantur, Monasteria, seu Collegia, aut loca de quibus in controuersia præsenti agitatur, non vacantia dici debere, sed extincta, vt potè deficientibus omnibus membris ex quibus componebatur, & in tali casu non est opus ad plenitudinem potestatis, & ad absolutum tribunal recurrere sed iuxta ipsam potestatem ordinariam extincto illo iure Collegij deuolutio fit ad Pontificem, vt cui voluerit tradat.

Sed Contra. Lumina extinctio hæc plurima extinguere vult dum suę intentionis caligni imergitur. Etenim licet personæ illæ, quæ indiuidualiter, vt ita dicam, materialiter habitabant, & componebant Collegiũ illud, seu Conuentum, vel violenter expulsæ, vel morte sint extinctæ, tamen eius, quod personæ similis professionis, vel ordinis ad talem restitutionem habent ex ipsaque suorum fundatorum voluntate acquisitum est, qua voluerunt talis qualitatis, aut professionis hominibus locum illum tradere, extinctum nullo modo est; sed vt verba repetam Venerabilis Petri Cluniacensis sup. relata. *Quid personis peccantibus sanctus ordo peccauit; Carnalis monachis secundum quod dixi expulsis, monastica institutio expulsa est*; si

 ergo

ergo expulsis, immeritis, & delinquentibus, ordo non debuit expelli, sed in alijs subrogari: Ergo in ipso ordine ius extinctum nō fuit ad talem subrogationem, multo ergo minus potuit extingui ipsis non peccantibus, sed per vim expoliatis, aut per feritatem occisis.

Conf. 1. nam quid opus est ad iura prouocare humana, & leges textusq; prolatos reproducere, cum etiam ipsos violenta morte raptos, atq; Conuentibus suis spoliatos, & viuere, & monasterijs suis assistere prodigia superna demonstrent; quomodo enim desolata monasteria possunt extincta nuncupari, in quibus toties intempesta nocte certis Anni temporibus in hunc vsque diem accendi luminaria, fulgere lampades, adornari altaria, cereos ardere, processiones à beatis illis manibus, seu animabus institui, Chorum frequentari, & illustrissima luce, cantuque psalmodię templa perfundi, complerique testes oculati, non Catholici tantum, sed etiam hæretici vigilantibus acceperint, & accipiant; Certè Sanctus Greg. *lib.* 4 *Dialog. c.* 21. memoriæ prodidit, duos monachos Longobardorum sæuitia, in vnius arboris ramis suspensos, ac mortuos, facto vespere, claris, apertisq; vocibus psallere cæpisse, ita vt ipsi quoque, qui eos occiderāt, cum voces psallentium audirent, nimium mirati, terrerentur. Quod Sanctus Greg. fuisse signum, inquit, quod ij, qui Deo seruire student post carnis mortem veriùs viuant. Quidam etiam sanctus monachus, nomine *Basilius*, vt narrat Metaphrastes, & ex ipso affert Rodericus *tom.* 1. *exercitationum tract.* 8. *cap.* 21. quadraginta ac continuis diebus, quotidiè ad vesperas veniebat, & cum alijs fratribus in Choro cantabat. Sed, & Nicephorus *lib.* 13. *historia. cap.* 51. *in Templo* inquit, *Sancti Simeonis Monachi ad Lauum columne totus in vno cancellorum emicantem cernere est immissam quādam stellam per fenestram discurrentem, & splendidè, Coruscantem, & modo veluti cessantem, mox verò rursum derepentè affulgētem. Id quoquè quod ijs tantum diebus fit, quibus memoria sancti viri colitur, sunt etiā, qui memoria prodiderunt ipsius quoque Simeonis faciem illam huc atque illuc volitātem ad columna videri, barba, sicut eam gestauerat demissiori, & capite tiara tecto*. Ita Nicephorus.

2. Conf. ex illo obstupescendo miraculo quod nostra ferè memoria in Hibernia contigit, narratur in fasciculo ordinis Cisterciensis *lib.* 2. *dist.* 37. *cap.* 2. Cum enim quadraginta Cistercienses Monachi per irruentes hęreticos in Choro sui monasterij Magiensis truncatis ceruicibus victimæ pro fide Christi procumberent, à morte resurgentes, recollectis, & sibimet iterum impositis capitibus ad subsellia consueta reuersi, primas vesperas Assumption. B. M. ad finem vsque clara voce cecinerunt. Quid ad hæc dicemus? An obliuiscantur sua, & si destructa monasteria beatæ animę, & luminosi è Cęlo ad suas Cellas, paupercula tuguria visitanda delapsi. Hi nimirum sunt custodes positi super muros Hyerusalem tota die, & tota nocte in perpetuum non tacentes, hęc est iubilatio, quam nec post mortem quidem omninò dimittere possunt perfectorum Sacerdotum, & Religiosorum animę, quin etiam desolatas Ecclesias, non solum protectione, & sollicitudine, sed, & pręsentia sua hymnisque, & psalmis, ac spiritualibus canticis nonnunquam inuisant, & laudent circa illa Iesum, astra ista matutina, iubilentque omnes filij Dei, vt benedicant stellæ Cæli Dominum laudent, & superexaltent eum in sæcula.

Dices, Religiosos istos meritò eici, nec amplius ad bona Ecclesiastica suorum Monasteriorum admitti, ac proinde iustè à Summo Pontifice priuari, quia scandalosi, quia relaxati, quia irreligiosè viuunt.

Demus Detractoribus Blasphemias euomētibus, demus gratis, demus liberè; libere ac indiscriminatim Religiosos iudicantibus, dānantibus; quibus sufficit pro ratione voluntas, odium pro iustitia, horror, & præcipitium pro iuris apicibus, & ordine iudicij; sunt ergo rei; An Religiosi: si rei, quare suis processibus, citatione, ac ritibus, debitis non mulctantur pænis? Si Religiosi; Quis arbitraria vafritie, & calliditate, indefensos sententiauit, vt reos? Creatur ergo hodiè reatus, non producitur; satis est esse Religiosum, vt reus euadas, & quadam arcana, sed detestabili Alchimia, aurum Religionis optimum, decoloratur, deuenustatur, deuenditur, vt stannum.

Demus ergo nostris Viperis matrem suam internecantibus, quod aliqui Religiosi sint discoli, & scandalosi, qua consequentia tota Religio bonis suis priuari debet? Romam ipsam proponemus ob oculos, & iuxta Summorum Pontificum praxim discurramus.

Primò, Hæbrei sunt infideles; & quia fide, substantia, & fundamento rerū non apparentium, carent etiam spe, gratia, charitate, prerogatiuis reliquis super naturalibus, quę a fide dependent orthodoxa. Ecce ipsi summum Decalogi præceptum violant, nec Deum super omnia; hoc est supernaturaliter amant. Nomen ipsius Dei inuanum adsumunt, cum euangelia, & totam Christi historiam vocant fabulas, cum Iesum Christum, vel ortum negant, aut ex meretricula, aut fortè adultera natum affirmant; cum ingeminant, illum conceptum de Spiritu Sancto, quo sensu Palias è Iouis capite, Bacchus è femore, Æneas à Venere, Romulus, & Remus à Marte: festa ipsi non sanctificant, sed prophanant; nostra, sua; illa seruilibus operibus, hæc sacrilego cultu. Paternum sanguinem incestuosis non nunquam matrimonijs dedecorant. Plurimos ex circuncisione puellos impunè occidunt. Christianum sitiunt sanguinem, & sæpè profitentur rem medicam, vt cautius occidere possint; multa inualida matrimonia contrahunt, valida multa dirimunt; nullum est enim matrimonium cum animo habendi plures Vxores, aut dandi libellum repudij. Basil. Pontius *De matr. lib.* 3. *cap.* 12. *num* 9. & 7. Vsuris student, & quā possunt Christianos vniuersos spoliant; sunt igitur peiores hæreticis, Blasphemis, sacrilegis, inobedientibus, Homicidijs fornicarijs, bonorum Ecclesiasticorum Raptoribus, Falsarijsque,

sarijsque, & tamen Romę à Summis Pontificibus, & alibi etiam à Principibus Christianis permissis: Ergo datur Theologia, ius Canonicum, ac decreta Pontificia vt omnes isti pessimi homines, & cuius non solum bona sua, sed etiam omnia ista sacrilega, & infanda crimina permittantur; non autem datur Theologia, nec decreta Pontificia, vt Religio innocens, & Sancta, in Monasterijs suis, siue cum aliquibus fratribus discolis, siue cum Sanctis iura seruare possit.

Secundò lupunaria produco, quorum segetem vberrimam tolerabant Roma, Vienna, Madritum, Parisij, & aliæ Cattholicissimæ Ciuitates, sanè fornicationem furto grauiorem, certum est, sed cur tot meretrices Romæ? Scaliger.

Roma quod inuerso delectaretur Amore,
Duxit ab inuerso nomine, nomen Amor.

Quid dicam de meretricio? quanta in vno facinore sunt crimina? audiamus Pium Doctorem Nauarrum in manuali Confessar. *cap. 17. num. 195. multi pueri incipiunt hac occasione prius peccare, quàm alioquin inciperent: itẽ noui ipsemet pueros castissimos venientes ad Accademias ex terris, vbi non est eiusmodi occasio fornicandi, ob eam, quæ in illis se offerebat, animas, studia, & corpora ipsa cõtagio infecta perdere*; Nonne meretricium proculdubio *Lapis est offensionis, & petra scandali?* & nihilominus, habent meretrices in Ciuitatibus iura sua, blandiuntur decreta blanditijs fornicarijs, quando nec Religiosi, à suis monasterijs iniustè ac violenter ab Hereticis eiecti, iura conseruare queant, sic luparatibus, ac hębreis indulgentior est lex, quàm Monachis, schola perfectionis improperijs reijcitur, & asilum fornicationis, proh dolor! impunè permittitur. non sint sanctitatis Cænobia inferioris conditionis, quàm sentinæ libidinis, & Hæbraismi, concedantur Religiosis iura premissiua pro bonis suis; quãdo iam ab eis positiua penitus eliminantur. fit actus Prudentię, actus qui tenetur esse iustitię, & Pietatis; & triumphet saltem pro tuendis monasterijs, Principis Permissio; quando Religio humilis, paupercula, sancta, sed querula, callidè non auditur.

ADde, quæ habentur à Nidero *trat. de Reformat cap. 8. omnes Religiosos in non reformatis monasterijs existentes, iudicare transgressores suæ Regulæ, superbia non caret, aut ei est proximum.* Optimè etiam, & iuxta mentem seraphicæ Virginis Therefię, Dominicanus Doctissimus Grauina, contra Nebulones Hæreticos, & quosdam ex Catholicis autumantes in Religionibus laxis nihil boni, ferè reperiri, sic insurgit *Nulla est, quamuis laxata, & fatigata Congregatio, quæ* (vt Beatæ matri Thæresiæ in eius vita reuelatum eit) *magno non sit Ecclesiæ adiumento; Bos Lassus fortius figit pedem, scripsit Hier: Epist. ad Aug. & in illa parte, quã pro exemplo perditionis ponunt heretici* (dicit Aug. lib. de vnitate Eccl: idest) *in Israel fuerunt Sancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, vt de alijs taceam. Vnde, se solum Dei seruum existimantẽ cum diceret, relictus sum ego solus, blanda obiurgatione à Domino reprehensum legimus, dicente Domino*, Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante *Baal*, & inferius sic: *Non est vinea ista Religiosorum, sicut vinea illa viri culti à Salomone descripta, quam totam repleuerant spinæ, & vrticæ, cum tot flores delegerimus, cum tot fructus collegerimus. Præclarè idem Aug. in Psal. 47. illam vocem impiorum dicentium, quod in Ecclesia vix inuenitur vnus, vel duo, sed paucissimi boni, sic confutat. Non audiamus tales voces ne putemus paucos esse istos, multi sunt, sed inter plures latent, & vt alibi idem Aug. dixit; sunt ibi, & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium.* Facit etiam concinnè ad hoc inrentum, quod etiã extatica Virgo Beata Maria Magdalena de Pazzi in quodam raptu; seu Extasi, prout refertur *in ipsius vita p. 4. cap. 31.* intellexit, scilicet; *Che molto aggradiuano agl'occhi diuini quei Religiosi, che dimorano in Religione poco osseruante, e procurano da parte loro di corrispondere al verò, e perfetto viuere Religioso.* Possunt ergo esse, sicut de facto sunt inlaxioribus Cænobijs, plures sancti, & si vt tales nõ habeantur, vel quia alij non vt sic boni inter eos degant, & bonum ipsorum nomen obscurent, vel quia sanctitas vera, cum in interiorum virtutum exercitio, consistat principaliter, non apparet exterius, vel quia ipsi se humiliter occultant De quo D. Bonauentura *q. 18. & 19. sup. Reg. D. Franc.* Cord ba 161 *q. 3. introduc.* Lezzana *De Consul. Var. Consul. 44. nu. 72. quibus adnecte alia quæ de hac mater ia diximus dub. præcedenti.*

DVBIVM VI.

An Summus Pontifex Reges, ac Principes Christianos sub excommunicationis cẽsura, vt arma, ac bella deponant, & ad verã Pacem, concordiamque conuertantur, compellere possit.

COnclusio est affirm. Prob. Potestas simlis seu temporalis Regum, est subordinata potestati spirituali summi Pontificis: Ergo Summ. Pontifex potest obligare Reges, etiã sub censura excommunicationis, quando ad finẽ spiritualem conducit, vt Reges lites, & bella ad inuicem deponant, & arma, & exercitus forment contra propugnatores fidei, scilicet contra Hæreticos, ac Turcas. Antecedens, antequam probetur, ex quo clare liquet consequentia, Præsupponendum est, Potestatem legislatiuã Ecclesiasticam potestate Regũ ciuili, esse digniorẽ, ac præstantiorẽ, vt docet D.Th. *opusc. 20. de reg. princip. cap. 4.* D. Bernard. *lib. 4. de consid.* Nanziã. *oratione 17.* D. Ambros. *lib. de dignit. sacerd. cap. 2.* Chrysost. *de Sacerdotio hom. 83. & hom. 83. in Matth. & hom. 3. ad popul.* D. Leo *Epist. 23.* hæc autem præstantia non cõsistit in hoc, quod potestas legislatiua Ecclesiastica sit supernaturalis quo ad substantiam, quia hæc est differentia inter potestatẽ legislatiuã Ecclesiasticã, & potestatem absoluendi à peccatis, indulgentias conferendi, & & communicandi, & efficiendi sacramenta, ac characte-

characterem, & gratiā causandum, quod ista Potestas etiam in laico, matrimonij, ac baptismatis sacramenta conficiente, est supernaturalis quo ad substantiam; Potestas verò legislatiua Ecclesiastica quo ad substantia supernaturalis non est, quia si Deus sacramenta, & alia ad cultum diuinū instituisset supernaturalia, & potestatē legislatiuā Ecclesiasticā non decreuisset, circa illa; vtique communitas, vel Princeps secularis, ex naturæ Auctore talem potestatem haberet, vt modum, & regimen circa Sacramenta, & cætera supernaturalia determinaret, & nihilominus in Principe seculari in eo casu supernaturalis non esset.

Potest autem huiusmodi Potestas legislatiua Ecclesiastica dici, & est aliqualiter supernaturalis, primò, quia de facto à Christo supernaturali Auctore Ecclesiæ collata est, illam à Principibus sæcularibus auferendo. 2. hęc potestas supernaturalis est ex parte finis, quia ad finē supernaturalem, idest in ædificationem corporis Christi, *ad Ephes.* 4. totaliter ordinatur. 3. supernaturalis est hæc potestas ex parte materiæ, circa quam obuersatur, quia circa res directè exercetur spirituales, 4. est supernaturalis ex parte subiecti, quia secularis potestas potest esse in non baptizzato, Ecclesiastica verò minimè; nec propterea est incerta, quia certitudo de baptismo moralis omnino sufficit; item potestas secularis in fæmina potest esse, non verò Ecclesiastica (licèt aliqualis potest esse) & quod in contrariū de Ioanne VIII. dicitur, Papam fuisse, & fæminā, fabulosū est; si ergo Potestas Ecclesiastica his titulis supernaturalis est, sine dubio dignior debet appellari potestate seculari, quæ est omnino prophana, vt ait Gelasius Papa *Epist. ad Anastasium Imperatorem*, vt refertur *cap. duo sunt distinct. 69.* Et insuper, hanc etiam habet amplitudinis pręstātiam, quòd per totū Orbē quo ad Christi fideles extenditur, cū nulla potestas ciuilis hac gaudeant amplitudine vt D. Th. *in 2. sent. in* fine notauit. Hanc Ecclesiasticæ potestatis amplitudinem Doctores sancti mixis exemplis declarauere. Innocen. Tertius Ecclesiasticam Soli, Lunę verò Secularem comparauit, vt patet *cap. solita de maiorit. & obedien.* Bonifacius 8. *in Extrauag. de Maiorit. & obedieut.* Ecclesiasticam vocat gladium spiritualem, secularē verò gladium corporalem appellat, idem Bernard. *de consideratione lib.* 4 ac Nazian. *oratione* 17. confirmat.

Hinc est quod Summus Pontifex dicitur Papa, quia est super omnes dignitates Alex. *cons.* 72. *Videtur, num.* 12. *versu quia idem est summa, quod suprema, qua nihil amplius datur.* refert Tusch. *tom. 6. litt. P. concl.* 40. *num* 11. Fuluius Pacianus *de probat. lib.* 2. *cap.* 28. *num. 6. &* 8. Duard. *in comment. ad Bullam in Cœna Domini lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 2. *num.* 17. Vnde Baldus *consil.* 388. *Si Princeps lib.* 4. Papam Principum Principem, ac Dominū Dominantium meritò appellat, quia primus est super omnes mortales, Zabarel. *consil.* 137. *numero* 7. Tuf. *litt. P. concl.* 40. *num.* 12. Regnum Orbis, & Vrbis habet, Bellarm. *tom.* 48. *nu.* 37. & 38, obidq; forsan corona eius capiti imponitur, quę triplex nunc est, quam *tiaram* triplici corona decoratam appellari vulgo Regnum dicit Christoph. Marcellus *lib.* 1. *Rituum Ecclesiast. sect.* 2. *cap.* 3. Barb. *de Iur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. his prænotatis.

Probatur Anteced. primi Argumenti in principio positi, scil. *quod Potestas Ciuilis, seù temporalis Regum Potestas Ecclesiasticæ Summi Pontificis potestati sit subordinata.* Prob; primò Authoritate, siquidem hanc sententia Docuit D. Th. 2. *sent. in fine* Caetan. Apolog. *pro Pontifice cap.* 13. *ad.* 8. Soto 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1. Victoria *relect.* 2. *de potest. Ecclesiast.* Henricus quod lib. 6. q. 3. Turrecremata 2. *summ. cap.* 39. & *cap.* 113. Noster Vbaldensis 2. dottrinalis, *cap.* 76. Concil. Sinuessanum, vt refert Nicolaus Papa *Epist. ad Michaelē.* Conciliū, Romana sub Silucstro *can. vltimo*. Synodus Romana sub Sixto III. *cap.* 5. & quinta Synodus generalis sub Simmacho Concil. Romannm sub Adriano II. & Synodus Generalis *Actione* 10. *cap.* 21 & *alij, quos refert Salas* 1. 2. *disp.* 8. *sect.* 21. & Ratio est, quia Summus Pontifex est Summus Pastor, Principes seculares sunt oues. ergo isti ab illo debent regi, eiq; esse subiectos. Conf. Ecclesia est vnum corpus, vt patet 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Romanos* 12.. ergo vnicum debet caput assignari, nempe, Papa in tota Ecclesia. ergo Reges cū sint huius mistici corporis membra, ac proinde Ecclesiæ capiti debent esse subordinati, ac subiecti. Nam absolutè temporalia ad spiritualia ordinatur, & non è contra: quapropter temporalia absolute sub merito non cadunt, nisi quatenus ad spiritualia, & ad vitam æternam vtilia sunt. ergo potestas temporalis spirituali, & non è contra, subordinata est. Vnde vbiq; Papa Imperatori, ac Regibus tamquam Ecclesiæ caput antefertur, ac præest *cap. venerabilem, de elect.* ac illi Imperatores de facto obediunt, & reuerētur, sicut fecit Fidericus I. imperator, qui partim censuris Ecclesiasticis, partim pręlijs aduersis fatigatus, ac fractus culpam suam (sicut Principem Catholicū decuit, & oportuit,) & agnoscere detestari coactus fuerit, atq; Pontificis Alexandri 2. pedibus conculcandum se se prostrauerit apud Venetos in Sancti Marci Ecclesia, Pontifice voces has edente. *Super aspidē, & Basiliscum ambulatis, & cōculcabis Leonē, & Draconē.* refert Boet. Epo, *de Regalibus lib.* 1. *n.* 20. Hinc sequitur primo, & simul confirmatur præcedens Doctrina. Quod si ad finem spiritualem conducat, Papa potest obligare, etiam per excommunicationem, Principem secularem ad defensionem fidei contra hæreticos, & propagationem illius. vt docet August. *Epist.* 50. *ad Bonifaciam &* 5. *de Ciuit. cap.* 24. Leo *Epist.* 75. *ad Leonē Augustū.* D. Greg. *lib.* 2. *Epist.* 61. *ad Mauritium*. Item potest Papa Principem obligare secularem, vt aliquam legem condat, vel aliquam reuocet, prout expediens ad finem supernaturalem iudicauerit, proinde si duæ sint leges contrariæ altera Ciuilis, Ecclesiastica altera; per Ecclesiasticam Ciuilis manet nulla, ac reuocata. vt patet in lege præscriptionis. Non enim debet seruari lex imperatoria

petatoria de præscriptione, *in Codice de præscriptione*. Sed Ecclesiastica. *cap. finali de præscriptione*. Si autem ad finem supernaturalem non conducit, Papa sua solùm libertate, nō potest legem ciuilem annullare, quia potestas ciuilis solum est Ecclesiasticæ subiecta in ordine ad finem supernaturalem. ita D. Bernar. *lib. 1. de consider.*

Sequitur secundò, Papæ potestatem duplicem esse: spiritualem vnam, aliam temporalem. & illa quidem in totum orbem, hæc verò in statum ditionis Romanæ, quidquid dicat cum alijs Pesantius *de potest. Pontif. disp. 2. & seq.* quamuis indirectè in omnia sæcularia negotia extēdi possit, quandocūq. id ad Ecclesię quietem conducat, & conseruationem, cui omnia ciuilia subordinantur. ita tenet Bellarm. *controu. 3. lib. 5. cap. 6.* & communiter Theolog. pro ȝ. iuris Consulti. Nec Bonifacius 8 *in extrag. Vnam sanctā.* voluit. Reges, & Principes Ecclesiasticæ ditioni, magis quam olim erant, subijcere, sed solùm demonstrare, quod in Ecclesia præter gladium spiritualem sit etiam temporalis, habitu, & indirectè cum expedierit, exercēdum, quod postea declarauit Clemens V. *in Extrauag. Meruit.* Potest igitur Pontifex censuratum gladium intromittere quoties inter magnos Principes, superiorem in temporalibus non agnoscentes, lis aliqua oritur, nec in arbitrium conuenire volunt. sed bello, & sanguine Christianitatis pacem turbare; & Principes obedire tenentur. Molina *de iustitia tom. 1 tract. 2. disp. 29.* & Mendoza *vol. 2. disp. 169. sect. 2. §. 13.* hinc etiam potest illis committere prælium in infideles, quando vi, & armis, fidei Prædicatoribus iter occludunt, vt docet Fagundez in *Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 33. num. 20.* & illorum Regnorum infidelium inuestituram eis concedere, vt Alexander VI. Regibus Castellæ, & Lusitanię linea præfixa Indorum oppugnationē, & dominum diuisit. Ait autem Mendoza non posse Ecclesiam mittere ad infideles, Prædicatores cum exercitu, nec eo titulo posse Principes munimenta, & arces in prouincijs illorum exigere, quia hęc ratio prædicandi est contra pręscriptum Christi, qui *Matt. 1.* Apostolos mittit, *tanquam oues in medio Luporum*. ad expetiendum potius, quam ad portandum ferrum, & ignem: Sed placet Opinio Suarez *de charit. disput. 19. sect. prima num. 18.* & aliorum, quod vbi Infideles, admittere Prædicatores, blandè, & pacificè ad monitis renuunt, armis cogi possunt. Tenentur .n. ipsi soli sequi volentes de rebus spectantibus ad Religionem, quietè, & pacificè audire, ad deliberandum num acceptare illam debeant, vel respuere quod si impiè negent, armis compelli possunt, & obligare Reges fideles ad id pręstandum, Victoria *in relect. 1. de Indis à num. 1.* Molina *vbi supra*: ex quibus Coroliarijs satis apparet, quod potestas ciuilis Regia Ecclesiasticæ subordinata sit, & quod summus Pontifex Reges, Principesq; fideles sub censuris cogere posse, ad pacem, & tranquilitatem Christianam seruandam, vt arma, ac Bella deponant, & suo specialiter summo arbitrio discussionem litis, & prætensionum submittant, vel alij bono, ac optimo Viro, vt quietè, & sine profusione prodiga, imò barbara, tanta sanguinis, cum tot discriminibus dānationis ęternæ pro militum animis, affectatè non expendentes iustum, vel iniustum Principis bellum tes, causa vel lis agatur. vtinam disrumperes Cælos, & descenderes ò sancta Pax! vt hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ex quo, clarè deducitur tertiò, quantum à veritate defecit. Error Marsilij de Padua, relatus à Turrecremata 4. *summa parte 2. cap. 37.* asserentis, Papā posse iudicari, puniri, ac deponi ab imperatore si in suo officio deficiat: sicut etiam error Nili *lib. de primatu*, dicentis, Papam posse à Concilio Episcoporum iudicari, & Caluini 4 *institut. cap. 7. §. 19.* cum hęreticis huius temporis impiè somniantis, Papam, & Imperatori, & Concilio Episcoporum subditum esse. pro quibus erroribus.

Arg. 1. in lege veteri potestas sacerdotalis, erat regali subiecta. ergo etiam in Ecclesia Romana Catholica, cum eadem sit ratio. Anteced. prob. 3. *Reg. 2.* vbi Salomon deposuit Abiatar, & loco illius creauit Sadoch. imo ex historijs constat, Papam aliquando ab Imperatore fuisse depositum?

Rep. Aliquos defendisse, etiam in lege veteri, potestatem regiam sacerdotali subiectā fuisse, quia *Leuitici 4.* pręcipitur, offerri pro sacerdote Victima nobilior, quàm pro Rege, vt Teodoretus *q. 1. in leuit.* Philo *lib. de Victimis*, vbi affert illud *Num. 27.* quod ad Pontificis verbum tam Populus, quām Princeps egredi præcipiebatur, accuratè ad ærtunt. *Sed* melius Respond. cum D. Th. *opusc. 20. de Regim. Princip. lib. 1. cap. 14.* quem sequitur Abulen. 3. *Reg. 1. quæstione 28.* Bonau. 4. *dist. 24.* Corduba *lib. 4. quæst. 1. arg. 2. §. ad vltimum*, Victoria *relect. 1. de potest. Ecclesiæ* Turrecremata 2. *Summ. cap. 96. ad 4. obiectionem*. Salas 1. 2. *disp. 8. de legib. sect. 22.* In illa lege potestatem Sacerdotalem Regiæ fuisse subiectam, vt colligitur 2. *Paralip. 19.* Vbi Iosaphat præcepit, *Amarias Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præsidebit*. Si autem rationam quæras, quare in illa lege sic esset. Respond fuisse ex illius legis imperfectione, cuius promissiones erant temporales; ac proinde in lege veteri potestas temporalis præeminebat: vnde illorum Regnū Sacerdotale nūcupabatur, modò Sacerdotale vocatur Regale 1. Petri 2. *Regale Sacerdotium*, nimirum quia tunc Regnum præeminebat, modò præeminet sacerdotiū. ita D Hieron. *Epist. 5. cōtra Pelagiū, &* Epist. 1. *ad Dardanam*. Aug. *q. 33. in Num. & lib. 19. contra Faustum cap. 31.* Nota tamen, quod nos non asserimus, in lege veteri Regē esse Sacerdote Superiorem, quasi Sacerdotis munera exercere possit; punitur enim Ozias 2. *Paralip.* quia thus adolere voluit, quod Sacerdotis erat officium, & Reges in materia Doctrinæ, & Religionis pro instructione ad Sacerdotes mittebātur a Deo, vt patet *Deuter. 17.* Dicitur autem Rex Superior, quia Sacerdos supra Regem iurisdictionem non habebat, sed è contra, propter rationem

dictam;

dictam; & idem in lege naturæ practicabatur, nisi fortè eadem esset persona, Rex, ac Sacerdos. Modò verò in lege Euangelica Sacerdotis potestas, Regia superior est, etsi contra factum est ab Imperatoribus, vt in argumento notatur, hoc iniustè, & per iniuriã factum fuit. Arg. 2. Imperator in ordine ad finem temporalem, plenariam habet potestatem. ergo etiam circa ea, quæ ad huiusmodi finem necessaria sunt, sed aliquando spiritualia ad finem temporalem conducunt, sicut & temporalia ad finem spiritualem. Ergo, sicut ob hanc rationem potestas spiritualis sibi temporalem subijcit; ita potestas temporalis subiciet sibi spiritualia, ac personas Ecclesiasticas, in quibus talis potestas residet. Resp. quod licet secundùm se, respectu necessitatis, ac connexionis finis temporalis, & spiritualis, ita possit contingere, sicut obiectio desiderat; ex Christi tamen institutione potestas ciuilis Ecclesiasticæ subiecta est, & nõ è contra vt in probatione conclusionis ostensum est; ac proinde, Princeps Secularis nullatenus condere potest circa spiritualia legem, etiam in ordine ad temporalia, nisi de Summi Pontificis licentia, cum potestas spiritualis, neq; directè, neque indirectè possit imperitare à temporali, inferiora enim corpora in superiora, ac cælestia non agunt.

Ex dictis sequitur euidenter, quantus falsus fuit error Breacij, quem sequutus est Henricus VIII. & Elisabetha Angliæ Reges asserentes potestatẽ Ecclesiasticam esse apud Reges, & quod quilibet Rex, sit Papa in Regno suo, & Summus Pontifex in terris solùm sibi temporaliter subditis, potestatem habeat spiritualem, & nullatenus supra alios Reges; quia licet in naturæ lege, simul esset potestas Sacerdotalis cum Regali, ac idem esset Rex, ac Sacerdos; in lege tamen scripta, altera ab altera separata est; & hoc manifestius in lege gratiæ apparet; vbi Christus non Regibus, qui nondum erant conuersi ad fidem; sed Piscatori Petro, ac eius successoribus hanc contulit potestatem, *Ioan. vltimò* dicens: *Pasce oues meas*, quod *Psalmo* 4. prophetatum fuit. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram* Patres vocat Apostolos, filios verò illorum successores, vt latè *ibi* Explicat Hieron. De quibus etiam 1. Corinth. 12. & ad *Ephes* 4. *Deus posuit in Ecclesia primum Apostolos, deinde Prophetas, tum Doctores, & Pastores*: nullam faciens de Regibus mẽtionẽ, sed de alijs a Christo nominatis, quos vt dicitur. *Actor.* 20. *Posuit Deus Episcopos regere Ecclesiã Dei*, vt notauit Damasc. *Oratione de Imaginibus*. Videatur D. Ignatius *Epist. 7. ad Smirnenses*, Noster D. Cirillus *Hom. 8. in Matth.* D. Greg. 14. *moral. cap. 19. & lib. 4 epist. 31. ad Mauritium*. Aug *psal.* 98. Nicolaus I. *Epist. ad Michaelem Imperatorem*. Gelasius *Epist. ad Anastasium Imperatorem*. Qui luculentissimè tractãt, qualiter in lege gratiæ vtrãq; potestatem Christus Dominus separauerit; & hanc doctrinam ad hæc vsq; tempora omnes Pontifices, ac Reges, præter Anglicanos, & huius temporis hereticos, sine vlla hæsitatione, fideliter, ac illibatè receperunt videatur Salas 1. 2. *loco supra citato*.

CASVS

An aliquis spontè interficiens seipsum, asserens, licitum esse interficere seipsum ob gloriam Dei, sit formaliter Hæreticus.

CAsus iste cùm sit rarus, enormis, vbiq; veram, sed ruatam impietatem spirans, vt ex suis principijs enucleetur, duo mihi videntur necessariò examinanda. Primum est, an spontanea occisio sui ipsius possit aliquo fine, aut titulo cohonestari. Secũdò, supposito quod non possit cohonestari, an spontè seipsum interficiens ab gloriam Dei, sit formaliter hæreticus.

Petes 1. *An spontanea occisio sui ipsius possit aliquo fine, aut titulo cohonestari*.

Conclusio. Occidere seipsum spontè, est ita intrinsecè malum, vt nullo ex fine, vel titulo possit cohonestari. Prob. 1. Quia præcepto illo, *non occides* prohibetur omne homicidium, quod sit contrà charitatem, & contra rationem, vt patet ex communi Ecclesiæ, & Scholasticorum sententia; atque adeò etiam occisio sui ipsius: siquidem is, qui se occidit, hominem occidit, & contra rationem (vt patebit ex argumentis à ratione ductis, quæ posteà adferemus) & tantò turpius, quam proximum quantò se quisque debet plus amare, quàm proximum, vt S. Aug. *lib. 1. de Ciu. Dei cap.* 20. optimè concludit, *Neque enim* (inquit) *qui se occidit, aliud quam hominem occidit, & q. 23. c. 5. non est nostrum, cap. Tu dixisti, cap. si non licet, & in 1. liber homo ad legem Aquilam*. Ratio est, quia homo non est dominus suæ vitæ, Deus enim est, qui tale dominium solus habet, vel Respublica, cuius homo est pars *S.* Tho. 2. 2. *q. 64. art.* 5. præsertim *ad* 3. *Expositores ibidem*. N. Io: Becz *lib. 5. in Decal. expos. 3. c.* 2. Sotus *de Iustitia lib. 5. q. 1. art.* 5. Etiam si id fiat desiderio Beatitudinis ad vitandas miserias huius vitæ, vel fugiendum peccatum, propter eandem rationem. Siluester *in sum. verb. homic.* 1. *nu.* 4. Excipe casum quo ex certo instinctu Spiritus sancti homo ad id moueretur, prout contingit in Sampsone, S. Apollonia, & alijs. S. Aug. 1. *de Ciu. c.* 20. *relatus d. cap. si non licet* S. Th. *suprà ad* 4. Idẽ dic. de membri mutilatione, seù abscissione, illicitam .s. semper esse extra casum necessitatis totius corporis, scil. sanitatem, propter rationem adductam S. Th. sup. *art.* 5. Layman *lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. nu.* 1. Vndè seipsum castrare propter seruandam castitatem, prout dicitur fecisse Origenem; vt securius per domos predicaret mulieribus: etiam est illicitum, cum homo non sit dominus suorum membrorum, sed solus Deus, aut etiam Respublica. Guido nost. *in sum. de heres. in heres.* 37. Valessior. Siluest. sup. solum in casu necessitatis, ad mortem videl. fugiendam, quando alio modo effugi non non potest, nisi abscissione membri id fieret, quia tunc prudenter anteponitur vita totius hominis vnius membri abscissioni, vel mutilationi. Toletus *in sum. v. occidere nu.* 10. addens non teneri aliquem ex præcepto

ad id

ad id faciendum, cùm non teneatur vitam cum tanto dolore, & dispendio conseruare.

Dices licitum esse Religiosis per abstinentiam vitam abbreuiare; ergo aliquandò licitum est seipsum interficere.

Pro Responsione, Nota 1. quòd carnem moderatè affligere mortificationibus, pęnitentijs, ieiunijs, studijs, &c. quando ex austeriate sumuntur eo animo, vt caro spiritui pareat, in cultum, & obsequium Dei, vel alicuius virtutis finem, dummodò naturæ necessaria concedantur, nec per hoc impediatur quis ab adimpletione sui officij, etiam si indè vitæ breuitas sequatur, licitum est, & honestum; quia homo non tenetur, vt diutius viuat à prædictis abstinere, quin potius obligatur ad opera virtutũ exercenda Azor. *tom.* 3. *institut. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 13. Sanchez *tom.* 2. *cons. moral. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 33. *nu.* 11. Secus esset si ea fierent intentione abbreuiandi vitam; quia hoc esset illicitum, cùm sit quodammodò seipsum occidere. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *a.* 1. Azor. *sup.* Sãchez *n.* 9. Quod etiã est sentiendũ de Carthusianorum abstinentia à carnibus, etiam cũ periculo vitæ, ita Lezana *to.* 1. *c.* 8. *num.* 19. Nota 2. quod se perimens in loco sacro sepelliri non potest, *cap. placuit* 23. *q.* 5. *&c. quibus* 13. *q.* 2. Et sic negatur absolutè consequentia, nam sicut non valet hæc consequentia, potest aliquis occidere hominem cum moderamine inculpatæ tutelę; ergo potest occidere hominem; ita non valet hæc consequentia, potest homo Religiosus aliquo modo remotè, & cum moderamine abbreuiare vitam per abstinentiam: ergo potest occidere seipsum; & ratio in vtroque casu est eadem; siquidem fit transitus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & antecedens, vt licitum permissum à lege; consequens verò, vt intrinsecè malum, omninò à lege vetitum, ex quo patet Responsio.

Probatur concl. secundò, quia ex scriptura apparet, nec Iob, nec alios Sanctos, & Prophetas etiam grauibus malis, ærumnis pressos, hoc remedio ad euadendum ex vitę incommodis vsos fuisse; neq; Dominus id vnquam suasit; sed solùm fugam ex vna Ciuitate in aliam ad vitanda mala impendentia ex persecutione. Matth. 10. Quod est argumento, non esse id licitum, vt ratiocinatur optimè s. Aug. vbi suprà. *c.* 23. *Nõ fecerunt (inquit) hoc Patriacha nõ Propheta, nõ Apostoli; quia & ipse Dominus Christus quando eos si persecutionẽ paterẽtur fugere admonuit de Ciuitate in Ciuitatem, potuit admonere, vt sibi manus inferrent, ne in manibus persequentium peruenirent. Porrò si hoc ille non iussit, aut monuit, vt hoc modo sui ex hac vita migrarent, quibus emigrantibus se mansiones æternas præparaturum esse promisit, qualibet exempla ponant gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est, hoc non licere colentibus vnum verum Deum.*

Tertiò, quia scriptura non nisi cum quadam execratione memorat facta aliquorum, quos seipsos interemisse perhibet. Vt Architophel. 2. *Reg.* 17. de quo dicitur, *quod suspendio interÿt*, vt Iudæ Matt. 27. & *Actor.* 1. Vbi de eo ait S. Petrus: Quod *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*. Vnde S. Aug. vbi sup. *c.* 17. ait; *Iudæ factum veritas iudicat*; nimirùm in illis locis Scripturę.

Secundò principaliter idem prob. ex communi consensu omnium Sanctorum Patrum, qui id in Iuda, & in alijs omnibus vehementer damnant. In quo genere pręter Augustinum ex Latinis *loco cit.* sæpè id facinus damnantem, satis fuerit audire S. Chrysostomum ex Grecis *hom.* 87. *in Io:* circà illud verbum Domini ad Petrum. *Alius præcinget te, & ducet te, quò non vis*, non nisi auctore Diabolo hoc facinus designari cẽset. *Nemo (inquit) sine dolore à corpore dissoluitur, diuina, hoc vtiliter despensante prouidentia, ne multi violentam mortem eligerent. Nam etiam si hoc Diabolus persuadere potest, & quàm plurimos in præcipitia, & voragines impulit, nisi tantum esset animæ corporis desiderium, in paruo etiam mærore multi sibi mortem consciscerent.*

Tertiò prob. authoritate etiam Philosophorum veterum alicuius nominis. Nam id esse illicitum, & supplicio per priuationem sepulturæ dignum facinus, affirmat Arist. 5. Ethic. *c. vlt.* & Cicero ex sententia Platonis, & Philosophorum meliorum *in qu.* 1. *Tusculana. Vetat (inquit) dominans ille in nobis Deus iniussu huic nos suo demigrare.* Et Paulo post. *Vir (inquit) sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit; nec tamen illa vincula carceris ruperit leges enim vetantur, sed tanquam à Magistratu, aut ab aliqua potestate legitima sic à Deo euocatus, atque emissum exierit.* Vndè etiam Virg. 6. Æneid (quod & Aug. *lib. de Ciu. Dei. c.* 19. memorat) eos etiam apud inferos. mulctari perhibet,

qui sibi lethum
Insontes perpere manu, lucemque perosi
Proiecere animas.

Et Seneca *in Oedi.* quamuis timere nimium mortem existimarit peius quam optare eam, & accersere, tamen & hoc etiam indicauit malum, dum ait.

Mortem optare, malum: timere, peius.

Quartò prob. rationibus varijs, ex quibus quatuor potissimum à D. Th. 2. 2. *q.* 65. *art.* 5. & à Victoria, & ab alijs afferuntur, quibus nos alias, addemus. Prima ducitur ex naturali hominis inclinatione sic: Omnis illa actio hominis est mala, quæ est contra naturalem hominis inclinationem, cum omnis naturalis inclinatio sit recta, vt pote à Deo naturæ authore indita. Sed occisio sui est actio contra naturalem inclinationem hominis ad *esse, & viuere*, & ad sui conseruationem. Ergò est mala.

Hæc ratio nonnullas habet difficultates quę sunt à nobis explicandæ. Nam primò posset maior videri falsa; cùm minimè sit malum, sed bonum facere contrà naturalem inclinationem, quam homo habet per sensualitatem ad bonum sensibile contrarium rationi, & eatenus malum.

Sed ad hanc obiectionem multa responderent Victoria, & alij: Mihi (ne in discutiendis aliorum dictis inutiliter immorer) videtur commodissimè responderi, quod supra

disp. 3. q. 4. d. 2. docui; nimirum hominem per appetitum sensitiuum inclinari quidem naturaliter in id bonum sensibile, quod est contrarium rationi (iuxta illud Apostoli. *Caro concupiscit aduersus spiritum; & spiritus aduersus carnem*, & alia huiusmodi testimonia) sed non prout est contrarium rationi, & malum; sed absolutè, & per se; vt bonum sensibile & per accidens tantum; & ex consequenti, vt rationi contrarium in tali casu, & alijs circunstantijs, sicut supra loco citato explicaui.

Itaque quandò ratio repugnat appetitui sensitiuo, vt propendenti in bonum contrarium rationi, non repugnat naturali inclinationi ipsius appetitus per se; sed inclinationi eius prauæ, non iam prauitate culpæ, (si necdum ratiò consentit) sed cuiusdam deformitatis etiam in ordine ad ipsum appetitum, vt parti rationali subordinatum; ad eum modum, quo S. Aug. *lib. 6. contra Iulianum c. 5.* propter concupiscentiam ita per accidens propensam in malum cõtrarium rationi dicit. *Regeneratus omni peccato caret, non omni malo. Quod planiùs* (inquit) *ita dicitur.* Regeneratus omni reatu omnium malorum caret, *non omnibus malis*; de sententia Augustini diximus *tom. 4. q. 8. de pec. d. 1. in refutatione erroris Sectariorũ de originali peccato*

Secundò potest objici contra eandem rationem, quòd non videtur per eam concludi id, quod oportebat, nempè nulla ratione, & in nullo casu licitum esse, vt quis se occidat, sed non esse id licitum expetendo *ipsum non esse*, & non viuere secundum se (quomodo ad esse, & viuere est inclinatio naturalis, iuxta ea, quæ differuimus *tom. 3. disp. 2. q. 5. d. 2.* Id quod ne videtur quidem necesse fuisse probare, cùm ità expetere non *viuere sit* non modo illicitum, sed etiam impossibile, vt patet ex dictis *tom. 2. loco cit.* Non videtur autem ea ratione concludi, quod sit illicitum se occidere expetendo *non viuere*, prout hoc est coniunctum cum aliquo commodo, vt cum priuatione à miserijs. vel cũ transitu ad vitam beatam; &c. Nam sic expetere *non viuere* non est peccatum, aut cõtrà inclinationem naturalem. Tum, quia habet ea expetitio obiectum verè bonum) moraliter rem estimando) vt rectè, quicquid alij sentiant, confirmat Victoria *in relectione de homicidio num 2.* Et videtur colligi ex illo Eccles. 20. *Meliùs est mors, quàm vità amara* Et Luc. 2.: *Bonum erat ei, si natus non fuisset.* Tum, quia aliquandò eiusmodi appetitus est perfectionis cuiusdam, vt patet in viris sanctis; qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo, exemplo D. Pauli. Respondeo, rationem illam nõ solùm procedere ex eo, quod inclinatio naturalis sit ad esse, & viuere (tunc enim non concluderet id, quod est concludendum, vt rectè ostenditur in obiectione) sed ex eo vel maximè quod est in homine talis quędam inclinatio naturalis) hoc est naturæ rationali consentanea) ad sui conseruationem, vt actionem huic conseruationi contrariam, hoc est sui occisionem sub quacumque ratione, consideratam planè exhoreat (vt experientia docet) tanquam deformem & à nemine cõuenienter naturę expetibilem, sed solum ab eo, qui peruersitate voluntatis (mõnstrose quasi) inclinationem naturalem deprauet; sic intellecta illa ratio, optima est, & experientia ipsa nascitur, atque etiam eo iudicio, quod omnes alias res tum animatas, tum inanimatas, videmus intentas tantum esse summaui, vt in sui cõseruationem, ac nullo modo destructionem sui moliri.

Secunda ratio ducitur ex obligatione, qua vnusquisque tenetur se amare, cum qua obligatione directè pugnat illa atrocitas, & crudelitas, quæ cernitur in sui ipsius occisione, siquidè natura sua est effectus sũmi ipse odij.

Tertia ratio ducitur ex consideratione hominis, vt is *non est sua vitæ Dominus*; sed res quædam Dei, qui est Dominus vitæ, & mortis hominum, iuxta illud Deuter. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Hinc enim est consequens, ita peccare, & fieri iniuriam Deo, occidendo seipsum, sine manifesto consensu, aut mandato Dei, sicut peccatur in proximum, & fit ei iniuria, quando sine illius voluntate occiditur seruus, aut equus ipsius. Quòd autem in hac ratione summus, hominem non esse Dominum vitæ suæ, sed Deum, asserit D. Th. supra *art. 5. ad 3.* & Vict. vbi supra *nu. 23.* & Sotus *lib. 5. de iustitia qu. 1. art. 5.* & alij, & patet euidenti quadam ratione, quam subtiliter indicauit S. Th. 2. 2. *art. 3 ad 5.* Nam homo non aliter est Dominus rerum, quarum habet dominiũ, nisi eas possidendo per suum *liberum arbitrium*. Qu re vt esse, & viuere sunt *priùs quiddam* in homine, quam liberum arbitriũ, & quicunque vsus eius: ita etiam antecedunt omne humanum dominium, & consequenter dominium humanum eas res solum complectitur, quæ post esse, & viuere pertinent ad vsum, & commoditatem vitæ humanæ, vt doctè D. Th. tradidit.

Quarta ratio ducitur ex consideratione hominis cuiusdam, *vt est pars* quædam Reipublicæ. Nam hinc etiam sequitur, cùm, qui seipsum interimit facere iniuriam Reipublicæ, priuando eam vna quadam sui parte, & quasi membro. Propter quam causam concludit Philos. 5. Ethic. *c. vlt.* meritò à Republica puniri tales, negando eis sepulchrũ. Quæ ratio saltem procedit optimè, quando (vt fit) qui se interimit, minimè ad id habet consensum Reipublicæ. Quamuis etiã si haberet faceret ob alias rationes impiè, sicut, & Respublica improbè in tale facinus consentiret.

Quinta ratio, & quidem meo iudicio euidens, duci potest ex natura, & conditione quadam *omnis agentis, & actionis* præsertim moralis) vt recta sit, debet esse natura, & conditione sua talis, vt spectata vi sua, atque effectu deceat ipsa suum agens, à quo est profecta, & ad quandam eius perfectionem pertineat. Sed nulla talis actio, quæ sit occisio sui, habet eam naturam, & conditionem: Ergo nulla talis actio est recta. Maior prob. Nam eam vim habet, quod tradunt omnes Philosophi actionem esse *secundum actum*, seu secundam perfectionem agentis, nimirum post potentiam agendi, quæ est prima agentis perfectio, atque primus actus. Minor autem prob. Nam cùm actio, quæ sit occisio

occisio sui, habeat pro termino, & effectu suo destructionem agentis, non potest ipsa spectato suo effectu, decere suum agens, & ad eius perfectionem quandam pertinere; siquidem iam non superest agens, quod talis actio deceat, tanquam eius perfectio quædam secunda, quodque vllo modo ipsa perficiatur.

Nec tamen hac ratione efficitur, occisionem sui non ex manifesto quidem Dei mandato posse esse rectam, & licitam. Minimè hoc inde efficitur. Nam Deus habet ius, & potestatem faciendi *supra*, *& contra* particulares naturas rerum, separando saltem ab eis accidentia quædam, aut conditiones, aut proprietates illarum, licet fortè non etiam proprietates earum permutando, vt probabiliter disputat Vict. vbi sup. *num* 4. *& seq.* Quia propter id solum rectè fit, quod fit conuenienter rei naturæ, sed etiam, quod ex Dei quidem voluntate in aliquo casu fit *supra, aut contra* rei naturam; ac proindè in nostro proposito non solum rectè fiunt ea actiones quæ conuenienter naturæ agentis, & actionis sint quædam perfectiones agentis (vt est dictum) sed etiã rectè fieret actio ea, quæ supra, vel contra naturam actionis, vt actio est, careret ea conditione, puta actio, quæ esset occisio sui ex Dei mandato.

Satis autem nobis est, quòd seclusa peculiari voluntate Dei, nullius alterius arbitrio possit rectè institui, & exerceri actio, quæ sit sui occisio, cùm careat ea actio naturali quadam actionis conditione, & nemò præter Deum possit facere, vt actio præsertim humana, & moralis destituta sua conditione naturaliter ipsi debita, atque adeò mutila, sit recta, & bona. Hæc ratio satis mihi manifestè monstrare videtur in sui occisione deformitatem, eamque non qualemcumque, sed valdè grauem, atque adeò mortalem, cùm materia sit etiam valdè grauis. Instinctum autem Spiritus sancti solùm mouet ad hoc homines pios, sanctos, vel insignis virtutis, vel miraculosos: vndè propterea D. Th. 2. 2. *qu.* 65. *cit. art.* 5. instinctum Spiritus sancti forsan impulisse Sampsonem ad sui interfectionem, quia homo iste multa perpetrauit miracula.

Sexta ratio duci potest *ex enumeratione, & refutatione causarum*, ob quarum aliquã videri posset occisio sui aliquando esse licita. Non enim est licita ad vitandam *ignominiã, vel alias huius vitæ ærumnas*. Nam vt ita omnibus alijs temporalibus commodis anteponenda est: ita vitæ iactura maius incommodum est omnibus alijs temporalibus, neque maius incommodum ob minus vitandũ rectè suscipitur. *Pellem enim pro pelle, & cuncta, quæ habet homo dabit pro anima sua.* Iob. 2. & Ecclesi. 30. *Non est census super censum salutis corporis.*

Vndè meritò Lucretia illa Romana reprehenditur à S. Aug. *lib.* 1. *de Ciu. c.* 19. quod propter vitandam stupri sibi illati ignominiã sese interemerit. Aut enim adulterij, aut homicidij ream fuisse; Adulterij si in culpa fuit, & opinione sua iustè se interemerit; Homicidij verò si illam turpitudinem ipsa non consentit, &c. Neque fortitudinis, sed pusillanimitatis opus illud fuisse, quod ignominiam illam qualem ferre non potuerit. Et fortiorem fuisse Regulum, qui non se interemit, vt fugeret mortem ab hostibus sibi paratam, sed ad eos intrepidè profectus est, quàm Catonem, qui se Vticæ interfecit, ne ferre cogeretur Victoris Cæsaris dominatũ, vt pulchrè illic differit S. Aug. *c.* 22. 23. *&* 24. Neque etiam licet se occidere propter *peccata præterita*; Tum, quia potiùs expedit viuere, ad illa per pænitentiam delenda; Tum, quia nemò in sua causa idoneus iudex est; & punitio præteritorum peccatorum ad eum solum pertinet, qui publica polleat authoritate, vt iudex, &c.

Neque licitum est se occidere ob vitanda *peccata futura* (sicut opinio fuit fecisse Ingolstadij ante annos fermè viginti quendam sæcularem Sacerdotem valdè pium; qui postridie postquam religiosissimè primum suum Sacrificium Deo obtulerat, se interemit.) Tùm, quia non licet *mala facere, vt eueniant bona*. Rom. 3. occisio autem sui mala ex se est (vt patet ex præcedentibus rationibus) Tùm, quia perperam peccatum *certum* in præsenti committitur, vt vitetur *incertum* futurum. *Quis enim* (ait Aug. vbi sup. *c.* 25.) *ita desipiat vt dicat: Iam nunc peccemus, ne postea fortè peccemus. Iam tunc perpetremus homicidium, ne fortè posteà incidamus in adulterium. Nonne si tantum dominatur iniquitas, vt non innocentia, sed potiùs peccata eligantur, satius est incertum pro futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium. Nonne satius est flagitium committere, quòd pænitendo sanetur* (permanendo in vita) *quam tale facinus, vbi locus salubris pænitentiæ non relinquitur.* Tum denique, quia si ob futura peccata vitanda expediret se occidere maximè expediret id facere statim post baptismum, in quo peccata omnia plenissimè remittuntur. *Tunc enim* (inquit Aug. *in dicto lib. c.* 27.) *tempus est cauendi omnia futura peccata, cùm sunt omnia deleta præterita. Quod si morte spontanea rectè fit, cur non tunc potissimum fit? Cur baptizatus sibi quisquam parcit?* Et infrà. *Porrò* (inquit) *si quis hoc aggrediendum, atque persuadendum putat, non dico desipit, sed insanit. Qua igitur fronte homini dicit. Interfice te, ne paruis tuis peccatis adijcias grauius, &c.*

Neque licet se occidere ad vitandum in se alienam *violentiam, & peccatum*; cùm ea iniuria nihil nocitura sit, si tu in alterius facinora non consentias, vt fusè, & doctè ostendit Aug. illic *c.* 17. & sequentibus. Neque denique id licet propter assequendam statim *beatam vitam*. Tùm, quia designatio temporis consequendæ illius fælicitatis, non ad hominem, cui donanda est, sed ad ipsum donatorem Deum pertinet, vt cum ipse *venerit, & pulsauerit* (sicut ait Dominus) aperiamus ei, & paratos nos inueniat; non autem vt nos cùm voluerimus ad eum veniamus non euocati. Quod etiam Dominus *Ioan.* 21. illius verbis ad Petrum significauit: Cum autem senueris, alius præcinget te, & ducet quò tu non vis. Tum etiam, quia (vt dictum est) non est faciendum malum, vt

eueniat bonum. Et vt ait pulchrè D. August. *in illo lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 26. Reos suæ mortis melior post mortem vita non suscepit.*

Vndè meritò idem Aug. in *eo lib. cap. 22.* damnat etiam Theodosium, qui fertur lecto Platonis de immortalitate libro non alicuius miseriæ declinandæ, sed immortalis vitę assequendę causa, *se præcipitem de muro dedisse, atque ita ex hac vita voluisse emigrare ad eam, quam credidit esse meliorem*, Sed fecit perperā & insipienter ob rationes dictas.

Porrò, quæ aduersus hanc certissimam assertionem obijci possunt, sunt potissimum quatuor. Primò, quod volenti non fit iniuria, vt vidimus *quæst. 3.* Ergo, qui se vult occidere, non facit sibi iniuriam. Respondeo, non quidem facere sibi ipsi iniuriam contra iustitiam, sed contra charitatem, quam sibi debet, atque etiam contra iustitiam facit iniuriam tùm Deo, tùm Reipublicæ, vt patet ex tertia, & quarta ratione.

Secundò, quod in multis casibus licitum est vitam propriam negligere, aut manifesto exponere periculo; vt pro amico, pro salute patriæ, &c & in alijs multis casibus, de quibus videbimus infrà *in quæstionibus de indiciorum iustitia*, & quos fusè persequitur Vict. vbi supra *num. 21. & seq.* Ergo licebit quoque in aliquibus casibus occidere. Respondeo, non valere consequentiam. Nam aliud est, vitam in quibusdam casibus *non cōseruare*, ad quod tenemur solùm ex præcepto affirmatiuo, quod non pro omni tempore, sed pro certo, & certis circumstantijs obligat, aliud verò *se occidere*, quod vetamur ex præcepto negatiuo obligante pro omni tempore.

Tertiò, quòd damnati ad mortem, quandoquè possunt licitè progredi. Imò etiam iubentur exercere quosdam actus, quibus videntur planè ipsi se occidere, seù cooperari ad suam mortem. Vt sumendo venenum (si ad id quispiam iustè damnaretur) & eūdo ad supplicij locum, & conscendendo scalas, & ad excipiendum ictum gladij parando gulam, &c. Respondeo, eiusmodi actus non esse tales, vt per se, & necessariò habeant pro effectu ipsam mortem (sicut cum quis se strangularet, aut confoderet, &c.) cùm possint exerceri morte non subsecuta; vt si fortè non noceat venenum; vel rursus reijciatur, vel vita concedatur eunti ad patibulum, vel ascendenti scalas, &c. Ac proindè huiusmodi actus exercendo non directè se quis occidit, aut cooperatur ad suam mortem, sed tantū non resistit, nec se defendit. Secus autem si actus per se, & necessariò haberent pro termino, & effectu suo mortem. Nam tales actus minimè licitè iniungerentur reo, neque eos ille teneretur exercere. De quo genere plura infrà in specie in quæstionibus de iudicijs dicemus.

Quartò, quòd quidam, quos scriptura laudat se interfecerunt, vt Sampson *Iudic 16.* & Eleazarus *1. Mach. 6.* cùm occidit Elephantem ei se supponens. Et Rahias de quo scribitur *2. Machab. 14. quòd gladio se petijt, eligens nobiliter se mori potius, quam subditus fieri peccatoribus*. Et de aliquibus Sanctis noui Testamenti legitur, quod vitro in ignes, aut aquas se ipsi iniecerint, &c. Respondeo cum s. Aug. vbi sup. *c. 26.* Si qui Sancti id fecerunt, existimandum esse, eos *non errantes, sed obedientes Deo id fecisse, sicut de Sampsone* (inquit) *aliud nobis fas non est credere* (laudatur enim in Scriptura ad Heb. *11.*) Cum autem (inquit) *Deus iubet seque iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocat. Quis & obsequium pietatis accuset?*

Quamquam potest etiam factum Sampsonis, & Eleazari ascribi virtuti fortitudinis, ex qua nimirum manifesto se periculo exposuerint pro bono communi, vt sentit Vict. vbi sup. *n. 37.* & de Eleazaro Sotus quoque *lib. 5. de Iustitia q. 1. art. 5. ad 4.* Rahiam verò quamuis putat Victoria illic posse excusari per instinctum diuinum; tamen D. Th. 2.2. *art. 5. ad 6.* eum non excusat, sicut nec Sotus *loco cit.* Qui consequenter ait, illud quod de Rahia legimus: *Eligens nobiliter mori, &c.* debere referri ad opinionem ipsius Rahiæ, qui in ea re decipiebatur, Et quidquid sit de ijs, satis nobis est probasse, quod sine certa, & explorata Dei voluntate nemini licet se interficere.

Quam quæstionem placet mihi illis Augustini verbis concludere *lib. 1. de Ciu. Dei c. 26. Hoc* (inquit) *dicimus, hoc asserimus hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere; velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas: Neminem propter aliena peccata,* (vt neque persona ab aliquo violentiam patiatur) ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pænitendo sanari: Neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, qui reos suę mortis melior post mortem vita non suscipit. Resoluta fundamentaliter huius primi dubij veritate opere pretium erit secundum in quo tota est difficultas, discutere, pro quo sit.

Petes 2. *An aliquis spontè se ipsum interficiens ob laudem Dei, censendus sit formaliter Hæreticus.*

Prima conclusio, occidens spontè seipsum ob laudem Dei, est virtualiter hæreticus. Antequam hanc conclusionem probemus, notandum est, quod inter alias hæreses, quas enumerat Alphonsus de Castro hanc refert, vbi sup. verbo *Martyrium lib. 10.* mihi *fol. 634. col. 2 lit B.* vbi sic habet. Secunda hæresis est, quæ docet eos, qui se pro peccato interimunt, debere martyres nuncupari, pro eo quod puniunt in se quod dolent commisisse. Huius erroris author fuit Pestilianus quidam Donatista, contra quem extant aliquot Augustini tractatus. Hic error conuincitur ex facto Iudæ, qui dolens de peccato, quod commiserat, se suspendit. Quod autem dolens de peccato, hoc fecerit, Mat. testatur, qui ait: Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pænitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: *Peccaui tradens sanguinem iustum:* Iudam autem fuisse damnatum

natum nullus Catholicus dubitat, cùm tam apertum sit testimonium Scripturæ. Propheta namque de Iuda loquens, ait: *Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter*. Et quod hæc verba sint de Iuda intelligenda, B. Petrus testatur in ea oratione, quam ad reliquos condiscipulos habuit post Christi in Cælos ascensionem, loquens de subrogatione alterius in locum Iudæ.

Tertia hæresis est adhuc pestilentior, ne dicam atrocior, quoniam asserit, omnes qui mortem vltronei patiuntur, esse martyres dicendos, siue talem mortem ab alijs inflictam patiantur, siue eam sibi ipsis infligant. Huius hæresis authores vocat Aug. Circuncelliones *lib. de hæresibus c. 69.* dicens, eos esse genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alio immania facinora perpetrando, sed nec sibi eamdē insaniā, & feritatē parcendo, Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium se ipsos necare consueuerunt. Et in istum furorem alios seducunt, vt se ipsos occidant; quod si facere alij contemnunt, mortem illis minantur, dicentes hoc modo illos martyres fieri. Hos hæreticos Philaster vocat Circuitores, quoniam ad hæc facinora perpetranda per diuersas partes perambulabant.

Quis huius insanæ hæresis fuerit Dux, aut quo tempore cœperit, neq; Aug. neque Philaster prodiderunt; Aug. dicit illos pertinere ad Donatistas, & sub illis militare. His præmissis fit argumentum.

Omnis qui asserit, occidentem spontè se ipsum, esse martyrem, est hæreticus iuxta traditam doctrinam; at qui spontè occidit seipsum ob laudem, vel honorem Dei, asserit virtualiter esse martyrem: ergo iste talis saltim virtualiter est hæreticus, laborans hæresi Donatistarum, & Circuncellionum. Prob. minor, nam martyres veri proprio sanguine effuso, nihil aliud intelligunt nisi laudare Deum, & propriam vitam contemnere pro suo honore defendendo, vel respectu fidei, vel respectu alicuius virtutis infusæ. At Pseudo martyres, seù Donatistæ, & Circuncelliones se ipsos interimendo, intendebant esse martyres, & in nostro casu homo ille se interfecit ob laudem, & gloriam Dei; ergò verè ipse erat de choro, & numero Donatistarum, & Circuncellionum. Conf. nam qui reuera negat aliquam propositionem euidenter illatam ex aliqua premissa reuelata, vt est conclusio hæc Teologica, *Christus habet voluntatem humanam*, quæ deducitur ex altera reuelata, scil. *Christus est homo*, & ex altera naturali, nempè: *omnis homo habet voluntatem humanam*. Iste talis censetur virtualiter negare premissam immediatè reuelatam: nam qui negat conclusionem euidenter, ac necessariò illatam ex præmissis, censetur virtualiter negare antecedens, & præmissas ex quibus infertur. Cùm ergò hæc conclusio Theologica, *Christus habet voluntatem humanam* inferatur necessariò ex illa præmissa immediatè reuelata. *Christus est homo* qui negat illam, virtualiter negat istam, ex qua deducitur, ac proindè est verè hæreticus, & vt tales debet puniri in foro externo, vt bene asserit Fasolus *in 1. p. D. Th. q. 1. ar. 3.* Et ego ipse *to. 1. ibidem.* Valen. *tom. 3. disp. 1. q. 11. punct. 1. diff. 3.* Canus *de locis Theologiæ lib. 12. c. 9.* Bonacina *de censuris disp. 2. qu 5. punct. 3.* Quidquid dicant alij. Ergo à simili, qui est virtualiter hæreticus non negatiuus, seù non negans aliquam propositionem de fide; sed virtualiter asserens aliquem errorem contra fidem, vt est in casu nostro, meritò iste talis in foro externo censendus est, ac puniendus vt hæreticus.

Secunda conclusio, occidens se ipsum ob laudē Dei, est etiā formaliter hæreticus. Vt altiùs huius veritatis radices inuestigemus, necesse est attentè prælibare, quę notat Alphonsus Castro aduersus hæres. *lib. 1. cap. 1. in medio* mihi *fol. 3 col. 1. lit.* B. vbi sic ait *Hæresis est dogma falsum, fidei orthodoxæ repugnans*. Dicimus hic, dogma falsum, omnem enunciationem falsam, siuè illam quis dogmatizet, siue illam secum tacitus affirmet. Nā vtrūque hæresis esse potest. At præter enunciationē hæresis nequit inueniri. Sola enim res effecta, absque iudicio intellectus definientis peccatum esse potest, hæresis autem minimè. Qui enim furatur, & si contra scripturam id fieri vetantem agat, non est hæreticus, nisi credat furtum non esse peccatum. Fornicationem sacra Scriptura prohibet, at qui fornicatur, nisi hoc impune fieri credat, non est censendus hæreticus. Opus ergò solùm sine intellectus errore, hæresis non est, quamtumlibet opus sit ex scriptura prohibitum. Propter quod admonere oportuit, vt cum simoniam aliquanbò hæresim appellari audieris, intelligas, non opus ipsum, quo simonia committitur, esse hæresim, sed errorem, quo credit spiritualia esse venalia. Sic enim vocatur à Gregorio Nazianzeno in fragmento quodam à Gratiano posito *q. 1. c. 1.* qui student, & a Gregorio Rom. *lib. Regist cap 95. c. 110, 113. & 114. & lib. 9. c. 140.* Sed obstabit quispiam si res acta, intellectu minimè circa eam errante, hæresis non est, quare deprehensus in exercitio Iudaicæ ceremoniæ, aut alicuius ritus Sarracenorum, vt puta, quia Sabbatum obseruat, aut Agnum Paschalem comedit, veluti hæreticus punitur? Quod si ex facto dicas, suspicionem, vt id quod facit, ita esse dare faciendum credat: cur non eadem ratione fur, aut fornicator ansam suspicionis præstat vt suspicemur illum hoc facere, quia sibi licere credit? Cui obiectioni resp. magnum esse inter hæc, & illa discrimen. Sunt enim aliqua peccata ad quæ homines sūt natura procliues, vt sunt carnis illecebrę, auri sacra fames, honoris appetitus. Hęc ergò cùm talia sint, in illa præcipites feramur, etiam repugnante conscientia agimus. Sunt alia peccata, quæ secus se habent, ad quę voluntas non fertur; eò quòd nihil habent, quo possint allicere voluntatem; qua propter cum ad illa voluntas indifferens, ac dubia sit, intellectum consulit; vt sciat quid facto opus sit: neque in his repugnante conscientia aliquid agere tentat. Est enim intellectus voluntati à consilijs. Sæpenumerò autem accidit, vt Rex, in consultis omnibus, imò omnium cō-

filio

filio post habito, in id ad quod pronus est præceps ruat, & quod voluerit agat; cum tamen sæpissimè in reliquis consulentibus cedat, & ex eorum consilio fieri omnia præcipiat. In his ergò ad quæ voluntas non est prona, nusquam intellectus iudicio spreto aliquid operatur. Ad cæremonias autem has, vel illas obseruandas, nulla est a natura pronitas in voluntate, nisi fortè ex consuetdine exequendi eas, quæ altera est natura. Idcircò vehemens est suspicio, vtibi voluntas regatur ab intellectu, ita vt quod facit si credat esse faciendum. Sic enim Saluator ait: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Nam (vt Arist. 3. Ethicor. ait) qualis est vnusquisq; talia dicit, & operatur. Ex hac sola (vt opinor) ratione simoniacus appellatur hæreticus à Gregorio in registro dicente: *Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc vt hæreticus fiat, ordinatur.* Nam ex hoc, quod impreciabile licetur, verisimile est eum malè sentire de sanctitate Ecclesiæ, quasi credat eam velle spiritualia liceri, quam tamen Ecclesiam credere tenetur sanctam, immaculatam, fine macula, & fine ruga. Ecclesia igitur de his, quæ foris patent, iudicat; quæ non est dubium esse mala. An autem intellectus fit cōcors operi necne Deus nouit, qui intuetur cor. Homines autem nesciunt nisi quæ foris patent; quamquam vehemens est suspicio, vt in illis magna fit intellectus ad opus conuentio. Et hac de causa punitur ex facto istorum, velut hereticus, qui propter alia opera quantūlibet per sacram Scripturam prohibita, minimè vt talis punietur eò quòd ibi suspicari non liceat, vt quod facit sic credat esse faciendum. Hucusq; Alphonsus de Castro. Ex qua doctrina duo clarissimè colliguntur. Primum est, quod si aliquis credat furtum, aut fornicationem non esse peccatum, sed licitè fieri, iste talis censendus est hæreticus, per illa verba. *Qui enim furatur etsi contra* Scripturam *id fieri vitantē agat, non esse hæreticum, nisi credat furtum nō esse peccatum. Fornicationem sacra Scriptura probibet, at qui fornicatur nisi hoc impune fieri credat non est censendus hæreticus* Et ratio est euidentissima, quia heresis nō consistit in errore, vt ita dicam operis, seù in opere intrinsecè malo; aliàs omnia peccata mortalia essent hæreses, quod est omninò falsum. Sed consistit in errore intellectus falsè asserentis, vel credentis furtum, & fornicationem esse licitam quod est formaliter oppositum sacræ scripturæ reuelanti furtum, & fornicationē esse intrinsecè mala, vt cōstat ex illis præcep. *ne furaberis, ne fornicaberis.*

Secundo colligitur, quod alquis censeatur hęreticus formaliter ita credere, sicut moraliter operatur, inspicienda sunt peccata ex genere suo. *Sunt enim aliqua peccata, ad quæ homines sunt natura procliues, vt sunt carnis illecebra, auri sacra fames, honoris appetitus, &c. Hæc ergò cùm talia sint, vt in illis præcipites feramur, etiam repugnante conscientia agimus; sunt alia peccata, quæ secus se habent, ad quæ voluntas non fertur; eò quòd nihil habent quod possint allicere uoluntatem: quapropter cum voluntas ad illa indifferens, sit, ac dubia intellectum consulit, vt sciat, quid facto opus sit; neq; in his repugnāte cōsciētia aliquid agere tētat .1. in his ergo ad quæ volūtas non est prona nusquā intellectus iudicio spreto aliquid operatur, &c.* Propterea exercens ritus Iudęorum, vel comedens agnum Paschalem censetur, & punitur vt hæreticus, quia in huiusmodi opera non est procliuis natura, sicut in illecebra carnis, sed ex mero impulsu, imperio, & iudicio practico intellectus censentur perpetrata. His maturę consideratis Sic argumētum ad nostram conclusionem radicandam, ac probandam efformo. Qui credit, & aliquo signo externo asserit *furtum, & fornicationem esse licitam, est formaliter hæreticus.* Hæc propositio constat ex præcedenti doctrina primo Corollarij *at qui se interemiti propter gloriā Dei, asserit formaliter occidere se ipsū esse licitū & meritoriū,* patet ex terminis; nam idem est hominem posse occidere se ipsum esse in honorem Dei, ac dicere *occidere se ipsum esse licitum*; cùm solùm intrinsecè licita, vel indifferentia posfint in laudē Dei referri. Nam sicut, si aliquis diceret *furtum, & fornicationem perpetrare in laudem Dei*; iste talis, asser eret euidenter, & ex necessaria consequentia, *furtum, & fornicationem non esse peccata*, & ex doctrina à Castro supra tradita censetur formaliter hęreticus, quia sentiret contra expressum sensum sacræ Scripturæ prohibentis furtum, & fornicationem tanquam intrinsecè mala, ac proindè nunquam ex propria voluntate, & ex proprio obiecto in Deum referibilia, quià est intrinsecè, & substantialiter sanctus, rectus, & bonus; ita a pari, qui assereret, *occisionē sui ipsius ex se ipso posse referri in laudē Dei*, iā diceret occisionē sui ipsius non esse intrinsecè malam, & peccatum, sed esse licitam, ac piam, & quod est detestabilis, ac essecrabilis sensus expressè contra sacram Scripturam prohibentem tanquam intrinsecè malam occisionem sui ipsius præcepto negatiuo *Non occides.*

Conf. licet enim in facinore inhonesto, seù mortali, ad quod est procliuis natura, possumus interpretari, quod opus sit perpetratum reclamante conscientia, sed non deuiante iudicio intellectus, vt sunt fornicatio ex carne, furtum ex cupiditate, ac proindè dicuntur opera ista facta ex concupiscentia, quæ ordinariò arguit lapsum voluntatis, quā errorem intellectus, vt patet 2. Corollario sup. tradito. Secus dici est de peccatis ad quę natura non est procliuis, vt sunt ritus Iudæorum, &c. Nam ex istis redarguitur error intellectus formaliter, & censentur talia perpetrantes, formaliter hæretici, & vt tales puniuntur; patet ex dictis in 2. Corol. Et ratio huius disparitatis est; quia solum ad delectabile natura hominis lapsa proprio pōdere fertur, cùm delectabile sit obiectum concupiscentię, vt docet D. Th. 1. 2. pluribus in locis, & huiusmodi sunt peccata primi generis, scil. furtum, & fornicatio; vt ex se patet. At peccata secundi generis, scil. ritus Iudæorum, comestio Agni Paschalis, &c. sunt ex se opera magis abstracta, indifferentia, & vt ita dicam, spiritualia, & vt veriùs dicam formaliter moralia propterea censetur

tur totam machinam in hisce perpetrandis moliti intellectum; & censetur formaliter intellectus malè credere, & esse formaliter hæreticus. At occidere seipsum propter honorem Dei est peccatum ad quod non solum non est proclivis natura, sed potiùs abhorrens, & abominans, cùm nihil aliud sit magis naturaliter delectabile, quam viuere, & dici viuere. Ergo Author formalis, & principalis huius detestabilis facinoris, est error intellectus; & cum fimus in scelere expresse prohibito à sacra Scriptura censendus est formaliter hæreticus, sicut Christianus exercens ritus Iudæorum, formaliter hæreticus censendus est.

Dices, licet hæc omnia vera sint, tamen ad constituendum hæreticum formalem vltra intellectus errorem requiritur ab omnibus communiter Theologis pertinacia voluntatis, quæ in homine à seipso interfecto constari non potest. Tum propter defectum monitionis Ecclesiæ, tum propter ignorantiam, quæ poterit ab homicida sui ipsius extincto allegari.

Sed contra est. Nam quamuis ad constituendum formaliter hæreticum exigatur voluntatis pertinacia, vt communiter asserunt Theologi; Addatque Alciatus *in lib. 2. cap. de sum. Trin. & fide Cathol. n. 3.* ad pertinaciam requiri, quod hæreticus Ecclesiæ monitioni resistat; dicendum cum Bec. 2.2. *c.* 14 *q.* 2. *concl.* 3. *n.* 10. & omnibus ferè Theologis, satis pertinacem esse, qui sciens suam opinionem esse contra determinationem Ecclesiæ, spreta nihilominus illius auctoritate in sua opinione persistit. Nam, vt ait Simanca *tit.* 48. *n.* 78. Scriptura, & Ecclesiastica definitio, quibus fides Catholica nititur plus operatur, & potest, quàm sexcentæ iudicis monitiones, & mille prohibitiones iuris humani. Quæ doctrina non solum procedit in foro interno, vt ait Aragon *in* 2. 2. *qu.* 11. *art.* 1. *concl.* 2. Sed vt docet lorca ibi *art.* 2. *disp.* 41. *nu.* 8. etiam in externo: alioqui multi se excusarent, quòd non fuerint admoniti, & impuniti manerent in Reip. excidium. Posset admitti sententiam Alciati cum hæretico rudi, vel quando hæreticus esset curiæ sæculari tradendus, in quo tamen casu pro foro externo sufficeret precessisse monitionem Inquisitorum, vel Episcopi, aut alterius viri docti ab illis deputatis; nec ad cuiuscunque causæ iudicium congregari debet Concil. vel supremus Iudex adiri; sed debent esse peculiares iudices quorum maturo, & prudenti iudicio causæ finiantur. Ita Lorca ibi *n.* 20. *p.* 4. *tom.* 7. *ref.* 36. vbi sic ait. Per se & ex natura rei non est necessaria admonitio, vt homo hæreticus sit pertinax nam in his, quæ manifesta sunt, errat ex electione, & deliberatè etiam si à nullo speciatim admonitus sit, & priusquam admonitus sit pertinax, est etiam hæreticus. Quare non rectè Alciatus, & quidam alij dicunt neminem censendum esse pertinacem, nisi eum, qui admonitus persistit in errore, quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam, & si quæ admonitio necessaria est, ipsa notorietate doctrinæ fit, quemadmodum in ex communicationibus à iure lex ipsa sufficienter admonet, vt subsit contumaciæ, quæ ad excommunicationem requiritur. Nec solum in foro animæ, sed etiam in foro externo potest decerni pertinacia sine aliqua monitione præuia. Hæc Lorca doctissimè, vt semper solet. Vndè Porranus *de orig. Inquis. lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 4. *n.* 5. ait. In vsu, & more Ecclesiæ positum esse eum hæreticum decernere, qui errore imbutus fuerit à se damnato, quamuis nulla præcessit commonentis cum vox. Et ideò Paulus Gartia *in ordine processadi in S. Officio fol.* 11. at ergo sic ait (Cada 19. quãdo que el Reo cõfessare hauer teydo, y creydo errores se le ha de perguntar, si sabia, y intendia que la Yglesia Catholica Romana tenia lo contrario delo, que el creia, de manera, que bastantemente satisfaga à lo, que toca à la pertinacia, que es loque haze herege consumado.) Sic ibi, Sed audiamus Simãcam *tit.* 38. *n.* 7. & 8. sic asserentem. Adnotatu dignum est, quod quicumque credit aliquam propositionem veram esse, cuius cõtrariam sciat esse Catholicam, hoc solo consummatus hæreticus pertinax est. Nec audiendi quidam, de quorum numero est Alciatus, qui deputent neminem pertinacem esse, qui non habet animum obstinatum, & admonitus non persistit; nam pertinacia, quæ consummatum facit hæreticum, non est obstinatio sola, sed quilibet etiam verus confessus contrarius cognitæ veritati Ecclesiæ Catholicæ.

Accedit etiam ratio viua quidem, & spirans, quia sacra Scrip. & Ecclesiastica definitio, quibus fides Catholica continetur, plus valet, plus operatur, & potest, quam sexcentæ iudicis admonitiones, & quam mille prohibitiones iuris humani. Sicut igitur is, qui contradicit legitimis hominum admonitionibus pertinax est, & qui facit contra prohibitionem legis humanæ, ipso facto incidit in excommunicationem, quæ nonnisi præcedentibus admonitionibus ferri solet, & legis authoritas pertinacem haberi facit quemlibet legis transgressorem; sic etiam qui contra Scripturam sacram, aut Ecclesiæ definitionem sciens errat, hoc solo sine alia admonitione pertinax hæreticus est. Ita Simanca & tandem hanc sententiam docet nouissimè Merozza *in disp. Theol.* 1. *disp.* 1. *c* 2. *dub.* 12. *num.* 181. sic asserens. Infertur non requiri ad pertinaciam, vt quis de suo errore scienter admisso moneatur, & ipse adhuc persistere velit, sed sufficere si scienter erret cõtra id quod ab Ecclesia definitum esse cognoscit Sic ille, & hanc opinionem tenet etiam Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 8. & Ricciullus *tract. de iure pers. &c. lib.* 5. *c.* 2. *n.* 10. ex quibus firmata satis remanet nostra sententia aduersus Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, nisi quis eos benignè intelligendos esse dicat, in casu, quo hæreticus esset rudis, & simplex, vel etiam sagax & doctus, quando relaxandus esset brachio sæculari, in his enim casibus concedimus, præmittendam esse admonitionem. Sed quia, optimè aduertit Becanus *tom.* 3. *in.* 2. 2. *c.* 14. *q.* 2. *n.* 13. ex doctrina superius allata sequitur, quod nemo est hæreticus nisi sit pertinax in suo errore, & nemo est pertinax nisi qui

si qui aduertit se sentire contra Ecclesiam: ergò qui hoc ignorat, nec pertinax, nec hæreticus est. Ideò videtur hic discuriendum necessariò quænam ignorãtia excuset ab hæresi, & per consequens à pertinacia.

Suppono igitur ignorantiam culpabilem, seù voluntariam esse duplicem, vna est affectata, quando quis ex industria vult aliquid ignorare; altera est crassa, & supina, quando quis non ex industria, & proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea quæ potest, & debet scire; prior est directè, & virtualiter, vtraq; tamen vincibilis, & culpabilis, hoc supposito,

Prima opinio asserit ignorantiam crassam supinam, non excusare ab hæresi, & per cõsequens à pertinacia. Ita Lorca in 2. 2. *D. Th. q. 11. ar. 2. dis. 41. n. 15.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. ar. 3. post. 3. concl. c.* 1. Sayrus *de cens. lib. 1. cas. 14. n. 15.* Toletus *lib. 1. c. 19. n. 2.* Felinus *in c. 1. de haret. n. 2.* Ancharanus *n. 5.* Boerius *num. 2.* Io. Andreas *n. 2.* & alij. Et ratio est, quia ignorantia culpabilis non excusat ab alijs peccatis; ergo nec ab hæresi; nam sicut homicidium semper est peccatum siue fiat ex scientia, siue ex ignorantia culpabili; ita error circa fide semper erit peccatum hæresis siuè scienter, siue ignoranter fiat, modò ignorantia fuerit culpabilis.

Secunda opinio tenet nullum errorem cõtra fidem ex ignorantia vincibili, etiam crassa commissum, esse hęresim. Ita Zumel *in 1. 2. q. 96. ar. 4. disp. 1. Paulò ante 1. concl.* Cano *de loco Theol. lib. 12. cap. 19.* Castrus, *de iusta haretic. punitione lib. 1. c. 9.* & alij, quos citat & sequitur Merozza *in disp. Teol. tomo 1. disp. 1. c. dub. 12. num. 177.* quia de ratione hæresis est, vt quis erret in fide sciens se credere, & opinari contra communẽ sensum Ecclesiæ. Sed qui habet crassam ignorantiam, circà communem sensum Ecclesiæ non errat, sciens se credere, & opinari cõtra communem sensum Ecclesiæ: ergo non est hæreticus. Deindè quando quis ignorat se sentire contra suum magistrum, non censetur esse pertinax, aut derogare authoritati magistri: ergo, &c.

Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, docet non solum ignorantiã crassam, & supinam, sed etiam affectatam excusare ab hæresi. Ita hanc sententiam tenet Azorius, Aragon, Bannez, Suarez, Coninch, quos citat, & sequitur Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 3. punt. 2. n. 3.* quibus ego addo Pesantium *in 2. 2. q. 11. art. 1. dis. 1. concl. 1:* Bec. *tom. 3. in 2. 2. c. 14. q. 2. n. 16.* Sanctarellum *tract. de haresi cap. 1. dub. 5. n. 23.* Ricciul. *tract. de iure pers. &c. lib. 5. c. 7. n. 13.* Ledesmam *in sum. tom. 2. cap. 6. contl. 4. d. 2.* Vasq. *in 1. ff. 2. disp. 126. c. 2.* quidquid in contrarium asserant Vallen. *tom. 3. disp. 1. q. 11. punct. 1. diff. 4. ad 1. arg.* Zumel. *in 1. 2. q. 76. ar. 4. dis. 1.* Canus *de loco Theo. lib. 11. cap. 9.* & alij.

Dico igitur primo, quòd ignorantia affectata potest duobus modis accidere, primo ex tædio adiscendi tantum, vt si quis vult aliquid ignorare, quia tædet illum discere, & hoc modo error in rebus fidei non est hæresis quia qui sic errat non offendit authoritatem Ecclesiæ tanquam pertinax, & incredulus, licet offendat Deum tanquam culpabiliter ignorans: ergo ipsius peccatum nõ est hæresis, aut pertinacia, sed ignorantia. Secundo potest contingere affectata ignorantia ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia quis putat parui momenti esse ea, quę in Ecclesia creduntur, & proponuntur, & hoc modo est hęreticus; quia ex illa falsa opinione affectaret ignorantiam.

Restat modo respondere ad argumentum primæ sententię. Dico igitur esse disparem rationem inter hęresim & alia peccata; quia de ratione heresis est pertinacia; at nemo in rebus fidei est pertinax, nisi, & aduertat se sentire cõtrà Ecclesiam; quare qui hoc ignorat, non est pertinax, & consequenter non est hæreticus; at verò pertinacia non est de ratione aliorum peccatorum, ac propterea cùm committantur alia peccata, non requiritur in peccante, vt aduertat se delinquere contra legem Dei, sed satis est, si aduertat, vel possit, ac debeat aduertere.

Notandum est tamen, quod omnia supradicta intelligenda sunt in foro interiori; nam in foro externò, & iudiciali errans in fide, si alleget ex ignorantia errasse, non creditur si error commissus sit in his, quæ quis ex officio scire tenetur, vel quæ passim, & communiter illius qualitatis sunt. Vndè Sacerdotes, & alij viri docti errantes in articulis fidei, & præceptis Decalogi, ex malitia pręsumuntur errare, & non ex ignorantia. Ita Sonsa *in aphor. Inquis. lib. 1. c. 12. n. 14.* Et Castrus Palaus *to. 1. tr. 4. pun. 2. n. 5.* qui citat Menoch. Farin. Decian. & alios. Ego tamẽ adducam pulchrum locum Albertini *q. 30. n. 37.* vbi sic ait. Si sumus in casu, quod aliquis negaret articulum diuulgatum, vel contentum in Symbolo, quem tenetur explicitè, & distinctè credere, tunc ex quo est præsumptio violenta contrà eum, quod veritatem illius non ignorat, sed quod illum asserit, scienter, & non ignoranter; ideò pertinax hæreticus est iudicandus, quamuis dicat se paratum corrigi. Et in casu proposito apparet, quod si Sacerdos spontè se interemit ob laudem Dei, non potest ignorantiam allegare cùm habuerit quotidie præ oculis, *Homiliam S.* Augustini *tract. 51. in Ioannē.* quę extat in Breuiario Romano pro communi vnius martyris super illud Euangelium. *In. 12. Nisi granum frumenti, &c.* Vbi. D. Agu. sic habet. *Sed vide ne tibi subrepat, vt teipsum velis interimere sic intelligendo, quod debes in hoc mundo odisse animã tuam. Hinc enim quidam maligni, atq; peruersi homines, & in semetipsos crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt & pereunt. Hoc Christus non docuit, imò etiam sibi præcipitium diabolo suggerenti. Vade Satana, scriptum est enim. Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas quo volebas; cùm autem senueris alter cinget te, & ducet quo tu non vis. Vbi satis* expressit,

expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Hactenus D. Aug. Ex quo, & a primo ad vltimum ad conuincendū istum hæreticum clarè constat, neque admonitionem fuisse necessariam, neq. ignorantiā ab eo allegari posset, sed fuisse pertinacem errorem contra sensum Germanum Ecclesiæ sacræ Scripturę, Sanctorum Patrum, communem consensum, & omnium Theologorum sententiam. Hinc illud peculiare est in hæresi, quod cum alia delicta morte extinguatur *l. defuncto, ff. de public. iud.* hæreticus etiam post mortem puniri potest. Ita Sanctarel. *de hæres. c.27. dub.1. n.12. p.2. tr.7. res.28.* etiam post annos quadraginta. Graffius *dec. lib.2. c.11. n.12. contra Paulum disp.8. punct.16. §.3. n.3.* Minimè verò suspectus *de hæresi c. accusatus §. si vere de hæres. in 6.* Et hæresis defuncti plenè hoc est duobus testibus legitimis constare debet. Ita Simanca *tit* 18. *n.*12. quidquid contra sentiat Decianus *lib.5. c.27. n.6. & 9.* Si verò plenè nō constet, nec breui probandum speretur, absolui debet, nam superuenientibus postea probationibus concludentibus integrari potest processus, & condemnari. Et sic clarè colligitur, quod contra formalem hæreticū defunctum, potest Inquisitor acceptare denunciationem, formare processum, examinare testes, vt plenè constet de errore commisso, vt illius memoria damnetur, vel illum absoluat, si non plenè probetur, & venientibus de nouo probationibus legitimis, contra absolutum potest de nouo formare processum, illum damnare &c. Ita Pegna *p.3. commun.92.* Si autem quis moritur pendente processu, tunc eatenùs pro hæretico damnari potest, quatenùs, vel seipsum in carcere interemerit, quod ex conscientia criminis, & impænitentia factum præsumitur, vt ait Gudislauus *de hær. q.22. n.1.* aut probatum fuerit ipsum insorduisse in excommunicatione per annum, saltem ex causa fidei, vt notat Clarus *lib.1. §. hæresi n.19.* In omnibus autem casibus sententiam præcedere debet citatio in personam filiorum, & hæredum, siuè præsentium, siuè absentium, siue certorum, siue incertorum, dando illis copiam indiciorum & testium; sic mandat Instruct. Tolet. *nu.61.* & docet Pegna *p.3. comm.29.* Illi autem comparere possunt per procuratorem. Ita Simanca *tit.93. n.3.* Imò quilibet è populo defensionem hæretico defuncti suscipere potest absque nota fautoriæ. Ita etiam Simanca *in hære. tit.62. n.8.* Pęna verò hæretici duplex est, statuæ eius, & ossium, si ab alijs separari possunt; combustio, iuxta Farinac. *q.197. n.92.* & confiscatio bonorum, Dia. *p.4. tr.7. res.27.* Vt si est hæreticus sine tergiuersatione priuandus est Ecclesiastica sepultura, Dia. *p.9. tract.8. resol.1.* quæ etiā si sint hæreticorum viuorum, & etiam si Fisco sæculari applicari possunt non præscribuntur, nisi post annos quadraginta, iuxta ius canonicum *in c. fin. de præscrip. in 6.* Sic contra Bart. *in l.2. C. de Apost.* Sanct. *c.22. dub.2. n.8.* vbi conditiones ad talem præscriptionem requisitas recenset. Dum tamen causa hæretici defuncti agitatur, bona non sequestrantur quia possessores non debent illis priuari in causa dubia. *Ita instruct. Tolet. an. 1561. n.87.* Ita semper, Saluo, &c.

INDEX DVBIORVM

TRACTATVS SVMMI PONTIFICIS.

H I N-

INDEX ALPHABETICVS.

facta

F I N I S.





